EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS.

Pergite, tu, dilecte fili, tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis, tam bene de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare.

(Leo Pontif. XIII).

Fili hominis, pone cor tuum, et... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

(Ezechiel. 44. 5).

ANNUS DECIMUS — VOLUMEN DECIMUM

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
EL
Alma California

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA A PACE, PHILIPPI CUGGIANI
In Vico a Pace, num. 35
1896

41125

Annus X. N. 1. Ianuar. 1896.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

SACRORUM RITUUM CONGREGATIO

CONGREGATIONIS PRESBYTERORUM SS. SACRAMENTI.

Rm̃us Procurator Generalis Congregationis SSm̃i Sacramenti a Sacra Rituum Congregatione postulavit, ut sequentia Dubia declarare dignaretur nimirum:

I. An in Ecclesia dicata SSm̃o Eucharistiae Sacramento, quando fit officium de feria, debeat in suffragiis fieri commemoratio de SSm̃o Sacramento, omissa commemoratione de Cruce, vel potius commemoratio de Cruce, omissa commemoratione de SSm̃o Eucharistiae Sacramento?

II. Sacra Rituum Congregatio, decreto 3 Aprilis 1884 benigne indulsit Congregationi SSm̃i Sacramenti, ut feria V quae prima quolibet mense occurrit, recoli valeat sub ritu duplici maiori Commemoratio solemnis de SSm̃o Eucharistiae Sacramento, dummodo in eam feriam non incidat festum aequalis vel potioris ritus seu dignitatis.

Quaeritur 1.° An haec solemnis Commemoratio habeat praecedentiam super festum secundarium

eiusdem ritus, sed non eiusdem dignitatis, cuiusmodi esset festum B. M. V. tam in occurrentia quam in concurrentia.

2.° An eiusmodi solemnis commemorationis in concurrentia cum festo secundario eiusdem ritus et eiusdem dignitatis, Vesperae esse debeant de SSmo Sacramento vel de sequenti?

III. An post expositionem privatam SSmi Sacramenti, scilicet, aperto ostiolo tabernaculi, dari possit Benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in pyxide recondito?

IV. Sacerdos celebrans coram SSmo Sacramento patenter exposito dum in Evangelio dicit: « Et Verbum caro factum est » genuflectit aliquantulum versus SSmum Sacramentum:

Quaeritur: An debeat versus idem Venerabile Sacramentum inclinationem facere quotiescumque in lectione Evangelii pronuntiat nomen *Iesu?*

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, dubiis mature diligenterque perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.

Ad II. Negative ad primam quaestionem. Quoad alteram, totum de Festo cum commemoratione Officii votivi.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative. Atque ita rescripsit. Die 30 Novembris 1895.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

A. TRIPEPI *Secretarius.*

ARCHAEOLOGIA SACRA

IX.

De Coemeteriis veterum christianorum quae Romae extant.

Prolegomena.

Cum ad sacram liturgiam illustrandam admodum conferat veterum christianorum mores ac ritus circa religionem inquirere, equidem fatendum est non minus utile fore ea loca cognoscere quae *coemeteria* vocantur, in quibus ipsi sacros conventus, seu iuxta Tertullianum *arcanas congregationes* agebant. In iis enim adolevit ecclesia ac prima veritatis semina sparsa sunt; ibi ad baptismum recipiendum, ad vocem Apostolorum ac sacerdotum audiendam, ad sacram sinaxim congregabantur; ibi ecclesiastica hierarchia constituta, sepulta cadavera christianorum ac martyrum quamplurium, ac ritus sancti explicati ac statuti. Igitur de coemeteriis urbis Romae loquentes, quae celebritate omnibus antecedunt, multa de sacra liturgia deprehendimus, praesertim quae Missae celebrationem, sepulturam christianorum, martyrum cultum, eorumque celebriora hypogea respiciunt. Quapropter, post prolegomena haec de coemeteriis in genere, ea specialiter Romae illustrabimus quae nec pauca sunt, nec caeteris cedunt aliarum regionum tum antiquitate, tum celebritate maxima. Aequum est enim ut christianorum martyrumque nepotes illorum incunabula scito cognoscant ac faciant plurimi, unde prodiere qui Christo mundum lucrifecerunt.

Quaedam iam innuimus de nomine coemeterii (1) quod idem valet ac *dormitorium*, sive *accubitorium*. In Africa praesertim, coemeteria sub diu exaedificata erant, et christianorum *areae* appellata. Etiam in Italia ac Romae multa reperiuntur coemeteria soli superficie ac supra arenaria vetera christianorum, quorum reliquias inspicere datum est supra coemeterium Callixti, via Appia, ac olim in agro Verano supra coemeterium Cyriacae. Multa reperies in Dalmatia, Istria, Gallia ac in provinciis Venetorum. Petrus item, Apostolorum Princeps, eiusque proximi successores in coemeterio supra solum constructo, via Cornelia, sepulti sunt. Huiusmodi coemeteria *horti*, *hortuli*, *agelli*, *areae* appellata sunt, ac *formae* loca, ubi sub terra deponebantur cadavera tegulis fictilibus vel tabulis marmoreis tecta. Ossa vero nobilium in arcis ex marmore biscandentibus vel tercandentibus (2), aut in sarcophagis clausa, sive in cellis ac memoriis deponebantur (3). Areae aliquando teglatas porticus, seu tegulis coopertas habebant, nec non plantis floribusque exornatae conspiciebantur, uti usque adhuc mos est nostris temporibus.

Illic extabant habitationes pro fossoribus seu custodibus ac etiam pro clericis. Proinde cum legimus in Libro Pontificali quod Constantius « *eodem tempore misit et revocavit Liberium de coemeterio B. Agnes ubi sedebat;* » cumque ex eodem libro eruimus quod « *habitavit Bonifacius* (Primus) *in coemeterio S. Felicitatis M. via Salaria*, » id de coemeteriis supra solum intelligere necesse est; nam in cryptis sub terra diu vivere haud possibile erat. Tempore vero persecutionis, si insectati essent christiani, praesertim qui ex clero, his

---

(1) V. quae diximus in N° 10 mensis Octobris harum *Ephemeridum*, an. 1895.

(2) Ex antiquo vocabulo *candere*, seu dividere.

(3) Quaedam protulimus de iure sepulturae christianorum per leges romanas lato, in numero supra memorato *Ephemeridum*.

descensus facilis ad catacumbas patebat, in quarum latebris evanescerent ab oculis persecutorum, uti Tertullianus innuit. Coemeteria autem haec praesertim aetate pacis multiplicata sunt.

Tribus vero saeculis post ecclesiae constitutionem, coemeteria intra terrae viscera effossa sunt, ubi non solum cadavera deponebantur, sed ipsi viventes delitescebant sacrosque agebant conventus: id omnibus notum est. Ast circa Romam, tum propter soli naturam, quod ex topho seu vulcanorum arenis constat (vulgo *pozzolana*), tum ob christianorum multitudinem, cum fuerit ac sit mater et caput omnium ecclesiarum, huiusmodi coemeteria multiplicata sunt spatio plurimorum millium, ita ut longitudo omnium Urbis viarum vix aequaret absconditas catacumbarum vias sese inextricabili rete intercidentes. Loca equidem cuique credentium sancta ac venerabilia, ubi tot sanctitatis vestigia impressa adhuc remanent, ubi per tria saecula Romanis doctrina Christi nunciata est, ubi, praeter martyrum celebria sepulcra, tot monumenta passim reperta sunt, quae fidem nostram catholicam apprime confirmant (1).

Angustae ac sinuosae hae latebrae quae profecto omnibus perhorridae videbantur, nihilosecius cariores erant Christi fidelibus, qui pro fide addiscenda eaque servanda urbis Romae fora, palatia, circos, thermas, hortos parvi pendebant ut in inferiora terrae, veluti belluae descendentes, Christo vivificarentur. Audiamus quae perpulchre referat Hieromymus de romanis coemeteriis (2). « *Dum essem Romae puer et liberalibus disciplinis erudirer, solebam cum caeteris eiusdem aetatis et propositi, diebus Dominicis, sepulcra Apostolorum et Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quae in terrarum*

(1) Via Appia, coemeterium extat Iudaeorum sub terra, qui etiam tempore Augusti plurimi in Urbe numerabantur.

(2) In Ezech. c. 40.

profundo defossae, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum; et ita obscura sunt omnia ut propemodum illud propheticum compleatur: descendant in infernum viventes. Et raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram quam foramen demissi luminis putes ». Quae autem cecinit Prudentius de crypta Hyppoliti Martyris (1) via Tiburtina, haec exacte caeteris cryptis catacumbarum conveniunt. Eius carmina legantur heic relata:

Haud procul extremo culta ad pomeria vallo,
Mersa latebrosis crypta patet foveis.
Huius in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus, luce latente, docet.
Primus namque fores summotenus intrat hiatu,
Illustratque dies limina vestibuli;
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum.
Occurrunt caesis immissa foramina tectis,
Quae iaciunt claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
Arcta sub umbrosis atria porticibus,
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra tenebrato fornice lux penetrat
Sic dantur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem luminibusque frui.

Ut horrorem locorum horum immissa lux aliquantulum temperaret ad soli superficiem *luminaria* extabant *maiora* et *minora*, ac proinde quaedam interiora cubicula clara appel-

(1) Eam visitavit anno circiter 407, iuxta Tillemontium *Hist. Eccl.* X, p. 565.

lata; sic S. Marcellinus Papa *in cubiculo claro* sepultus est, iuxta Librum Pontificalem. Per eadem luminaria aliquando christiani ab ethnicis praecipitati sunt, aliquando saxis oppressi per eadem iniectis martyrii palmam meruere, uti legitur de Emerentiana ad sepulcrum Agnetis orante deque christianis saxis ac terra obrutis, cum orarent ad cryptam sanctorum martyrum Chrysanti et Dariae, via Salaria nova (1). Sacra admodum igitur primis christianis ac deinde peregrinis posterioris aetatis haec inferiora loca fuerunt, qui eorum tenebras minime paventes, devotione magis intimoque pii animi sensu permoti, in secessibus his vel rara luce vel lucernarum lumine illustratis orantes diu noctuque perstabant.

Qua repletos pietate eos fideles putatis, cum intuerentur loculum, ubi Caecilia praeclara virgo ac martyr quiescebat, ubi, prope eam, plures Romanae ecclesiae Pontifices, ubi Agnes et Foelicita, ubi Laurentius et Saturninus, ubi pueri Tarsicius et Maurus, ubi Sixtus II, depositus una cum cathedra sanguine ipsius conspersa? Quis, illic morans, poterat a lacrymis temperare tot millium martyrum Christi monumenta prospiciens, nec non caeterorum fidelium sive dominorum ac nobilium, sive servorum ac plebis sepulcra absque ulla clarioris loci distinctione compositorum? Inibi penes fossorem senator, penes mancipium consul, tribuni apud milites aut olim apparitores, matrona apud mulierem ad ostium coemeteriorum stipem iam emendicantem. Una similis tabula; una, eademque fere inscripta supra loculos acclamatio *in pace* omnes in Christo quiescentes tegebat (2). Ex his

(1) Inter caeteros confer S. Gregorium Turonensem. *De glor. martyr.* Lib. III.

(2) Ad hoc facit quod Cicero Christianus, Lattantius, scripsit: « *Apud nos inter servos et dominos interest nihil, nec alia causa est cur nobis fratrum nomen impertiamur, quia pares esse nos credimus* ». Div. Inst. V. 14.

terrae cavernis psalmorum concentum ac precum voces, pacem ecclesiae exposcentes, inter aromatum ac violae odores sparsae supra mensas sepulcrorum, martyres sancti ad thronum Dei deferebant.

Innumeras in cryptis ac cubiculis picturas, quae per symbolum praecipua religionis nostrae mysteria repraesentabant, innumeros hinc inde, per specus latebrosos, inscriptos lapides, passim ardentes lucernas parietibus affixas, frequentes ad martyrum hypogea fidelium incisas acclamationes per stylum intueri datum erat (1). Innuimus etiam in numero VI *Ephemeridum* anni 1895, de imaginibus B. Virginis Mariae udo illitis coloribus depictis, quarum quaedam ad saeculum secundum referuntur.

Prima Romae coemeteria effossa sunt cura et impensa nobilium matronarum iam a tempore Apostolorum, in quarum cryptis, utpote eis spectantibus, sive per legum romanarum iura, christiani sepeliebantur. Quaedam sumptibus nobilium christianorum aedificata sunt; quae omnia decursu temporis ampliata sive a Pontificibus sive a privatis viris, deinde in proprietatem Ecclesiae cesserunt. Quocirca habemus coemeteria Priscillae, Domitillae, Novellae, Cyriacae, Commodillae, Balbinae, Lucinae, Praetextati, Iordanorum etc. Cum coemeterium magnum in ius ecclesiae romanae devenisset, illius curam Zephirinus Pontifex anno 197 primo Diacono suo Callixto commisit, uti eruitur ex libro cui titulus *Philosophumeni*, ex quo deinceps nomen sumpsit (2).

---

(1) Huiusmodi breves acclamationes (vulgo *graffiti*), non tantum martyribus, sed et caeteris fidelibus in coemeterio quiescentibus inscriptas reperimus, plerumque tenerrimi affectus plenas ac mirae simplicitatis notam praeferentes. V. Allard, *Rome souterraine*.

(2) Callixtus *fecit coemeterium via Appia, ubi multi sacerdotes et martyres requiescunt, quod appellatur in hodiernum diem coemeterium Callisti.* Lib. Pont.

Tempore persecutionum etiam coemeteria fisco addicta sunt, uti accidit in maxima tempestate quam Valerianus ac deinde Diocletianus anno 303, contra ecclesiam excitaverunt, ac christianis ea frequentare vetitum est, sub mortis poena. Quapropter in actis sinceris Cypriani martyris Carthaginiensis legimus: « *Sacratissimi imperatores* (idest Valerianus et Gallienus), *praeceperunt ne in antiquis locis conciliabula fiant, neve coemeteria ingrediantur; si quis itaque hoc salubre praeceptum non observaverit, capite plectetur.* » Itaque refert Tertullianus (1) quod persecutione saeviente quidam fidelium coetus, data pecunia, a persecutoribus emerunt ius ut se possent in coemeteriis congregare. Item id nobis notum est; cum desiisset Diocletiani persecutio, loca sacra, areae ac coemeteria christianis restituta sunt per edictum Maxentii Imperatoris, ac Miltiades Pontifex (Melchiades) recepit etiam coemeterium Callixti, in quo deposuit Eusebium Papam, qui exul obierat in Sicilia; et Donatistis in Africa sua coemeteria restituta sunt (2), litteris Maxentii recitatis.

Cuniculis, cubiculis, cryptisque effodiendis fossores christiani intenti erant: notum est nomen Diogenis, qui officio suo plures annos functus est, cuius epitaphium, quod periit, pictura exaratum, tempore Boldetti, in lucem venit e coemeterio Domitillae. Illud sub oculos habeto.

DIOGENES · FOSSOR · IN · PACE · DEPOSITVS
OCTABV · KALENDA · OCTOBRIS

Hoc autem ordine fossores inferiora terrae effodiebant: *cuniculi* innumeri ac fere semper flexuosi desinebant frequenter in cubicula, atque hinc inde per parietes extabant

(1) *De fuga in persecut.* c. XIII.
(2) Augustin. *Brev. Collat. cum Donatis.* III, 34.

hypogea, *cryptae*, et *arcosolia* plurima (1), nec non aliquando *speluncae*, idest profunda loca quibus sanctorum corpora deposita venerabantur. Percelebre est *cubiculum Ampliati* in coemeterio Domitillae undique picturis exornatum; pernobilis *crypta papalis* in coemeterio Callixti ac *spelunca magna* in coemeterio Praetextati, ubi S. Ianuarius, unus ex septem filiis S. Foelicitatis, sepultus iacuit. Item in parietibus, longo ordine ac superpositi, *loculi* innumeri effossi sunt, qui plerumque unum tantum corpus continere valerent, quorum ostium tabulis marmoreis, quibus epitaphia signaque christianae fidei inscripta erant, claudebatur, vel etiam tegulis fictilibus. Loculus, exempli gratia, in quo, anno 1802, corpus S. Philumenae virginis et martyris repertum est in coemeterio Priscillae, tribus tegulis tectus erat incomposite dispositis per imperitiam fossoris, quae epitaphium hoc referunt (2).

LVMENA	PAX TE	CVM FI

Perspicuum est haec verba legi debere « PAX TECUM FILUMENA », cum prima tegula tertio loco ponenda sit.

Cadavera christianorum in cubiculis, ac etiam in cellis sive basilicis supra coemeteria sepeliebantur arcis marmoreis sive sarcophagis inclusa. Magnus horum numerus sive baccellatorum, sive caelatorum saeculi praesertim quarti et quinti reperitur. Quaedam, quamvis christianis pertineant, tamen ethnicorum fabulas caelatas praeseferunt, eo quod illi nonnisi in officinis ethnicis ea emere poterant.

---

(1) Arcosolium sic dictum, quia solium, seu locus funebris ubi corpus depositum erat, arcu superaddito ornabatur.

(2) In epitaphio quatuor anchorae et duo flores cum palma erant insculpti.

Plurimi autem adhuc viventes in coemeteriis sibi tumulum parabant, vel soli, vel insimul, praesertim si matrimonio viverent (1). Ex quo *locus bisomus,* aut *trisomus* ac etiam aliquando *quadrisomus* invenitur, si duo, tres, aut quatuor essent inhumandi eadem crypta. Exemplum habeto.

SABINI BISO
MVM SE BIBVM
FECIT IN CIME
TERIVM BALBINE
IN CRIPTA NOBA

LOCVS TRI
SONVS VIC
TORIS IN CRV
TA DAMASI

HERCLANVS ET CLAVDIA
SE VIVVS EMERVNT A
☧ LAVRENTINO FOSSORE

Neque fas erat christianorum cuique defunctorum suorum corpora in sepulcro paganorum deponere: hoc enim idem erat ac fidem abdicare; fratres enim inter fratres in pace Christi requiescere debebant. Hac proinde de causa Episcopus Martialis, iuxta Cyprianum (Epis. 68), sua sede depositus est, eo quod filios suos in ethnico sepulcreto condiderat. Sed neque Iudaeorum aut haereticorum coemeteria intrare his licebat; aliter ab ecclesiae communione seiungebantur, uti ex concilio Laodiceae saeculi quarti constat, quod haec statuit. *Qui ierint in coemeteria haereticorum, si sint fideles, incommunicabiles factos ad poenitentiam usque ad aliquod tempus*

(1) Hic mos et apud nos viget, sicuti antiquitus apud ethnicos, qui locum sepulcrorum parabant sibi et libertis, libertabusque posterisque eorum.

redigi. Pari ratione a fossoribus rejiciebantur cadavera paganorum, Iudaeorum aut schismaticorum, si quis inferre ea auderet in sepulcra seu coemeteria christianorum.

Pleraque coemeteria ita in terrarum profundo defossa sunt ut non uno tantum, sed variis ordinibus superpositis constarent, ad quae descensus per scalas patebat, qui *catabaticum* appellatus est (1). Tempore persecutionis, introitus ad eadem consulto occultabantur ne satellitibus noti essent; non raro enim accidit ut ii christianos, cum deprehendissent in coemeteriis, interfecerint. Fossores vero coementarii arcubus pilisque cubicula ac cuniculos sustentabant ne arenae irruerent neve solum delaberetur. Dum pace frueretur ecclesia, hi descensus ampliores ac gradus ex marmore facti sunt, praesertim qui ad cryptas martyrum ducebant pro peregrinorum commoditate. Sed et celebriora hypogea ac cubicula marmore strata sunt columnisque exornata, ac etiam laminis argenteis, uti hypogeum Hyppoliti martyris via Tiburtina. Inscriptiones item ex marmore frequentes in memoriam martyrum, praesertim quae Damasus Pontifex posuit, ornamentis praeclaris adiectis (2), quas Vigilius Papa reparavit, postquam per Gothos maxima damna romanis coemeteriis inlata fuissent, praesertim in regione Salariae viae.

Quin imo Damasus ipse multa corpora sanctorum cum inquisivisset, invenit sub terris coemeteriorum abdita, uti asserit de Eutychio martyire — *Quaeritur, inventus colitur.* — Nam saeviente persecutione, fossores christiani martyrum corpora in terrarum profundo deponebant, ne persecutorum praeda fierent, neve essent eorum furore dispersa. Itaque ex carminibus ipsius Pontificis scimus martyrem Gorgonium

---

(1) E graeca voce καταβασις, descensus.

(2) V. quae diximus de cryptis martyrum a Damaso exornatis in numero 8 harum *Ephemeridum*, mensis Augusti elapsi anni 1895.

sub vertice montis et Petrum et Marcellinum *occulte* in antro iacuisse, ac tumulum Proti et Hyacinti

Quem cum iamdudum tegeret mons, terra, caligo,

tandem patefactum et fidelium cultui propositum.

Post annum 410, quo Alaricus, ingenti clade, Roma potitus est, desiit mos in subterraneis coemeteriis cadavera deponendi, ac *areae*, circa haec tempora, multiplicatae sunt pro sepeliendis fidelibus ad soli superficiem, nec non *basiliculae* ac *basilicae maiores* supra martyrum hypogea.

Harum magnum numerum in suburbanis intueri datum erat a saeculo quarto ad octavum, qua aetate martyrum cultus ita auctus est ut ingens peregrinorum numerus continuo ex toto terrarum orbe Romam confluxerit ad haec sacra loca visenda (1). Cessavit autem pia peregrinatio ad loca martyrum, post saeculum octavum, cum sanctorum corpora in Urbem inlata sunt, opera praesertim Pauli I ac Paschalis I.

Multa, paucis ab hinc annis, de romanis coemeteriis in lucem prodiere Pii IX Pont. Max. liberalitate et cura Academiae Sacrae Archaeologiae, duce clarissimo viro Iohanne Baptista De Rossi, cui multum debet scientia archaeologica.

De coemeteriis autem romanae ecclesiae ac basilicis suburbanis loquuntur *itineraria* peregrinorum ex codicibus vetustis excerpta, quae non tantum topographiam adamussim indicant, sed et sanctorum tumbas earumque celebritatem. Quaedam de his locis nobis nota sunt per acta martyrum Librum Pontificalem, martyrologia et calendaria. Celebriora vero itineraria haec sunt:

Codex Salisburgensis cui titulus: *Notitia ecclesiarum urbis Romae*, qui in appendice operum Alcuini reperitur.

(1) Maior pars harum basilicarum temporum iniuria, seu potius barbarorum furore periit.

Itinerarium Salisburgense, quod inter opera ipsius Alcuini est cui titulus: *De locis Sanctorum Martyrum, quae sunt foris civitatem Romae.* Itinerarium hoc a Flaminia via incipiens ac per gyrum in viam Corneliam desinens, sepulcra martyrum describit, ac peregrinum veluti manu ducit (1).

Notitia portarum, viarum, ecclesiarum circa urbem Romam Willelmi Malmesburiensis. Codex incipit item a via Flaminia, describens coemeteria tredecim viarum usque ad viam Corneliam prope Vaticanum (2).

Codex Einsiedlensis Monasterii, quem Mabillonius edidit in *Vetera Analecta.* Tom. IV (3).

Epitome de locis Sanctorum Martyrum pariter tredecim viarum coemeteria describit, excerptum ex codice Salisburgense et Wirceburgense.

Inter itineraria adnumerandus est *Index oleorum quae collegit Iohannes Abbas*, qui, tempore Gregorii Magni, Romam ad limina sanctorum martyrum cum venisset, adnotavit celebres tumbas, ex quibus olea sumpsit quae ad eorum sepulcra ardebant, quaeque Theodolindae reginae obtulit cum *pittaciis* quibus erant nomina inscripta (4). Attamen ex itinerariis aliisque huiusmodi codicibus non omnia martyrum

---

(1) Codex Wirceburgense (Würtzburg), ex quo itinerarium hoc oritur, habet eumdem titulum, et reperitur in commentariis *de rebus Franciae Occidentalis*. Edit. 1729.

(2) Hic codex saeculi septimi reperitur insertus libro quem Willelmus conscripsit, saeculo duodecimo, qui titulum praefert: *Gesta regum Anglorum* (Edit. Londini 1840).

(3) Codex est saeculi octavi.

(4) Haec omnia itineraria iterum in lucem edita invenies apud De Rossi, *Roma Sotterranea*, Tom. I. Adjice ad haec: *Index coemeteriorum* in libro qui inscribitur: *Mirabilia Urbis Romae*, nec non ex Codice Vaticano 3851 *Regiones urbis Romae*, qui continet capitulum: *Cimiteria totius Roman* (sic) seu Romae, et Cod. Familiae Ghisiorum Romae saeculi XI, sig. A. V. 141.

hypogea nobis sunt nota, et quidem celebrium. Nescimus, exempli gratia, quo in loco depositi sint Clemens Consul e gente Flaviorum sub Domitiano Martyr, Apollonius Senator sub Commodo, Iustinus Philosophus dictus cum sociis, Moyses praesbyter, qui post carcerem occubuit martyr, tempore Cornelii Papae ac Cypriani.

Interim adnotare hic placet coemeteria urbis Romae, quae Apostolorum Petri et Pauli aetate effossa sunt, nempe: *Coemeterium Ostrianum* ubi Petrus baptizabat, via Nomentana; *Coemeterium Lucinae* via Aurelia, ubi depositi sunt SS. Processus et Martinianus, milites a divo Petro baptizati; *Coemeterium Priscillae* via Salaria, quo iacuit familia Pudentis senatoris ab Apostolo Petro ad fidem conversi; *Coemeterium Domitillae* via Ardeatina, ubi sepulti sunt SS. Nereus et Achilleus et Petronilla, omnes divi Petri discipuli; probabiliter *Coemeterium Callixti*, ea pars scilicet quae *Lucinae* dicebatur (senioris) Apostolorum discipulae; *Coemeterium via Cornelia*, quo depositus est Petrus; aliud *via Ostiensi* ad secundum lapidem, quo Paulus tumulatus est, quod, potiusquam Lucinae, nomen *Commodillae* meretur, eo quod forsan illud ampliaverit (1); *Coemeterium ad Catacumbas* via Appia, ubi Apostolorum corpora, paulo post martyrium, aliquandiu iacuerunt.

His generaliter circa romana coemeteria praemissis, speciatim de unoquoque tractabimus aliis dissertationibus quae sequentur, in quibus agemus de eorum aetate, topographia, praestantia, ornatibus, inscriptionibus, monumentis, ac de his martyribus qui inibi speciali ac celebriori veneratione culti sunt.

(*Continuabitur*).

IOSEPH Canonicus CASCIOLI.

---

(1) Ad excitandam basilicam divi Pauli pars collis, quo coemeterium extenditur, praecisa est, uti quisque potest observare.

DECRETI *URBIS ET ORBIS*

A SUMMO PONTIFICE LEONE PP. XIII DIE IX DECEMBRIS 1895 CONFIRMATI

DE CONFORMITATE MISSAE CUM OFFICIO

EXPLANATIO

1. Si quis, imprimis et ante omnia, a nobis exquirat, quaenam Decreti huiusce sit inscripta dies, cum illa tantum appareat, qua confirmatum fuit, respondemus eam esse 9 Iul. 1895: quae ante verba de confirmatione Pontificis, post verbum « prohibent » addenda est.

2. Quod iam inde ab anno 1888 *Ephemerides* nostrae, tamquam opinionem tenendam, docuerant ex Academiae Liturgicae sentiendi modo *(An. cit. pag. 198 et seq.)*, impraesentiarum S. R. C. tamquam veritatem omnino actu perficiendam Sacerdotibus omnibus proclamat. Missas videlicet Regularium proprias, haud obstantibus Decretis in oppositum, quae ius commune efformabant, posse a Sacerdotibus exteris in eorum Ecclesias die festo confluentibus recitari. Idque ex Brevibus Pontificiis, non quidem omnibus, sed plurimis, post Benedictum Pontificem XI^{um} emanatis, indultum concedentibus.

3. Sed Decretum nostrum ulterius procedens, generalem exhibet Regulam, ex qua Celebrans quamcumque Missam teneatur conformare officio Ecclesiae. Dispositio gravis. Hinc opportunum satis videtur nobis aliquas super ea animadversiones lectoribus nostris exhibere.

4. Reliquis praetermissis, quae S. R. Tribunal movere potuerunt, ut praesens Decretum evulgaret, ad primum per-

gimus, quod in eodem Decreto ius positivum constituit; estque Missa hactenus officio Celebrantis, ex generali norma, nunc officio Ecclesiae conformis.

5. Rubricas praescribere Missam officio conformem, nulla est quaestio. Vel ab initio enim Rubricarum Generalium Missale praedicat: « Missa quotidie dicitur secundum ordinem officii: » quod et alibi, nunc explicite, nunc implicite significat. An vero cum Celebrantis an cum Ecclesiae convenire debeat, Rubricae silent: quare? Fortasse, ni fallimur, quia officium Celebrantis idem supponitur in Rubricis ac officium Ecclesiae. Ad quod iudicandum inducimur, quia esse debent inscripti Sacerdotes de iure alicui Ecclesiae, in qua Missam ab illis celebrari praesumitur. Id autem generaliter comprobatur, uti de Canonicorum Collegiis, de Regularibus, de Parochis, Rectoribusque Ecclesiarum, de Cappellanis Monialium, uti de aliis illorum supplentibus vices, etc. etc. Non tamen desunt, qui nulli Ecclesiae sunt adscripti, nec alii, qui in Ecclesia cui non sunt adscripti Missam quandoque faciunt; sed cum hi velut in exceptione positi sint, fieri potuit, ut de eorum Missa non se Rubricae occuparent, Missam simpliciter officio conformem exigentes. Quae tamen exceptiones, cum temporum locorumque inspectis adiunctis satis multiplicatae postmodum fuissent, S. R. C. quamplurimis ea super re petitionibus respondere coacta fuit, ac relativa evulgare Decreta. Quae profecto hanc semper hucusque exhibuere normam, Missam in casu conformem esse debere Celebrantis officio, nisi, aut loci solemnitas, aut coloris discrimen, aut ritus qualitas praescriberent vel permitterent cum officio Ecclesiae conformitatem. Quod factum iure credimus, ut idem, quantum fieri posset, servaretur in Ecclesiis paramentorum color. Id autem sapienter fuisse dispositum

dubitabit nemo; cum Rubricae satis habeant conformitatem Missae cum officio praescribere et commendare.

6. Progressu vero temporis, aetatique nostrae proximioris, exceptiones, de quibus supra, ultra modum excreverant, et nonnulla, quae ex illis derivabant, incommoda, quod frequentiora essent, et molestiora facta sunt. Rem quoque graviorem reddidere Regularium quamplures Missae propriae, quae exteris Sacerdotibus vetitae, hos magis magisque in eorum celebrantes Ecclesiis implicabant. Hinc dubitari coeptum est, utrum Missae non solum Celebrantium officio conformes, sed etiam officio Ecclesiarum, respondere Rubricis possent. Nec defuere, qui ad quaestionis huiusce studium adiicientes animum, plausu dignas adinvenere rationes, ut sustineri iure posset, Missam officio Ecclesiae generaliter conformem, Rubricarum legi respondere.

7. Quidquid vero sit, ad omnes difficultates evellendas certasque tradendas normas, pro sua sapientia S. R. C. censuit antiquum immutare principium, aliudque per praesens Decretum statuere, quod nunc ab omnibus Sacerdotibus utriusque cleri tenendum est. Quin autem de illius aequitate discutiamus, utpote quam iure merito supponere malumus, nonnihil dicemus quod illi favere credimus, quae S. R. Tribunal ad illud emanandum inducere potuerint, rationibus praetermissis: nisi eae forte, quas superius innuimus, aliquid probare valeant.

8. *a*) Nonne admittendum necessario est, Ecclesiam magis esse consideratione dignam, quam personam Celebrantis? At ex hypothesi officium Ecclesiae aliud est a Celebrantis. Nonne ergo optimo iure, potiusquam adigatur Ecclesia ad permittendam Missam eiusdem Celebrantis officio conformem, Celebrans ipsius Ecclesiae officio se conformabit?

9. *b*) Ecclesiam esse domum Dei caelique ianuam, quae omnibus singulisque fidelibus, maxime clero, patet, dubitari non debet. Cum nihilominus, aliquis e Sacerdotibus in aliquam pergit Ecclesiam ad quam non est adscriptus, celebrandi causa, habes veluti alienum in Celebrante, in Ecclesia autem quasi dominum. Aequum autem videtur censendum ut alienus, quasi servus, domino suo se conformet. At Ecclesia suo speciali gaudet cultu, ritu, colore etc. Quid ergo magis congruum, ut in omnibus se Celebrans Ecclesiae conformet?

10. *c*) Ecclesia alicui Mysterio vel Sancto suum cultum in unoquoque die peculiarem exhibet: alteri vero Mysterio vel Sancto cultum peculiarem exhibuit Sacerdos cum suo officio. Cultus autem, generaliter loquendo, convenit ut unus sit, et non multiplex in eadem Ecclesia. Ergo et convenit, ut singuli, qui illuc celebraturi accedunt, eidem Mysterio vel Sancto eumdem cultum per Missam Ecclesiae conformem exhibeant.

11. *d*) Ecclesia, uti cl. De Herdt animadvertit, ordinat in eumdem finem omnes cuiuslibet diei sacras actiones, quarum praecipuae sunt officium canonicum et Missa, ut integrum et non dimidiatum cultum exhibeat illis, quae colere intendit (*pars 1, n. 15*). Quod si Sacerdos exterus aliud recitaverit ab officio Ecclesiae, alteruter cultus dimidiatus erit: vel nempe habebitur, ex parte Celebrantis, Missa sine officio, quod alii Missae respondeat: vel habebitur ex parte Ecclesiae officium sine Missa, quae diverso respondeat officio. Quid poterit opponi principio exigenti, ut integer sit potius cultus Ecclesiae, quam Celebrantis? Neque obiiciendum, Ecclesiae cultum integrum fieri per Missam eorum qui illi sunt adscripti; responderi enim potest, id etiam in cultu Celebrantis

comprobari, ad plures quod attinet idem calendarium sequentes.

12. *e)* Pluribus iam in casibus Sacerdotes se conformare tenebantur calendario Ecclesiae, ratione uniformitatis. Haec nihilominus uniformitas, quae in multis saepe deficiebat, quod pertinet nempe ad aliquas ex mutabilibus Missae partibus, nunc adeo perfecta est, ut quaevis difformitas in duplici omnino repugnet.

13. *f)* Iam plures Ordines Regulares, uti Augustinenses, Dominicani, Benedictini, aliique hoc consecuti fuerant a S. R. Congñe privilegium, ut quicumque ad eorum Ecclesias celebratum pergerent, Missam facerent earundem calendario conformem. Quid autem opportunius, ut lex statueretur, vi cuius idem iure fiat in omnibus Ecclesiis, quod in illis ex privilegio hactenus factum est? Ratio enim obtenti privilegii esse alia nequit, nisi uniformitas, quae proinde vi legis eadem erit, ut in illorum, ita in quibuscumque Ecclesiis.

14. *g)* Denique nemo inficiabitur, satis esse facilius observatu, prae antiquo, ius praesens, cum quivis Sacerdos nullo negotio edoceri valeat de Missa, quae in Ecclesia, ubi celebrat, facienda est, ut eam, officio suo neglecto, more aliorum, qui illi sunt addicti, et ipse faciat. Dum antea opus erat proprium festum cum Ecclesiae conferre, et iudicium emittere circa propriam vel Ecclesiae Missam celebrandam et saepe super commemorationibus, Symbolo, ac Praefatione propria adhibendis. Quae omnia adeo pluries Celebrantem implicabant, ut quamplures vel legum inobservantes fierent, vel clausis oculis ius praesens, ad fastidium vitandum, iam servarent.

15. Haec sint satis, ut, aetate saltem nostra, longe melior ostendatur, quam antiqua, disciplina praesens. Adeo ut, abstrahentes etiam a momentis aliis, indubie sapientioribus,

quae S. R. Tribunal ad mutationem fortasse potuerunt inducere; praeter legis obsequium, quod omnes profitemur, ad eam pleniori corde amplectendam et exequendam, etiam ex superius allatis tantum rationibus satis superque incitemur.

16. Decretum praesens universos respicit Celebrantes, ad quemcumque clerum pertineant, et quacumque in Ecclesia Missam faciant. Quid de Sacerdotibus Tertiariis dicendum Ordinis S. Francisci? Anno enim 1880 in una *Viglevanen.* die 7 Aug. ad 1, exquisita fuit S. R. C. *an Sacerdos Saecularis adscriptus Tertio Ordini S. Francisci, etsi curam animarum habens, sed choro nullimode obligatus, possit in quacumque die ac pro lubito suo se conformare calendario edito in usum Fratrum Min. Ord. Observantiae S. Francisci, sive quoad officium et Missam, sive quoad alterutrum ex ipsis...?* Respondit autem: *Affirmative, seu quoad officium et Missam.* Iam vero, post praesens Decretum, id ne poterit adhuc Sacerdos tertiarius celebrans in aliena Ecclesia? Uti patet, negative; quia privilegiatus uti potest suo privilegio quando alia lege non impeditur. Hinc ex. gr. etiam antea Tertiarius Missam facere suo officio conformem nequibat, quando celebrare in aliena Ecclesia voluisset, in qua aut solemnius recolebatur festum, aut discordabat color. Profecto quia ab usu privilegii sui alia lege impediebatur: ut tum solum potuisset, quando communi lege permittebatur Missam agere officio suo conformem. Atqui per praesens Decretum quicumque Sacerdos vetatur a Missa in Ecclesia aliena dicenda, officio suo conformi, iubetur enim ut eam faciat conformem officio Ecclesiae. Ergo impraesentiarum dicti Tertiarii amplius nequeunt, in casu, proprio privilegio frui. Poterunt tamen, si celebrent in privato oratorio vel in Ecclesia Fratrum, quorum calendarium sequi optant, aut si officium Ecclesiae

Missam permittat votivam vel Defunctorum. Quod si aliorum Ordinum Tertiarii eodem privilegio fruerentur, patet etiam, eos eodem in casu ab eodem utendo pari ratione prohiberi.

17. Decretum extenditur etiam ad Missas Regularium *proprias*. Hoc, ni fallimur factum est, seu ratione uniformitatis obtinendae, seu ad incommodum vitandum alterius inquirendi Missalis, aut ipsius inquirendae Missae de communi: quae aliquando partim in uno, partim alio loco sumenda erat, ut officio a Regularibus recitato, quantum fieri posset, responderet. Cum autem lex de Missis propriis loquatur, liquido profluit, in eis includi omnes Missae partes, quae propriae sunt vel esse possunt, uti Epistola, Orationes, Sequentia, Graduale, Tractus, Offertorium, Praefatio. Omnia haec proinde, vi praesentis Decreti, si in Missis extent Regularium propriis, ab omnibus qui illas legere tenentur, adhibenda sunt.

18. Neque obstat, si praefatae Missae in Missali Romano haud fuerint inscriptae, id enim ante nunc latam legem sustineri quidem poterat: impraesenti vero etiam in Missali Regularium proprio quamcumque Missam legere licet, uti aperte dicit Decretum.

19. Ritus nihilominus Regularium proprii adhuc manent vetiti, quippe qui a praesenti lege manifeste excluduntur. Ritus autem complectitur in casu caeremonias omnes et singulas in Romano Missali praescriptas: Orationes illas, quae nunquam mutationi subiacent, quamvis nonnullae ex his aliquando omitti debeant, ut psalmus ad Introitum, hymnus angelicus et symbolum: uti etiam *Ite Missa est*, et Evangelium ultimum S. Ioannis, quamvis aliquando mutentur: brevi illas omnes et singulas quas comprehendit Ordo Missae, cum canone ac reliquis, usque ad peractam purificationem.

20. Quinimo, nec interest si Missa, quae in Missali, aut Romano prostat aut Regularium proprio, sit de aliquo ex nondum canonizatis: dummodo Ecclesiae in qua Missa fieri debet sit indulta. Ratio, uti videtur, eadem semper est, nempe uniformitas. Cum ceterum lex iubeat, ut Missa dicatur conformis officio Ecclesiae, qui fieri posset quando Beatus aliquis in Ecclesia recolitur? Ut ergo uniformitas semper haberi queat, etiam de eodem Beato Missam fieri, lex iubet. Quod coeterum gratum esse omnibus, vix dubitandum. Notum ponimus antiquum incommodum: Sacerdos aliquam petit ad celebrandum Ecclesiam, in qua tamen B. N. Martyr sub duplici ritu recolitur; sed praefatus exterus officium de S. Confessore recitavit: quaenam illi dicenda Missa? Non de B. Martyre, vetita enim supponitur: non de S. Confessore, quod discordat color: ergo? In aliam Ecclesiam ad celebrandum pergat. Cui gravi satis incommodo praesens Decretum occurrit; iure ergo ac merito gratum omnibus posuimus.

21. Nihilominus praefata norma super Missa officio Ecclesiae conformi celebranda, si in duplici servanda praescribitur, non tenet quando ritus semiduplicis vel inferioris officinm in Ecclesia agitur, uti semper fieri consuevit. Rubrica de Missa conveniente cum officio respicit ritum duplicem, non alium illo inferiorem, in quo Missa votiva permittitur. Hoc itaque in ritu libertas manet Sacerdotibus, vel Ecclesiae officio vel proprio Missam conformem facere, vel de requie, vel aliam ex votivis, vel etiam de occurrenti feria. Quod si Decretum tres tantum ponit casus, nempe Missam votivam, de requie, et de occurrente feria, nihil interest; non enim taxative positi fuerunt, sed ad exemplum. Quod autem ad Missam attinet de occurrente feria, ea quidem controversiae causam praebuit, uti in Ephemeridibus (*an. 1891, pag. 689 et seq.*) videre est; sed iuxta Epheme-

ridum sentiendi rationem fuisse resolutum inuna *Strigonien.* ad VIII, constat ex iisdem Ephemeridibus (*anno 1893, pag. 8 et 12*), et praesenti Decreto confirmatur. Haec autem libertas cessat quibusdam diebus anni, in quibus ritus quidem duplici est inferior, sed dictae Missae alia de causa prohibentur, uti satis est notum, aut ex Rubricis aut ex Decretis.

22. Praefata dispositio non solum Ecclesias respicit, sed etiam Oratoria publica. Cui potest opponi, in Oratoriis quamvis publicis, non fieri officium: quomodo ergo fieri Missa poterit Oratorii officio conformis? Sed facile reponimus, id etiam valere pro omnibus aliis Ecclesiis, in quibus officium publicum non recitatur. Uti ergo pro his vi caret obiecta difficultas, ita et pro illis. Animadvertendum autem, sicut Ecclesiae non collegiales, in quibus officium omittitur, ad hoc quod attinet negotium, collegialibus in quibus officium dicitur, semper fuere aequiparatas, ita eadem de ratione illis aequiparata fuisset, et nunc quoque aequiparanda Oratoria publica: ut inter illas et ista admittendum non sit discrimen. Ceterum, tum illae Ecclesiae quum huiusmodi Oratoria principalium Ecclesiarum officii participes quodammodo sunt, et ratio uniformitatis pro utrisque valet. Missa itaque in his conformis erit calendario, quo dictae Ecclesiae et Oratoria utuntur.

23. Quid sit Oratorium vere publicum, quid vere privatum, satis notum est: ut proinde sicut in illo Missa facienda est conformis calendario Oratorii, in quo celebratur; ita in isto, calendario, quo utitur Celebrans, conformis esse debeat. Quid vero dicendum de tot Oratoriis Communitatum religiosarum, Seminariorum, Hospitalium etc. quae licet non publica, eiusmodi ex privilegio reputantur? Quae ex privilegio uti publica habentur, ut etiam semipublica nuncupentur, Oratoria, ad legem communem quae ex Decreto praesenti

constituitur, teneri arbitramur: proinde et Missam in iis faciendam, calendario, quod ea obtinent conformem esse debere arbitramur.

24. Inquiri nunc potest, utrum dicta conformitas officio Ecclesiae vel Oratorii, secum quoque ferat conformitatem ita perfectam, ut Celebrans in omnibus et per omnia eidem conformare se debeat. Respondemus affirmative. Quia Decretum Missam praescribens Ecclesiae officio conformem, manifeste exigit, ut unusquisque e Celebrantibus stet calendario Ecclesiae, quod talem Missam praescribit. Celebrans autem, qui calendarium sequi debet Ecclesiae, perfecte illud sequi debet: secus uti non erit plus minusve conformis calendario, ita nec esse poterit plus minusque conveniens officio. Atqui exigit Decretum, ut Sacerdotes *Missas OMNINO celebrent officio Ecclesiae vel Oratorii conformes;* ergo.

25. Inferes, in aliena Ecclesia vel Oratorio publico Celebrantem non posse amplius calendarium suum sequi, illudque negligere teneri, sive quoad Symbolum, sive quoad Commemorationes, sive quoad Praefationem propriam. Nec posse amplius proprium suum ritum considerare, sive simplex sit, sive semiduplex, sive duplex, imo etsi classicum; sed standum esse Celebranti calendario loci in quo celebrat, illique perfecte se conformandum. Unicum excipe casum, ut supra n. 21. Aptior profecto dari non potest modus, ut in omni duplici officio, quod celebrat Ecclesia, perfectior uniformitas obtineatur.

26. Inferes, non solum anteriora Decreta, ut praesens dispositio aperte declarat, esse abrogata, sed et doctrinam quamcumque ab auctoribus quibuscumque hactenus traditam, amplius non esse retinendam, ac velut antiquatam penitus relinquendam. Sed indubie omnibus gaudendum, quod hac norma a praesenti Decreto exhibita, facile accepta, unus-

quisque e Sacerdotibus optime atque ulla sine difficultate posse in alienis Ecclesiis vel Oratoriis publicis Missam ordinare et facere.

ANIMADVERSIONES

SUPER EDITIONE NOVISSIMA

CAEREMONIALIS IUXTA RITUM ROMANUM

Spopondimus (in parvo licet operimento ultimi *Ephemeridum* numeri elapsi anni), aliquid nos dicturos super addimentis, quibus Caeremoniale, iam a cl. De Carpo redactum, iterum typis impressum a cl. Gonella, auctum fuerat. Fidem tenemus; eoque libentius, quod praesentes animadversiones omnibus Consociatis esse possunt utilitatis, etsi dictum Caeremoniale non possideant.

1. Cl. A Carpo de pluvialistis assistentibus in Vesperis solemnibus verba faciens, dicit: « Cum ad altare pervenerint, sistunt ante infimum gradum hinc inde a latere Celebrantis... caput detegunt, et *facta genuflexione etc.* parumper orant (*pag. 24 n. 44*) ». Super hac genuflexione cl. Gonella sequentem addit adnotationem: « Caeremoniale Episcop. pluvialistis praescribit reverentiam, non genuflexionem ad altare, quando cum Celebrante coniuncti sunt, Lib. II, Cap. III, n. 3. Ratio afferri posset, quod eadem ac Celebrans induti sunt veste. » Quid de hac addita

adnotatione censendum? Aequa iudicanda et sapiens; legi enim apprime inhaeret, rituumque uniformitati. Sane, audias legem: «Presbyteri parati cum Canonico Celebrante, postquam oraverint surgunt, et *profunde* altari *caput humerosque inclinant* (1)». Lex clarior esse non potest. Equidem aliquando Caeremoniale reverentiae nomen accipit, seu pro inclinatione capitis, seu pro genuflexione; sed ita in casu, consequenter in aliis similibus, se exprimit, ut pro genuflexione intelligi nullo modo possit, uti ex relatis verbis satis superque patet. Neque dicas, Caeremoniale supponere in casu pluvialistas Canonicos Cathedralis Ecclesiae, quibus ius est inclinandi caput, esset enim aperte falsum; quia in num. primo eiusdem capitis idem Caeremoniale exigit, ut *pluvialistae sint Presbyteri de gremio ipsius Ecclesiae,* **non tamen Canonici.**

Quod si nonnullos melioris notae velis expositores consulere, eadem veritas luce meridiana patebit etiam splendidior. En De Herdt: «Postquam Celebrans et Presbyteri parati ab oratione surrexerint, iterum debitam altari faciunt reverentiam. Si Ss. Sacramentum in altari non asservetur, profunde se inclinant Canonicus et etiam

(1) Caeremoniale Episcoporum de prima inclinatione statim ac pervenerit ad altare, non loquitur, sed eam supponit, cum verba tantum faciat de oratione genibus flexit facienda. In thesi nostra probanda utimur verbis Rubricae, quae praefatam orationem sequuntur, quia clariora sunt: quod et agemus in aliorum auctorum sententiis referendis. Ceterum, si post orationem lex praecipit inclinationem, ante illam, et in aliis similibus, lex non potest loqui de genuflexione, uti patet.

Presbyteri parati (*Prax. Pontific. Tom 2, n. 37, l. a.*)». En Schober: «Oratione peracta... Celebrans et Pluvialistae assurgunt, cruci altaris profundam inclinationem faciunt (*Art. XV, Cap. II, n. 3*)». En Martinucci: «Post orationem... consurgent (*Pluvialistae*) cum Celebrante, simulque cum eo Crucem altaris profunda reverentia salutabunt (*Lib. I, Cap. IX., n. 9*)». Paulo vero superius, nempe in praecedenti numero 8, de eadem reverentia loquens ante orationem facienda, eamdem exhibet adnotationem, quam indubie suam fecit et ad literam Gonella retulit. En denique Catalanus: «Clariora haec sunt, quam ut nostra explicatione indigeant..... Celebrans eiusque assistentes ab Oratione surgentes profunde altari caput humerosque inclinant (*Lib. II, Cap. III, § 3*)». Cum ergo apertissima lex sit, nullumque expositores super ea dubium excitent, abunde liquet, iuxta praefati Gonella adnotationem esse agendum, potiusquam iuxta A Carpo sententiam.

At sciscitaberis: Si lex manifesta, si expositores concordes, quomodo ergo cl. A Carpo pro inclinatione genuflexionem docuit? Idem et a nobis inquirimus, sed una tantum praesto est responsio: A generali regula, quam in Missa sequendam ex Rubricis Missalis arguimus, fortasse, sumptum est exemplum, quod et ad Vesperas extensum est. Praefato loquendi modo usi sumus, quia Rubricae Missalis pro Missa solemni, non praesente super altari Sacramento, Ministris superioribus genuflexionem praescribunt: 1.° cum ambo transeunt, incensationis tempore, ante crucem, dum Celebrans profunde caput inclinat: 2.° cum Subdiaconus cantare debet Epistolam, ante et post: 3.° cum idem Subdia-

conus patenam deferens descendit in medium altaris. Ex his tribus relatis casibus, communiter expositores inferunt, quibusdam etiam Decretis S. R. Congñis innixi, Diacono et Subdiacono in Missa solemni, ante et post consecrationem semper esse genuflectendum cum ad altare accedunt, ab eoque recedunt, vel transeunt ante altaris medium. Hinc, nisi fallimur, sententia A Carpo repetenda: nunc autem iure vel iniuria, vix dicendum est, legis quam superius vidimus, claritate posita.

Quod si discriminis ratio quaeratur, ob quam aliter ac in Missa gerere se debeant ministri superiores in Vesperis, haberi potest ex Decreto in una *Urbis* d. d. 22 Dec. 1612, quod declarat: «Beneficiatos et Clericos Basilicae S. Petri, tam paratos quam non paratos debere semper genuflectere, quotiescumque transeunt ante altare, prout disponit *Caeremoniale Episc.* Lib. I, Cap. 18, post princ. vers. *et regulariter*, et Lib. II, Cap. 6, vers. *qua intonata*, ubi similiter genuflectere debent versus altare, quando accedunt ad Librum Antiphonarium in medio chori existentem: *nisi tamen Beneficiati et Clerici supradicti simul incedant eodem ordine et gradu cum Canonico parato Celebrante*, ut in Caeremoniali Lib. II, Cap. 3, vers. *Presbyteri parati*, et in vers. *Magnificat;* quia tunc, nisi et quatenus Canonicus genuflexerit, nec ipsi genuflectere debent. Quia alias *videretur dissonans et discordans, quod unus vel duo genuflecterent, alius vero non.*» Ex quo Decreto duplex habetur ratio praefati discriminis, videlicet: 1.° quia pluvialistae in Vesperis eodem ordine incedunt et gradu cum Canonico officium agente: 2.° quia si officium faciens inclinationem, et pluvialistae

genuflexionem facerent, dissonum foret et discordans.

Hinc sequitur, legem generalem de genuflexione ab universis de choro, qui Cathedralis Ecclesiae non sunt Canonici, esse quibusdam limitibus coarctatam; et Pluvialistis applicari non posse, quando una simul incedunt cum faciente Vesperas, qui caput humerosque inclinat, ut et ipsi idem tunc agere debeant. In aliis autem casibus, in quibus iidem Pluvialistae sine faciente officium agunt, generali adhaerebunt legi et genuflexionem facient.

2. Docet A Carpo, in Missa coram Sacramento exposito, a Sacerdote non esse signandum altare ad ultimum Evangelium *(pag. 147. n. 70).* Adnotator censet potius altare esse signandum more solito, citatque auctoritatem Martinucci, cuius notam ad litteram refert, quae sequens est: « Id videri forte poterit contra Rubricam in Missali appositam ad feriam V in Coena Domini, quae vetat Celebrantem signare altare, quod ipsum repetitur in Caeremoniali Episcoporum. Opus est tamen animadvertere, quod haec dispositio sancita est SS. Sacramenti causa, quod super mensa altaris manet expositum; quocirca in casu nostro, quum expositum in altari quidem maneat sed extra mensam, non esse locus illi Rubricae videtur, ideoque Celebrans altare debere ritu usitato signare ». Nos arbitramur, standum esse communi usui auctorum, et romanae praxi; ratio enim in contrarium allata nobis speciosa apparet. Quid revera interest, si Sacramentum sit super vel extra mensam, cum super altare maneat? Omnia altaris ornamenta, puta candelabra, flores, crux, baldachinum pro

expositione super altare sunt, et altare ex mensa essentialiter constituitur; hinc et SS. Sacramentum, licet in throno, excelsoque in loco positum, ac proinde materialiter fortasse extra mensam, super ipsa esse censetur, veluti moraliter extensa uti nemo dubitat, nisi immediate, certo mediate per ornamenta, super quibus collocatur. Ratio ceterum huiusce signi omissionis est, quia praesente solemniterque exposito Sacramento, quod est realitas, consultius est haud signare altare, quod est symbolum, Christumque repraesentat. Hinc Decretum, quo sententia opposita muniri posset, nempe *Urgellen.* d. d. 16 Ian. 1882, ad XIV, inter revocanda aut mutanda, nisi mutata vel revocata, computari potest. Eapropter sententiam cl. Martinucci haud meliorem censemur communiori, quam tradit a Carpo, et cui consultius adhaerendum indicamus.

3. Ad pag. 167, num. 93 legitur Praefationem in Missis votivis (propriam non habentibus) quae aliqua de causa recitantur in Dominica, debere esse de communi, non de Trinitate. Legitur hic alia adnotatio, quae tamen et in antiqua editione habetur; attamen aliquid super ea animadvertere cogimur, ne lectores in errorem incidant. Adnotatio consistit in duorum Decretorum citatione: quorum primum est in una *Canon. Regul. Lateran.* 2 Dec. 1864 *(error est in numero, qui esse debet 1684)* ad 8: alterum in una *Ord. Min. de Observ.* 10 Apr. 1853 ad 27. Iam vero primum Decretum ad rem nostram non facit, sed respicit Praefationem, quae dicenda est in Missa votiva communis, etsi factum sit officium de S. Maria in Sabbato; et refertur ad alia, quae cl. A Carpo in eodem num. exposuerat. Aliud quod spectat, dicendum, illud posse

revera aliquid probare; vult enim, ut in Missa votiva (non habente Praefationem propriam), quae canitur in Dominica, dicatur Praefatio non de Trinitate sed de communi.

Nihilominus certo lectores sciant, hoc Decretum vim legis non amplius habere, ut e Collectione nova Decretorum, quae paratur, expunctum iri iure merito credamus. 1.° Quia extat Decretum *Urbis et Orbis* Praefationi de Trinitate in Missali praemissum, quod iubet: « ut singulis Dominicis totius anni, quibus Praefationes propriae per Rubricas non assignantur, incipiendo a Dominica SS. Trinitatis... Sacerdotes omnes... Praefationem de SS. Trinitate... in Missa recitare teneantur. » Lex ista non distinguit; ergo nec nos distinguere debemus, et quando conditiones dicto in Decreto appositae comprobantur, Praefatio dicenda est de Trinitate. Atqui in Missa votiva in casu revera comprobantur, uti facile perpendenti patebit; ergo... 2.° Aliud extat Decretum adhuc ineditum d. d. 16 Febr. 1888, statuens in Missa de solemnitate Patroni translata in sequentem Dominicam (quae Missa, uti patet, totam votivi rationem habet): quoties Patronus non habet Praefationem propriam, adhibendam esse Praefationem de Trinitate, seu de tempore. » 3.° Aliud quoque recentius extat, iubens, in solemniis Beatificationis, quae in Vaticana Basilica nunc celebrantur, Missam, quae omnino extra officium est et votiva solemnis, canendam esse cum Praefatione de Trinitate. Ergo et doctrina et Decretum in Caeremoniali exhibita non sunt attendenda.

4. Cl. A Carpo adnotationem ponit ad pag. 172, n. 101, qua insinuat pyxidem cum vino purifi-

candam esse, nisi adeo parva sit, ut facile a fragmentis possit abstergi. Sed cl. Gonella alteram illi adnotationem opponit, qua insinuat oppositum. Quid melius? Hoc illo consultius iudicamus. Etenim, primo, cum novo Adnotatore animadverti potest: fragmenta madefacta facilius adhaerere posse interioribus pyxidi parietibus, ut difficilius abduci ab iis possint. Secundo, nonnullos vidimus celebrantes, post infusum vinum in pixidem, internas exsiccare parietes cum purificatorio. Nonne erit quasi novissimus error peior priore? Negotium lectoribus perpendendum relinquimus, et fortasse convenient, satis esse melius vino in pyxide purificanda nequaquam uti.

5. Ubi auctor Caeremonialis agit de Communione fidelibus ministranda docet, post verba *Domine, non sum dignus* tertio repetita, descendere Celebrantem ad communicandos fideles e gradibus anterioribus etc. *(pag. 173, n. 102)*. Hoc autem loco cl. Gonella adnotationem ponit, quam ad litteram referre iuvat: « Sacerdos celebrans in sacello valetudinarii (Ospedale) potest, post sumptionem SS. Sacramenti sub specie vini, deferre particulas in patena, et pergere ad cellulas infirmorum, ut eis communionem praebeat, vel etiam Viaticum, si opus sit. Ita S. Rit. Congr. 24 Mart. 1860 ». Quadam id perlegimus admiratione, quod generali regulae in casu servandae oppositum nobis videbatur. Eapropter citatum Decretum in sua fonte consulendum necessarium duximus; ex quo constat, doctrinam contrariam esse veram, quia dictum Decretum contrarium docet illi, quod in praefata adnotatione habetur. En Decretum: « Dub. I. Utrum liceat Sacerdoti in Sacello Valetudinarii

celebranti deferre post communionem particulas in patena, et pergere ad cellulas infirmorum, ut eis communionem praebeat, aut aliquando etiam Viaticum, vel potius reservare debeat particulas, ut id praestet post Missam? » Unicuique facile patet duplex petitionis pars: ex quibus prima quaerit, an possit communio dari infra Missam infirmis in cellulis manentibus: secunda, quaerit an potius particulae reservandae, ut post Missam infirmi communicent. Iam audi responsum: « Ad Dub. I. Quoad primam partem **negative** iuxta Decretum diei 19 Dec. 1829 in *Florentina* ad Dub. I. Quoad secundam partem **affirmative** ». Ergo non potest dari communio intra Missam infirmis in eorum cellulis; sed particulae reservandae, cum iisque illis s. communio praebenda post Missam. Dicendum proinde, aut typographicum errorem irrepsisse, vi cuius particula *non* omissa fuit in nota referente Decreto, aut non satis fuisse hoc diligenter lectum; quidquid vero sit, adnotatio, de qua loquimur, non est veritati conformis.

6. Sapiens altera quae statim ibidem sequitur cl. Gonellae adnotatio, qua advertit, cavendum esse Sacerdoti, *ne digitis aut particula ipsa labia aut faciem communicandorum attingat; sed eorum linguam leviter premens extremitate particulae, et ipsam linguae fere affigens, digitos retrahet confestim.* Opportune hic addimus, nonnullos fideles consuetudinem habere os tantum aperiendi, non vero linguam educendi quando communicare debent. Quod si accidat, Sacerdos, quin se exturbet, curet ut particula e digitis suis in os decidat communicandi, quae superius dicta sunt pariter servans.

7. Aequa item addita adnotatio, qua Sacerdotes monentur, ut Orationem *Deus qui nobis sub Sacramento* recitantes, post datam communionem, conclusionem dicant longiorem *(pag. 175 n. 103)*. Namque haec in Ritualibus, quibus impraesentiarum est utendum, habetur, et haec adhibenda, non vero brevior. Equidem principium est, ut conclusiones Orationum extra officium et Missam breviores sint, quae in officio et Missa dicuntur, longiores: constat ex Decreto *Burgi Sancti Sepulchri* d. d. 20 Dec. 1864 ad II. Sed primo observandum, communionem fidelium non esse extraneam a Missa, sed ad eam pertinere, quamvis non necessario. Ex quo fortasse oritur, ut etiam in communione extra Missam conclusio longior in dicta Oratione praescribatur. Sed in hoc haud nimis insistimus, cum alia in communione Oratio, quae paschali tempore dicenda est, sive in Missa, sive extra Missam, cum brevi conclusione inscribatur. Tenendum potius, in officio et Missa conclusiones Orationum semper esse debere longiores; extra officium vero et Missam, breviores quidem esse debere, nisi contrarium in codicibus habeatur, uti ex pluribus constat benedictionibus Ritualis Romani.

8. Optima similiter adnotatio secunda *(ead. pag. eod. num)*, qua monemur Orationem *Spiritum nobis, Domine*, non tantum dicendam quando fideles communicant pro paschali praecepto adimplendo, sed toto tempore paschali: quod ex ipso Rituali apertissime constat.

9. Idem dicas de alia, quam cl. Gonella addit *(p. 177, n. 107)* super unico ministro in Missa privata: quod necesse non est ut comprobetur in

Missis, quae cuiusdam solemnitatis sunt participes, uti esse possunt parochiales, conventuales lectae, atque aliae quae, aliquo occurrente festo, pro solemni celebrantur. Hic autem maioris perspicuitatis gratia animadvertere placet, plurium ministrorum in privata Missa prohibitionem respicere ipsos Celebrantes, ut simplex Presbyter distinguatur ab Episcopo, aut a quibusdam Praelatis id iuris habentibus, non vero solemnitatem Missae, aut festi in quo Missa dicitur. Eadem est ratio de numero candelarum, quae duae esse debent pro simplicibus Presbyteris, quatuor pro Episcopis, aut Praelatis quibusdam, esse possunt. Hic numerus Celebrantes respicit, non Missae solemnitatem, non festum, non altare; quia hae rationes plures exigere queunt in Missa privata candelas, quam duas. At in his casibus satis ab omnibus intelligitur, maiorem candelarum numerum non adhiberi ratione Celebrantis, sed alia de causa, ut proinde prohibitus dici nequeat. Ex. gr. Reliquia est in altari exposita, vel Reliquiae inter candelabra extant, solemnitas est Ecclesiae, et omnes altarium candelae accensae manent, etc. Simplex Presbyter celebraturus exiget ne, ut ceteris candelis extinctis, duae tantum accensae pro Missa maneant? Risu dignum id esse, nemo non videt: hic non adest prohibitionis ratio, neque ipsum obiectum. Ita, cum proportione, de duorum ministrorum vetito iudicandum est: Missa, licet lecta, solemnis censetur, quia parochialis in festo dicitur, vel quia conventualis est, vel quia est praecipua festi quod recolitur in Ecclesia, vel quia generalis in illa habetur communio. Quis in casu ex simplicibus Presbyteris duos recusaret

ministros ob praefatum vetitum? Non est hic prohibitionis ratio, nec prohibitionis obiectum. Ne quid nimis: servetur lex, sed probe intelligatur, ne in scrupulum incidamus, et inobservantiae occasionem, ex severiori iure, non a lege sed ex arbitrio derivante, praebeamus.

10. Alibi opportune notatur, Celebrantis esse aperire Missale, non vero ministri, *uti quidam perperam solent* (*pag. 179, n. 109*). Hoc quoque cl. Gonella adnotasse, non possumus quin commendemus. Compertum est nobis, aliquos Sacerdotes, seu in initio seu sub fine Missae, libenter sinere, ut minister Missale aperiat et signacula inveniat. Certe contra legem est, et probari non debet. Addere placet eiusmodi ut plurimum esse impraesenti ministros, qui Missae privatae imserviunt, ut nihilo plus quam huic officio agendo inepti sint. Pice inquinatas habentes manus, vel aliis sordibus, aut sudore manantes, Missale tangunt et vertunt, hoc est vitiant, maculant, foedant: ex quo quantum sacro volumini ipsique sacrificio dedecus, satis experientia docet. Et ad hoc advertere Ecclesiarum Rectores deberent, ut omnia quae ad Missam attinent, munda sint ac decentia. Dicunt nonnulli, rem esse levem id permittere: esto, reponimus, sed et Sacerdotibus convenit in levioribus, quae Dei cultum respiciunt, diligentiores se ostendere, et cavere ne gravibus inordinationibus sternatur via, quae a minimis semper incipiunt.

11. Quod cl. A Carpo docet (*pag. 187, n. 121*) nempe: « Si quis Cardinalis aut Episcopus Missam planam celebrare voluerit, altare decore ornabitur, quatuor ardentibus cereis », citans in nota Caere-

moniale Episc. Lib. 1, cap. 19, n. 4, cl. Gonella aliquantulum mutat, seu quod citationem attinet, seu quod Codicis verba. Circa primum Adnotator laude dignus est, citatio enim capitis 19 ex errore est, et recte mutatur in 29. Circa alterum simimiliter, re saltem in se inspecta; quia doctrina ab A Capo tradita magis late patet, quam Caeremonialis verba ferant. Nam Codex ait: «In festis solemnibus decet, in eo (*altari*) apponi quatuor candelabra cum candelis accensis..... in aliis festis non ita solemnibus et feriis, sufficiunt duo candelabra». Hinc cl. Gonella adnotat A Carpo verba, advertens, in feriis duo candelabra sufficere. Diximus nihilominus, *re saltem in se inspecta;* quia consuetudo iam obtinens, et quidem probanda, fert ut quatuor candelae semper accendantur, sive pro Cardinalibus sive pro Episcopis Missam private facientibus. Ita fit Romae, et extra generaliter. Opportune hic De Herdt, in quo et Catalani et Decretorum auctoritas continetur, referre autumamus: «Hic autem locus Caeremonialis non ita intelligendus est, ut Episcopo Missam privatam celebrante, in festis solemnibus quatuor et non plures sint accendendae, et in festis non ita solemnibus feriisque tantum duae; per nullum enim Decretum hic locus Caeremonialis ad talem sensum restringitur. Quapropter Catalanus hoc loco notat, Ecclesias vix inveniri, in quibus, Episcopo celebrante, duae solae candelae in altari accendantur; et non putat in Caeremoniali hoc loco prohiberi, quin etiam in feriis accendi possint quatuor, celebrante Episcopo etiam extra dioecesim, ad distinctionem dignitatis Episcopalis (*Prax. Pontif. Lib. I, cap. 29, n. 223, § 4 l. a.*)».

Hinc sequitur cl. A. Carpo doctrinam nulla esse, legis interpretatione spectata, censura dignam, et additam adnotationem verba magis secutam fuisse legis quam sensum: nisi forte advertere Adnotator voluerit, in feriis duas candelas posse sufficere, vel aliis verbis, quatuor non esse necessarias, quod verum est.

12. De ministris sacris, qui solemniter Celebrantem in paramentis induendis adiuvent, cl. A Carpo penitus silet (*pag. 194. n. 133*). Cl. Gonella adnotat, id Rubrica non praescribi, imo Decretum refert in *Neapolitana*, d.d. 13 Jun. 1676 ad 3, quo a S. R. Congñe inquiritur: «An Diaconus et Subdiaconus debeant adiuvare celebraturum, dum sacras induit vestes?» Cui Tribunal respondit: «Negative». Super hoc breviter animadvertimus, verbum *debeant* significare idem ac *obligationem habeant;* consequenter certum est, ministros sacros posse celebraturum adjuvare, non tamen ad id teneri. Praxim cetero, qua ministri sacri celebraturum de facto adiuvant communior est, et maximopere laudabilis; decet enim ut ministri ab ipso sacrario munus proprium adimplere incipiant. Quod et plura etiam incommoda praevenit, quae in dedecus redundant Sacerdotis celebraturi. Hinc ubi eiusmodi consuetudo invecta est, eam maxime commendamus, et ubi non est, laudabiliter, si tamen placeat, induci potest. Addimus pro coronide, Decretum praefatum aliquam passum fuisse mutationem, quae nostram sentiendi rationem confirmabit.

13. Cl. A Carpo loquens de concione infra Missarum solemnia, de salutatione Concionatoris erga Celebrantem et ministros tacet; et cl. Gonella

adnotationem ponit *(pag. 201)*, scribens: « Celebrans et Ministri correspondere debent salutationi Concionatoris discooperiendo caput. Decr. 20 Jul. 1686.» Heic animadvertere credimus, obligationem dictae resalutationis ex citato Decreto non imponi. En eius verba: « Quando in Missa solemni Concionator post salutationem salutat Ministros altaris, seu facit reverentiam, quaeritur: « An debeat Celebrans et Ministri correspondere discooperiendo caput, an non? Facile S. R. Congñi fuisset respondere, affirmative ad primam partem, negative ad secundam: cui tamen placuit sequenti modo respondere: « Non est incongruum, si Ministri altaris et ipse Celebrans salutationi Concionatoris correspondeant (*Angelopolitana 20 Jul. 1686 ad 7*) ». Ubi duo sunt animadvertenda, nempe primo *non est incongruum*, per quam dictionem obligatio, uti patet, non imponitur: secundo silentium super discooperiendo capite, ut resalutatio fieri etiam possit cum sola inclinatione.

14. Sed leviora haec sunt, quae imperfectionem quamdam praeseferunt, additamentis pluribus perpensis, praeter notata, quibus Caeremoniale per cl. Gonella factum est ditius. Nunc enim doctrinam ab A. Carpo traditam magismagisque declarat, uti ex. gr. circa orationem, cui ante Missam vacandum a Sacerdote (*pag. 112*); de paramentis, si ex necessitate sumenda ad altare, nullo pacto in eodem, sed in loco separato induendis; de aqua benedicta vel sumenda, vel non, pro commoditate a Sacerdote ad altare pro Missa eunte (*pag. 115*); de vetito, ne Episcopus aquam in calicem fundendam in Missa privata benedicat (*pag. 150*), etc. etc. etc. Nunc novum ius liturgicum adducitur, ut antiquum

clarius fiat, uti super Missis votivis recentius concessis ordinandis (*pag. 165*); de unica benedictione Sponsae non deneganda, quamvis cum sponso in matrimonio vixerit (*pag. 169*); de Missa de requie, etsi praesente cadavere, vetita in festis S. Joseph, et Dedicationis (*pag. 269*), quibus nunc addendum, praeter festum Deiparae Imm., etiam eiusdem Annuntiationis, etc. etc. Haec quidem, ut nil dicamus de Appendice Decretorum in fine Operis posita, ac de aliis additamentis, quae perfectius utiliusque Caeremoniale reddunt, uti de consecratione Ecclesiae, de officio Patroni ac Tituli, de adnotandis circa Orationem *A cunctis*, etc. Quae omnia ac singula nos movent, ut praefatum Opus universis Consociatis nostris enixe commendemus.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

I.

Cum a triennio Ambrosius nobilis vir gravi ac diro morbo decumberet, de hoc prae caeteris, pro animi sui pietate, afficiebatur moerore, quod eucharistico Sacrificio adesse prohiberetur. Occasionem itaque nactus qua Petrus finitimae dioecesis Ordinarius, et nuper suae dioecesis administrator

renunciatus, sacrae visitationis causa illuc advenerat, eum enixe rogavit ut extremis hisce peregrinationis suae diebus, in propinquiori cubiculo Missae celebrationem aliquoties saltem in hebdomada sibi vellet indulgere. Anceps aliquantulum haesit Petrus veritus ne dum piis Ambrosii votis satisfaceret, facultatis suae hac super re limites excederet. At Vicarius generalis, qui et ipse aderat, in iis rerum adiunctis illud ab eo permitti posse opinabatur, eo vel maxime quod defuncti eiusdem parentes oratorii privati privilegio iam a Sancta Sede ditati fuerant. Qua de re Petrus perlibenter annuit ut oratorium ad ipsius Ambrosii mentem erigeretur pro unica Missa quotidie celebranda. Post aliquot autem dies ingravescente morbo, Parochus, ea fretus facultate, missam ibidem celebrans, sacram Eucharistiam ad modum viatici aegroto administravit: quinimo, eo insequenti die summo mane e vivis sublato, Missam de requie ut in die obitus ibidem pariter celebravit, antequam e domo defuncti discederet. Quaeritur:

1. *Quid veniat nomine* Oratorii *iuxta primaevam et vigentem Ecclesiae disciplinam?*

2. *In quo differat publicum Oratorium a privato seu domestico; hocque ab ara viatoria sive altari portatili?*

3. *Cui competat ius facultatem Oratorii privati concedendi: et num etiam Episcopis vel aliis iurisdictionem habentibus aliquando tribuatur?*

4. *Quid ergo dicendum de singulis in casu propositis, deque Episcopi, Vicarii et Parochi agendi ratione?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Caesaris Magliozzi Pontif. Seminarii Pii Alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 14 Nov. 1894: acta Epitoma per Rmum Dom. Philippum M. Canon. Difava.

I. Vetustissimo Ecclesiae usu vocabulum *Oratorium* receptum est ad omnia significanda loca, quae divino cultui dedicabantur, sive ad Sacrificium offerendum, sive ad psalmos canendos, sive ad alia religionis officia adimplenda; cum enim ibi potissimum fideles orarent, omnia indistincte Oratoria sunt dicta, teste Augustino (*Regula N. 3*): « Oratorium ad quod factum est nomen accepit ». Christus ipse locum divino cultui dicatum *domum orationis* appellavit. Hinc factum est, ut etiam Chorus sub nomine Oratorii veniret, ex eo nimirum quod in Choro praecipue, longiores ferventioresque orationes recitabantur.

Haec igitur vox ab antiquo, latiori sensu accepta, nullam designabat inter varia loca sacra differentiam, quae proinde esse poterant publica vel privata, magna vel parva, praecipua vel secundaria, ut videre est pluribus in locis operum SS. Patrum, a quibus recitandis brevitatis ergo abstinemus. Serius tamen alia invecta sunt nomina ad clariorem magisque distinctam loquendi rationem, quae prioris sensum coarctarunt. Ita ex. gr. *Martyrium*, Sepulchra Martyrum designabat; *Basilica* et *Templum*, aedificiorum amplitudinem ac magnificentiam; *Ecclesia* vero communiter accipiebatur, ad multitudinem fidelium

in loco divino cultui dicato collectam denotandam, ex graeco vocabulo, quod apud veteres civium conventum indicabat, ab araldo convocatum. Exinde, saeculo circiter quinto, *Oratorium* coeptum est haberi pro loco sacro minoris formae, humilioris cultus, tum apud Latinos tum apud Graecos. Audiatur S. Gregorius Turonensis loquens de parva aede in honorem S. Patrocli erecta, quam *Oratorium* vocat: « erat... parvulum Oratorium in quo unus tantum Clericus serviebat ». Sed cum postea amplificata fuerit, nomine *Basilicae* honorat: « populus autem magis honorare coepit Martyrem, constructaque super eum Basilica, etc. » Socrates similiter vocat *Oratorium* parvum sacrum aedificium, quod deinde *Basilicam* nominat ex opere adiecto: « Eodem tempore Gregorius ab urbe Nazianzo, translatus intra urbem regiam, in exiguo Oratorio conventus agebat; postea imperatores, cum maximam Basilicam adiunxissent, Anastasiae nomen ei indiderunt ». Imo ex loci angustia Oratoria etiam cubicula dicta sunt. Temporis progressu, Cappellae monasteriorum nomen Oratorii accepere, eo quod ibi monachi orationes aliaque pietatis exercitia peragerent privatim, absque populi interventu. Evagrius (*Vitae Ss. Patr. c. V.*) Ecclesias ab Oratoriis discriminat: « Sunt in ipsa urbe... duodecim Ecclesiae in quibus publicus agitur populi conventus, exceptis monasteriis, in quibus per singula loca orationum domus sunt, quae certis temporibus ad orationem frequentantur ». In his ceterum Oratoriis, praeterquam fideles ingredi prohibebantur, nec collectae fieri poterant, unice enim orationi et psalmodiae reservabantur, nec S. Communio sumi, nec Missarum solemnia

celebrari, hoc iure solis parochialibus Ecclesiis reservato. Hoc super negotio, haec Synodus Agathensis, Can. XXI: « Si quis... Oratorium in agro habere voluerit, ut ibi Missas teneat, iusta ordinatione permittimus. Pascha vero, Natalem Domini, Epiphaniam Domini, Ascensionem Domini, Pentecosten et Natalem S. Jo: Baptistae, nonnisi in civitatibus aut in paroeciis teneat. » Hisce ruralibus Oratoriis addenda sunt quae privatae personae domi habebant, in proprium commodum, salvis iuribus paroeciae. Diploma Ludovici Francorum Regis, an. 1154, talium Oratoriorum existentiam testatur: « Sciant universi, praesentes et futuri, quod in honore B. M. Matris Domini, Parisiis in domo nostra Oratorium quoddam construximus, in cuius dedicatione, pro victualibus Sacerdotis in Cappella eadem servientis dotem assignavimus, et annualem redditum »; quamvis haud recte supponerentur ea tantum aetate exorta privata domorum Oratoria. Iam enim ab Apostolorum tempore, non quidem nomine, re tamen extitisse constans traditio est. Re quidem vera S. Petrum scimus celebrasse in Pudentis Senatoris Romani domo (*card. Baronius*). Saeculo IV ineunte, S. Saturninus, spreto Diocletiani decreto, in domo Octavii celebravit (*Ruinart*). Doctissimus Lambertini (*Benedictus XIV*) narrat S. Ambrosium post medium IV saeculum, Romae invitatum fuisse ad Missam in privata domo cuiusdam nobilis matronae faciendam. Praeterea Sacramentarium Gallicanum a Mabillonio publicatum (*Mus. Ital. T. I. p. 364*), orationem continet in Missa dicendam *in domo cuiuslibet*. Saeculo VI et VII oratoria vocabantur Cappellae, quae in coemeteriis aut alibi extabant,

absque baptisterio et publico officio, ad quas Episcopus interdum certis de causis Sacerdotem ad celebrandum mittebat. Alia Cappellanum seu Presbyterum titularem habebant, ita fundatore disponente, vel fidelium concursu requirente. Temporis progressu, haud pauca ex his Oratoriis, multiplicato fidelium numero, in parochias sunt erecta. Difficile tamen tempus, ex quo vocabulum *Oratorium* Ecclesias aut Cappellas haud fruentes iuribus parochialibus designabat, distingueretur; profecto, apud Latinos, usque a saeculo IX rarissime pro publico sacro aedificio usurpabatur, fere semper ad privatum et domesticum sacrarium indicandum.

Ex dictis manifestum fit quantam subierit limitationem, temporis decursu, sensus verbi *Oratorium*. Ab initio, quemcumque locum sacrum communiter denotavit, nostra aetate vix in populi ore reperitur, qui Ecclesiolam seu Cappellam vocare parvas aedes sacras consuevit. Ceterum in nostro loquendi modo, privatas Cappellas indicat; si autem sint publicae, vel ad aliquam maiorem Ecclesiam pertinentes considerantur, vel sunt valde angustae, vel raro patent aut de sero tantum, vel in locis reperiuntur magis remotis et minus habitatis.

II. Secundo inquiritur: 1° in quo differat publicum Oratorium a privato seu domestico, 2° hocque ab Ara viatoria sive Altari portatili. Quoad primam quaestionis partem, notandum quod quamvis Oratorium publicum cum privato conveniat in idea generali sacri aedificii parvi ambitus, iuribus parochialibus carentis, tamen non uno nomine differt. Et re sane vera Oratorium publicum proprie dicitur quod, Ordinarii accedente auctoritate

erectum ad Missas celebrandas, patente cunctis ostio, divino cultui perpetuo mancipatur, solemni benedictione Episcopi aut Sacerdotis delegati. In eo autem praecipue differre deprehenditur ab Ecclesiis non parochialibus, quod hae ut plurimum maioris sunt structurae, solemni consecratione, non vero benedictione dedicantur, et ad publicam utilitatem eriguntur, dum Oratorium publicum praecipue ad usum alicuius piae Sodalitatis, nobilis familiae, collegii etc. fundatur. Consequenter uti Oratoria publica Cappellae Seminariorum, Hospitalium, Monasteriorum, aliarumque piarum domorum nec non Episcoporum considerantur, uti ex plurimis Apostolicae Sedis Decretis docemur. Oratorium privatum e contra, illud est quod usui privatae domus reservatur, aditu haud publice patente. Conceditur ex Apostolico Indulto quibusdam determinatis personis, seu familiis, sub certis clausolis et ea conditione ut ab Episcopo visitetur et adprobetur. In his ergo differt Oratorium publicum a privato: 1° ratione concedentis; 2° ratione temporis, publica namque perpetuo dedicantur, non item privata; 3° ratione personarum, quibus usus extenditur; 4° ratione benedictionis, qua publica tantum dedicantur; 5° ratione sacrorum rituum, qui peraguntur, in publicis enim plures quotidie Missae celebrari possunt, etiam solemnis, S. Communio distribuitur, Confessiones audiuntur, Campanae pulsantur, dum in privatis unica permittitur Missa, solemnioribus adhuc exceptis diebus, et quidem plana, S. Communio et Poenitentia non administrantur, nisi ex speciali indulto, Campanae non adhibentur.

Nunc ad discrimen dignoscendum inter pri-

vatum Oratorium et Aram viatoriam. S. C. Indulg. et SS. Reliq. die 20 Martii 1846 in *Mechlinien.* sic altare portatile definivit: « Altare, ut dicitur, *Viaticum*, quod constat tantum ex uno lapide integro tantae magnitudinis, ut Calicis pedem cum Patena saltem quoad maiorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur ». Hinc, Oratorium privatum innuit locum determinatum in quo Altare situm est; Ara viatoria solum Altare faciliter asportabile. Insuper Altare Oratorii privati constare ex muro vel marmore debet cum suo lapide consecrato, aut etiam ligno, hoc tamen casu, parieti adhaerere, ita ut fixum dici possit. Decretum refero S. R. C. d. d. 3 Decembris 1661 in una Nullius Loci Cirignolae: « Habens indultum a Sede Apostolica erigendi Oratorium privatum in propria domo, si voluerit ibi aedificare Altare ligneum, non indiget facultate apostolica, dummodo altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et Altaris portatilis imaginem non praeseferat ». Adeo determinatus esse debet locus, adeo stabile Altare, ut amittatur privilegium loco immutato. Quos autem intra limites uti quis poterit privilegio, ex verbis Indulti edocebitur. Adde et aliud discrimen: Ara viatoria iis conceditur, qui huc illuc saepe vagari coacti, haud possunt locum determinatum ad Sacrum faciendum praesto habere, celebrant porro ex Apostolico indulto super illum parvum lapidem rite consecratum. Uno verbo privilegium Oratorii privati differt ab illo Altaris portatilis, quia in hoc ait Gatticus: *maior amplitudo favoris, nullam exceptionem loci honesti et congrui determinans, continetur.*

III. Ex nimia Episcoporum indulgentia in concedendo privatis personis usu domestici Oratorii, factum est ut templa deserta fuerint, et erga Divinam Victimam reverentia imminuta, imo et scandala ortum habuerint. Aequum proinde Tridentinis Patribus visum est in Sess. 22 Decretum promulgare de observandis et evitandis in celebratione Missae, quo statuitur: « ne patiantur (locorum Ordinarii) privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a Saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi ». Ex hoc putavere quidam, nullimode imminutam Episcopis facultatem concedendi Oratorii privati usum, sed tantum repressum privatorum arbitrium. Alii vero radicitus demptam dixere. Horum tamen reiicienda sententia. Securius ea est tenenda, quam plures cum Gattico tuentur; asserunt hi, nec integre mansisse, nec omnimode demptam fuisse hanc facultatem, sed eam exinde concedere potuisse *quoties legitima causa suadebat,* idest per modum actus. Re quidem vera post Tridentinum Decretum quotquot privilegium optarent, ad Romanum Pontificem recurrebant, nec sufficiens videbatur unicus nobilitatis titulus, nisi Reges aut magni Principes fuissent. Nec desunt S. Congregationis Concilii decreta, quae hanc sequendam praxim edicunt, quinimo litteris encyclicis Pauli V, 10 Martii 1615, quas Benedictus XIV confirmavit Const. *Magno cum animi,* 2 Iun. 1751, ius exclusive reservatur Rom. Pontifici. Haec tamen, patroni huius sententiae ad mentem Decreti Tridentini reducunt, autumantque data legitima causa,

aut in quadam necessitate, hoc posse iure Episcopos uti; scopus enim Decreti fuit, abusus eliminare et frequentiam ad Ecclesias haud imminuere; ergo « quis, sequitur Gatticus, ista considerans non illico prudenter coniicit, alienum fuisse a mente Patrum Tridentinorum Episcopis prohibere, ne Missam domesticam concederent, quando necessitas aut gravis causa non solum a periculis malisque praedictis securam, sed etiam valde opportunam aut necessariam eiusdem celebrationem in privata domo ac privato Oratorio redderet? » Hic idem fuit S. Caroli Borromaei sentiendi modus, nec tamen quaenam sint hae gravissimae causae recensere ausus est. Sacrae C. C. nec nobilis infimi causa sufficiens visa est, neque per se Viatici administrandi ratio. Nec mirum, cum honor et decus divinis debita mysteriis hanc sapientissimam imponere videantur oeconomiam. Ceterum a primaevo Ecclesia temperavit rigore, et mediam fere dicam tenens viam, quaemadmodum nec tam facilem sese ostendit in concedendo usu habituali Oratorii privati, nec tam austeram in negando, ita hanc facultatem recens Episcopis adseruit *si magnae et urgentes vere adsint causae, idque per modum actus tantummodo.* (S. C. C. in *Calatayeronen.* Orat. priv. 20 Dec. 1833). Romae ex. gr. haec consequenter invaluit praxis: ab Emo Cardinali Vicario per actum transeuntem conceditur, per modum habitus, a Sacris Congregationibus.

IV. Quid ergo dicendum de singulis in casu propositis, deque Episcopi, Vicarii et Parochi agendi ratione? — Magnae et urgentes causae non videntur pietas, moeror et infirmitas Ambrosii, nec eius nobilitas, ut Episcopus Missam, et quidem

ad tempus indeterminatum permittere potuisset, nisi speciali Apostolica delegatione munitus Ambrosii desiderio satisfecisset. Absque speciali Apostolica facultate, potuisset tamen votis obsecundare, ipsemet celebrando, utens privilegio *Arae viatoriae,* si eo tempore, nempe S. Visitationis, domum Ambrosii ad diversandum elegisset (*Innoc. XIII*, *Const.* Apostolici ministerii). Erravit autem Vicarius generalis, facultatem parentibus Ambrosii concessam, illi extendendo; temporaneum enim et personale huiusmodi est indultum. Parochus, in casu putabat rite concessam celebrandi facultatem, non est ergo arguendus de Missae celebratione, quoad autem Viatici administrationem, distinguendum: aut adeo infirmus periculose decumbebat, ut difficillime ex paroecia SS. Sacramentum deferri potuisset, et tunc recte se gessit; potest enim Parochus hoc in casu celebrare ad hunc finem, etiam extra domum infirmi in quolibet privato Oratorio, ac etiam absente indultario, indeque S. Viaticum deferre (S. R. C. in *Veronen.* 27 Aug. 1836); aut talis difficultas haud serio excogitata fuit, et tunc male operatus est: in privatis enim Oratoriis Eucharistia et Poenitentia nonnisi de Ordinarii expressa licentia administrari possunt nisi tamen dicere velis Parochum ex quocumque loco S. Viaticum sumere posse. Tandem certo erravit Parochus Missam celebrans insequenti die, et ex duplici capite: 1° quia facultatem, quam legitime Ambrosio concessam supposuerat, cessatam iudicare debebat morte privilegiati; 2° quia Missam ut in die obitus celebrare nequibat, etiamsi ritus diei permisisset, eo quod pro Missa in die obitus seu depositionis, intelligitur Missa exequialis.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E. Borussia.* **De quorumdam festorum occurrentia.** Apud nos die 18 Aug. occurrit festum S. Helenae dup. II cl. cum octava; eodemque die, anno 1896, recolitur festum Assumptionis Deiparae, quod perpetuo a sua die 15 Aug. in Dominicam proxime sequentem, ex privilegio, transferri debet. Die autem 25 eiusdem mensis simul occurrunt: octava dies S. Helenae, octava dies Assumptionis, et etiam festum purissimi Cordis B. M. V. quod hic recolitur semper in Dominica prima Assumptionem sequente. De quo ex tribus hisce festis officium agendum est die 25 Aug.?

Resp. Supponimus, festum SS. Cordis Deiparae fieri sub ritu dup. maiori, cum Dubium de eo sileat, uti in Calendariis generaliter notatur. Quo posito, facilis apparet propositae difficultatis resolutio. Nam abstractione facta a festo purissimi Cordis B. Mariae, de quo mox dicemus, aut de S. Helena infra octavam suam factum est, aut extra eamdem translata fuit, die namque 18 Aug. indubie faciendum erat de festo Assumptionis. Nunc autem, si extra octavam translata fuit, de die octava Deiparae faciendum esse satis superque patet (1); si vero intra dictam octavam

(1) Ne mirentur lectores, hic supponi diem octavam Assumptionis B. M. V. occurrere die 25 Augusti, quamvis dies eius festus sit eiusdem mensis 15.ita Quia privilegium Borussiae con-

locum habere potuit, tunc quoque de eadem die octava Assumptionis est faciendum. Quia, aut S. Helena ut dup. II cl. consideratur, aut uti festum S. Viduae; sed in utroque casu dies eius octava cedit indubie diei octavae Assumptionis. Etenim, cum octava sequatur naturam festi, octava festi dup. II cl. minus digna est quam octava duplicis I classis; et festum cuiuscumque Sancti minus dignum est, quam festum Deiparae, nisi aut ritus obstet aut primarii qualitas, quae in casu non comprobantur. Ergo, si abstrahamus a tertio festo, nempe a SS. Corde B. M. cum duobus praefatis diebus octavis occurrente, de die octava Deiparae Assumptionis faciendum foret. At ulterius procedentes dicimus, hoc quoque tertio festo perpenso, de eadem die octava Assumptionis faciendum esse. Ex hypothesi diximus, dictum festum sub ritu dup. mai. recoli; atqui duplex maius non praevalet in occursu diei alicui octavo, uti ex tabella occurrentiae abunde constat. Ergo, in casu, die 25 Aug. faciendum est de die octava Deiparae Assumptionis; octava

---

cessum, est prorsus singulare, hoc est non solum dat facultatem, ut dictum festum fiat in Dominica immediate sequenti solemnitatem Assumptionis, sed etiam ut nihil de iuribus suis amittat. Consulens enim noster nos edocet, ita ex privilegio in eiusmodi Dominica esse peragendum, ac si *pro loco a die sua amotum non fuerit.* Ceterum nos id ex hypothesi credimus: quod si aliter res se haberet, hoc est dies octava Deiparae occurrat in loco die 22, ut in universa Ecclesia, quod et suspicamur ob silentium consulentis, pariter agendum est die 25 Aug. de die octava S. Helenae, si eius infra octavam celebratum sit festum, ex eadem super exposita ratione, quod dup. maius non valet diei octavae in occursu praevalere.

autem dies S. Helenae, si occurrat, redigenda est ad ritum simplicem, et festum SS. Cordis Deiparae aut transferendum in diem primam liberam, aut omittendum iuxta concessionem.

Casus unicus dari posset, in quo faciendum esset de die octava S. Helenae, si nempe omnes dies infra eius octavam fuissent impediti, et sola dies octava superesset. Tunc namque dies octava, quae festi complementum est, censetur ut verum festum occurrens, quasi dup. II classis, et alii diei octavae festi celebrati praevaleret, et alii occurrenti festo dup. maiori. Haec dispositio est, vel certe infertur ex pluribus decretis, quae quidem inter se comparata aliquam praeseferunt obscuritatem, sed pleniori iam in luce fuere posita. Sunt autem: *Conchen.* 12 Mart. 1618, *Veronen.* num. 5196 ad 3, *Urbis* 16 Febr. 1754, *Venetiarum* 7 Dec. 1844, etc. etc.

Nota. Occurrentibus simul festo Inventionis S. Crucis, generali, ac Dominicae affixo, et festo S. Tunicae D. N. I. C. proprio, et affixo diei mensis, utroque eiusdem ritus et secundario, optimo iure illi istud praefertur.

II. *E Spalato in Dalmatia.* **De significatione diei quasi-natalitiae.** Quaeritur, quid dies *quasi-natalitia* significet, et quousque extendatur.

Resp. 1. Dies *quasi-natalitia* Sanctorum significat diem illum, in quo aliquis ex Sanctis non quidem obiit, et ad caelestem vitam migravit, sed vere festum illius recolitur ex potestate Sanctae Sedis, quae dictum diem ad hoc selegit. Differt a die perpetuo translata seu *assignata*: 1. Quia haec eligitur ab Episcopo ad normam et ex lege Rubricarum. 2. Quia in hac, licet festum

ob perpetuam translationem censeatur celebrari, si severius loquamur ita non est: ut si dies *natalitia* vel *quasi-natalitia*, iam impedita libera evadat, dies *assignata* cesset atque iterum dies *natalitia* vel *quasi-natalitia* resumi debeat: quod nullo pacto de *quasi-natalitia* comprobatur. 3. Quia dies *quasi-natalitia* est vere dies *propria*, quae ab omnibus celebratur, etiam ab iis, qui festum patronale celebrant: dum e contra dies *assignata* non est *propria*, sed quasi dicam ad instar propriae, et non recolitur nisi ab aliqua particulari Ecclesia, quae diem *propriam* habet impeditam. Hinc utramque diem confundere, quantum credimus, est gravissimus error liturgicus.

Resp. 2. Rubricae nullum discrimen ponunt inter officia, quae in die natalitia aut quasi-natalitia recoluntur, et alia, quae extra eiusmodi diem celebrantur, sive de perpetua sive de accidentali translatione agatur. Adeo ut Sancti, sive die *propria* sive die *non propria* recolantur, eodem modo celebrandi sint, iisdemque regulis subiiciantur, tam in occursu quam in concursu. Haec quidem, si generaliter loquamur, et peculiariter quod spectat celebrationem officii; si enim attendatur aliquod festum privilegiatum, vel solemnitas festorum quorumdam, dari potest, imo datur revera aliquod discrimen. Constat ex Decreto Gen. *In Catalogo* 27 Aug. 1893, uti ex Decreto in *Tornacen.* disponente, festa, saltem titularia, habentia octavam, hanc non amittere in translatione perpetua, uti in accidentali amittunt. Hinc patet, in officiorum celebratione nullum habendum esse, generaliter, respectum ad diem sive *natalitiam*, sive *quasi-natalitiam*, sive

assignatam, sive *translatam*: consequenter diem *quasi-natalitiam*, de qua inquiritur, nullam habere extensionem.

III. *E Subalpinis.* **De officiis, parvo B. M. et defunctorum recitandis in die Dominicae anticipatae.** Cum officium Dominicae anticipatae, iuxta Ephemerides, sit, potius quam feriale, ad instar ferialis, et indubie pertineat ad Dominicam ut meliori iure nuncupatri possit dominicale (*an. praes. pag. 412*); die 28 Ian. sequentis anni 1896, in qua anticipatur officium Dom. VI post Epiphaniam, omittenda ne erunt in choro officium parvum B. M. officium Defunctorum, imo et Missa, contra id quod docet A Carpo, seu in Calendario Perpetuo, seu in Bibliotheca liturgica? An potius, iuxta eiusdem auctoris doctrinam, omnia more solito peragenda sunt, ut in feria?

Resp. Citra omne dubium negative ad primum, ad alterum vero affirmative. Aliud enim est, officium Dominicae anticipandae ad eamdem Dominicam pertinere, cuius loco subrogatur, et meliori iure appellari posse dominicale, quam feriale, quia plures partes speciales e Dominica accipiuntur; et aliud est, diem illam, in qua hoc officium recitatur, esse Dominicam, et idem officium esse Dominicae, seu quod in Dominica recitandum praescribitur. Illud autem, quod Ephemerides docuerunt, satis est ut ius, quo officium Dominicae fruitur, non cedendi locum officic votivo, omnino servetur. Cum enim stet pro officio Dominicae, habeatque plures illius partes, unde et officium Dominicae, quamvis anticipandae, dicitur; recto quoque sensui conforme est, ut

votivo praeferatur, sicuti officium, quod in Dominica recitatur.

Hinc ipsamet S. R. C. sententiam Ephemeridum Decreto in *Romana* ad 1 confirmavit. Istud vero, quod supponitur in dubio proposito, a veritate alienum est, et nihilominus requireretur, ut eximat chorum ab officio parvo B. M. et defunctorum, sicuti a relativa Missa. Sufficitur enim officio Dominicae, sed est ad instar ferialis, cuius ritum sequitur: pertinet ad Dominicam, non tamen recitatur in Dominica, sed in feria. Haec autem sufficiunt, ut chorus teneatur dicere parvum B. M. et defunctorum officium cum Missa, prouti Rubricae exigunt.

IV. *E Londino*. **De benedictione post Communionem.** Danda ne est benedictio eis qui immediate ante vel post Missam communicant?

Resp. Affirmative. Ritus in Rituali Rom. praescriptus exigit ut Sacerdos, reposito Sacramento, iis benedicat, quibus communionem dedit (*Rit. Rom. Tit. IV, cap. 2, n. 9*). Unicus excipitur casus de communione, quae datur intra Missam, quia illam daturus est celebrans post Missam (*Rit. Rom. loc. cit. n. 11*). Haec romana praxis, haec praxis omnium in Italia Ecclesiarum, atque generaliter aliarum. Nec alia praxis tenenda, utpote quam credimus Ritualis spiritui oppositam.

Adm. Rev. consulens animadvertit, optimo iure dari benedictionem si post Missam fiat communio: non vero si ante illam, quando qui communionem receperunt, usque ad benedictionem Missae remaneant. Ratio est, quia qui ante Missam immediate communicant, et usque ad finem Missae in Ecclesia manent, benedictionem in fine Missae

accipiunt. — Prouti apparet, eiusmodi ratiocinandi modus non peccare videtur; sed, eo penitius considerato, aliter res se habet. Primo, actus distributionis Eucharistiae, sive post sive ante Missam, nullum cum eadem Missa relationem habet, est videlicet omnino alius et distinctus; ergo eiusmodi actus adimplendus est prouti praescribitur, id est cum benedictione. 2. Distinctio inter communionis distributionem ante vel post Missam immediate, et aliam quae alio tempore dari potest, consistit tantum in diversitate indumentorum. Pone autem ut saepe accidit, Sacerdotem communionem distribuere superpelliceo et stola indutum, ac deinde paramenta pro Missa induere et celebratum pergere: nonne tunc communione a se refectis statim benediceret? Quare ergo, si prius paramentis pro Missa indutus distribuat Eucharistiam, benedicere non deberet? 3. Ratio huiusce benedictionis omittendae esset, quia, si communione refecti usque ad finem Missae remaneant, in eius fine benedictionem accipiunt: secus, bis benedicerentur. Sed notandum in oppositum primo est, illos non bis benedici in eodem actu, sed in actu diverso, ut superius dictum est. Bis quidem benedicerentur, si Celebrans in Missa statim post communionem id ageret; quia communio fidelium in Missa ad ipsam Missam pertinet, licet non necessario. Hinc sapienter Rituale notat, fidelibus qui communicarunt, non dari benedictionem, quam recepturi sunt in fine Missae. Equidem de benedictione iis danda, qui ante Missam communicarunt, Rituale silet, at silet etiam de communione; sed norma pro hoc actu ante Missam, non a communione intra Missam

est sumenda, sed a communione extra eamdem, pro qua eadem ratio militat. Notandum est secundo, assignatam pro benedictione rationem satis esse infirmam ex una parte, et ex altera nimis probare. Infirma est satis; quis enim scire potest, generaliter re inspecta, si qui communicat, usque ad finem sit permansurus, an ante benedictionem Missae discessurus sit? Non potest ergo ob hanc rationem omitti vel dari benedictio post communionem, ac proinde dicta ratio non est computanda. Sed ex altera parte eadem ratio perpensa nimis probat; etenim Sacerdotem oporteret cogere, ut interrogaret communicandos, an remaneret, an potius abire debeant aut velint ab Ecclesia ante Missae benedictionem: quod admitti non potest. Quod si aliquando Sacerdoti intentio communicantium innotescat, nil refert; quia ex quibusdam casibus particularibus non licet momentum derivare ad legem vel normam aliquam constituendam.

V. *E Rota in Dioec. Veronae.* **De concursu dierum infra octavam.** Dies infra octavam non possunt concurrere in suis primis Vesperis, sed tantum in secundis, quod illas non habeant. Quomodo ergo, si in Dominica factum est de duplici, et sequenti die de infra aliquam octavam sit agendum, prima com. post Vesperas de duplici esse potest de infra octavam, quae non concurrit, uti Ephemerides docuerunt (*num. 7 vert. an. pag. 425, IV*), potiusquam de Dominica?

Resp. Dies infra octavam non possunt concurrere in suis primis Vesperis, quas non habent: verumne? Oppositum credimus. Dies enim infra octavam non sunt feriales, quorum officia desinunt

ad Nonam; sed semiduplicis ritus, et seu in occursu seu in concursu celebrantur uti alia semiduplicia, quamvis in aliquo differant. Nam, *infra octavam*, ait Rubrica de Octavis, *fit semiduplex... In Vesperis infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis* festi: ita *T. VII, n. 5*. Hae autem Vesperae sunt ne primae, aut secundae? Rubrica silet. Inferre ne vis, secundas habere, non primas: quia *omnia* dicuntur ut in secundis vesperis? Sed quid nimis hoc esset, quod te velle statim inferre non autumamus. Paulisper attendas Rubricam de concurrentia: « Duplici... concurrente **cum... die infra octavam....**, omnia in secundis Vesperis de duplici cum com. octavae (*Tit. XI, n. 3*) ». Similiter: « Semiduplici festo concurrente **cum... die infra octavam**, a capitulo fit de sequenti, et com. praecedentis (*Loc. cit. n. 4*) ». Item: « Dominica concurrente cum sequenti festo semiduplici et **cum die infra octavam...** omnia de Dominica cum com. octavae (*Loc. cit. n. 6*) ». Obiicientem autem satis peritum ponimus, ut apprime agnoscat, agi in locis relatis de primis Vesperis infra octavam non de secundis, de quibus non oritur pro eo difficultas. Si ergo Rubrica docet, dies infra octavas concurrere in primis Vesperis, certo concludere licet eos posse concurrere quia ab esse ad posse valet illatio. Porro, si dies infra octavam et concurrunt et concurrere possunt cum praecedenti festo, iam satis superque patet, eas primis gaudere Vesperis sicuti semiduplicia, secus concursus huiusmodi repugnaret, quem tamen Rubricas admittere manifeste vidimus. Ergo propositio ab adm. Rev. Obiiciente allata a veritate

aliena est iuxta Rubricas; hinc et falsum consectarium, quod infert.

Ut negotium clarius patescat, si possibile sit, animadvertendum, dies infra octavam psalmos Vesperarum habere, quae tamen in concursu cum aliis Vesperis nunquam possunt habere locum, iuxta Rubricas. Sive enim cum die aliquo infra octavam concurrat duplex, sive semiduplex Sanctorum, sive semiduplex dominicale, Vesperae sunt semper de praecedenti, uti vidimus. Dies autem infra octavam cum alio infra octavam die concurrere quidem potest, sed integrae Vesperae semper erunt de digniori, de quo in occurrentia factum est officium. Simplex autem in suis secundis Vesperis, quas non habet, cum die infra octavam, de qua proinde Vesperae integrae, si illam sequatur, recitantur, concurrere nequit. Haec est ratio, ob quam unas habet Vesperas dies infra octavam, quae, si severius velimus loqui, nec primae nec secundae sunt; quia unae sufficiunt pro Rubricarum legibus implendis, uti in sua natura constitutae fuerunt. Hae tamen Vesperae pro primis inserviunt et pro secundis, iuxta quod earum concurrentia vel activa est vel passiva. Libenter tamen concedimus, admittendum enim necessario est, concurrentiam dierum infra octavam in suis primis Vesperis esse *improprie* dictam; quia unas tantum Vesperas habent, nec nova sunt festa, sed eiusdem festi continuationes. Hinc superius diximus, praefatos dies ab aliis semiduplicibus in aliquo differre, quae concurrentiam habent *proprie* dictam, uti duplicia.

Guyetus quidem dicit, dies infra octavam habere tantum concurrentiam passivam, non acti-

vam, videlicet in secundis, non in primis Vesperis. Sed hoc sensu id dicit, quatenus concurrentia activa, quam habent, in primis nempe Vesperis, nonnisi impropria est; eo quod eaedem semper iterantur Vesperae festi, quae sunt secundae iuxta Rubricas, et ideo fit, quia omnes dies Octavae pro una festivitate computantur (*Sect. III, cap, XIII, q. 1*). Nihilominus, assimilari nequeunt dies infra octavam simplicibus officiis; nam simplicia in secundis Vesperis, quas nullo pacto habent, desinunt enim ad Nonam, concurrere non possunt, sed dies infra octavam concurrunt vere, licet improprie, uti aperte Rubricas praedicare visum est. His omnibus perpensis, Ephemeridum sententiam non credimus immutandam.

Nota. Commemorationes, quae faciendae sunt in Vesperis ratione, ut ita dicam, concomitantiae, sicut S. Pauli in Cathedra S. Petri, S. Petri in Conversione S. Pauli, S. Ioseph in Desponsatione B. M. Virginis, praecedunt quamcumque aliam post Orationem festi; idque ob unicam, quam innuimus, rationem concomitantiae.

VI. *E civitate Segoviensi.* **De praeferentia unius Praefationis propriae prae alia, etiam propria.** In hac dioecesi, sicut et in universa Hispania, celebratur ritu dupl. 1. class. cum Octava festum *secundarium* B. Mariae V. de Columna, die 12. Octobris. Item, die 15. eiusdem mensis agitur (sub eodem ritu) festum *primarium* S. Theresiae Virg. (patronae principalis totius ecclesiasticae Provinciae), cuius Missa gaudet Praefatione propria. Denique, die 19. Octobris recolitur festum cum Officio et Missa S. Petri de Alcantara Conf., quod est ritus dupl.

2. class. pro universa Hispania, prout constat ex decreto d. 31. Maii 1883: ideo in praefato Officio et Missa fieri debet commemoratio de die Octava B. M. V. de Columna, non vero de infra Oct. S. Theresiae. Quaeritur, an in praedicta die 19. Octobris in Missa S. Petri dici debeat Praefatio S. Theresiae, sicuti factum est in praecedentibus diebus 16. et 17.; an e contra praeferenda sit Praefatio B. Mariae Virg.?

Resp. Praeferenda est Praefationi B. M. altera de S. Theresia. Ratio est, quia in festis quae infra octavam aliquam occurrunt et propriam Praefationem non habent, dicenda est Praefatio de octava, iuxta Rubricas. Cum autem duae in casu occurrant octavae, propriam Praefationem habentes, illa profecto dicenda, quae ad digniorem octavam pertinet. Ad rem Cavaleri, doctrinam Guyeti referens suamque faciens: « Quaerit Guyetus, quaenam Praefatio dici debeat in occurrenti festo non habente Praefationem propriam, in concursu duarum Praefationum propriarum, puta duarum octavarum; aut octavae et temporis, quorum utrumque gaudet Praefatione propria, et belle suo modo reponit Lib. 3, cap. 28, q. 5, eam in festo adhibendam esse, quae corresponderet officio, quod celebraretur, si tale festum non occurreret... Dicimus *octavae dignioris,* seu *privilegiatae,* et huius nomine intelligimus octavam, quae praevalet, aut ratione altioris ritus festi, aut ratione maioris dignitatis.... Vel *octavae privilegiatae;* quia si octava aliqua ex particulari privilegio praevaleret contra aliam digniorem, ita ut in ambarum occursu haberet officium, tunc eiusdem Praefatio dici deberet, et non illa octa-

vae dignioris (*Tom. V, cap. XIV, n. XIV*)». Atqui inter duo festa habentia Praefationem propriam, secluso privilegio, praevaleret festum S. Theresiae prae altero B. M. de Columna, quia illud primarium hoc secundario censetur dignius. Ergo in casu Praefatio de S. Theresia dicenda est, excepta hypothesi privilegii pro festo B. M. de Columna, tunc enim istud illi praevaleret, hinc huius non illius diceretur Praefatio.

MONITUM

Calendariis Praemittenda confecimus, et in promptu habemus; sed in sequenti numero vulgabimus, quod in praesenti ex defectu spatii omittere cogimur. Non omnia nihilominus, sed ea tantum, quae necessariora sunt, attingemus.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896.

AD CONSOCIATOS
DEPRECATIO

Cum necessitas nobis urgeat novas conficiendi ordinandique tabulas pro Consočiatorum nominibus eorumque inscriptionibus recensendis, quarum plures sunt mendosae; cumque peroptemus, ut quaevis incommoda, maxime in Ven. Consociatorum damnum, evitentur; enixas et humillimas ad eosdem omnes et singulos Ven.[les] Consociatos nostros, ad quos Ephemerides istae pervenerint, preces fundimus, ut dignentur schedulam, quae ex usu a visitatione nuncupatur, ad infrascriptum ex Ephemeridum Moderatoribus quamprimum mittere, vel typis impresso vel manu tantum exarato nomine, nihil interest, ac relativa directione.

Praeterea eosdem exoramus, ut pro quavis librorum, quos annuntiamus, petitione, vel alio quocumque ad Ephemeridum Directionem aut Administrationem pertinente negotio, vel eidem subscripto Moderatori scribere dignentur, vel Dom. Natali Barbagli e Cōgne Missionis, eiusdem domus Romanae, vel in genere Ephemeridum Directioni aut Administrationi: non vero aliis quibuscumque, ad incommodum atque inordinationem vitanda.

Excusationes facimus, dum interim iisdem Consociatis ex intimo corde grates in antecessum referimus.

C. Mancini
P. C. M.
Ephem. Liturg. Moder.

S. RITUUM CONGREGATIO

QUEBECEN.

R̃mus D̃nus Ludovicus Hazarius Begin, Archiepiscopus Cyrenensis, Administrator Dioecesis Quebecensis, S. R. Congregationi sequentia Dubia diluenda humiliter proposuit, nimirum:

I. An Titulari Festum alicuius Ecclesiae, a die 31 Decembris ad quintam Ianuarii occurrens, habeat octavam?

II. Utrum dies 30 Dec. assignari possit S. Anastasiae Mart. in Ecclesia propria?

III. Utrum in Ecclesia propria Festum S. Titi celebrandum sit die 4.ª Ian. an. 6.ª Februarii?

IV. Quomodo in Ecclesia S. Adriani Mart. cuius festum occurrit die octava Septembris, ordinari debeat officium Nativitatis B. M. V. et dies eius octava, cum dies 9.ª et 10.ª Sept. a festis duplicibus minoribus sint impeditae?

V. An valide possit Episcopus pro Titulari alicuius novae Ecclesiae designare festum, quod neque in Martyrologio, neque in Supplemento Dioecesis reperitur?

VI. Quonam tempore duodecim cerei ardere debeant in Anniversario Ecclesiae consecratae?

VII. Utrum die octava eiusdem Anniversarii Ecclesiae consecratae, cerei pariter accendi debeant, aut possint?

VIII. Utrum Decretum in Alifaxien. editum die 16ª Aprilis 1886, ad 3um, iuxta quod dies ele-

ctionis Episcopi, quoad anniversarium in Dioecesi celebrandum, non ea est qua Bullae datae fuerunt, sed illa qua fuit in Consistorio proclamatus, spectet etiam ad Episcopos per Sacram Congregationem de Propaganda Fide institutos, qui frequenter Bullas receperunt, Dioecesis possessionem acceperunt, imo consecrati fuerunt aliquo tempore ante Consistorium, in quo proclamantur?

IX. Utrum lectiones II Nocturni, die octava alicuius Sancti, quae non reperiuntur in Breviario, debeant, deficiente Octavario, sumi de Communi primo loco, an vero de die festo iuxta Decretum in una Provinciae ecclesiasticae Quebecen., die 15 Apr. 1880 ad 4um?

X. An Solemnitas SSmi Cordis Iesu possit iuxta regulas ceteris Solemnitatibus communes peragi?

XI. Utrum Ordinario liceat, ubi ad fovendam devotionem expedit, quibusdam Titularium Ecclesiarum parochialium Solemnitatibus assignare certas per annum Dominicas, etiam ab ipso die festo distantes?

XII. An Solemnitati Annunciationis B. M. V. iam concessae, valeat assignari in perpetuum Dominica IIa post Pascha, nisi occurrat festum dup. primae classis?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative iuxta Rubricas.

Ad II. Affirmative, non omissa commemoratione S. Anastasiae in secunda Missa Nativitatis, ratione Stationis.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta Martyrologium Romanum.

Ad IV. Quum die 8.ª Sept. faciendum sit de S. Adriano Mart. Ecclesiae Titulo, die 9 eiusdem mensis fiat de Nativitate B. M. V. absque integra octava, prout Romae fit in Diaconia S. Adriani Mart., translato festo duplici illa die occurrente, in primam aliam liberam iuxta Rubricas.

Ad V. Negative.

Ad VI. Per integrum et solum diem, incipiendo a primis Vesperis.

Ad VII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad VIII. Affirmative.

Ad IX. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad X. Negative, nisi sit festum de praecepto.

Ad XI et XII. Negative.

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 13 Decembris 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius*

SUPER PRAERELATO DECRETO
QUEBECEN.
ANIMADVERSIONES

1. Ratio primi Dubii est, ni fallimur, quia per plura Decreta, utcumque anteriori tempore actum fuerit, statuitur, non posse festa impedita transferri, nisi infra annum. Hinc dubitari potest, utrum festa dictis diebus occurrentia habere

octavam possint, cum eorum celebratio continuet, ratione octavae, insequenti anno. Sed vanum Dubium; festum enim incoeptum, ius ad octavam habens, iure quoque necessario gaudere debet, ut continuetur et compleatur, quamvis post annum, quo initium habuit, absolutum. Hinc octavae Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Ap. et Ss. Innocentium, quae anno praecedenti incoeperunt, anno sequenti absolvuntur iuxta Rubricas. Ergo ad eorum exemplum et a fortiori continuari possunt et debent festa Titularium, quae a die 31 Dec. ad 5 Ian. occurrunt. Nec valet paritas desumpta a prohibita translatione festorum ad annum insequentem; quia nullo iure fruuntur ut amandari possint post annum, quo erant recolenda. E contra festa cum octava ius habent, ut diximus, ut continuentur et absolvantur. Iure proinde merito S. R. C. ad propositum primum Dubium affirmative respondet, imo et iuxta Rubricas.

2. Ad secundum quod attinet Dubium animadverti potest, ideo fortasse quaesitum a S. C. fuisse, num diei 30 Dec. assignari possit S. Anastasia Ecclesiae Titulus, quia eiusmodi die Decreta prohibent fieri posse de translato, quando non est agendum de infra octavam Nativitatis; eo quod hoc in casu agendum esset de Dominica. Hinc, ut Dominicae huiusce non pereat officium, nota lex est, die 30 Dec. non posse perpetuo reponi aliquod translatum. At in casu agitur de Titulo, pro quo unica remanet dies 30 Dec. qua eidem non assignata, de eo fieri amplius in anno non posset. Hinc quamvis aliquando omitti debeat, non tamen integrum, officium Dominicae, S. R. C. censuit dictam diem posse perpetuo S. Anastasiae assignari. Quia non agitur simpliciter de officio, sed de vero festo, quod ad Titularem pertinet, cum iure ad octavam, uti ex primi superioris Dubii resolutione patet. Sapienter ergo a S. R. C. datur affirmativa responsio.

Exigit nihilominus Sacrum Tribunal, ut, quamvis festum S. Anastasiae integre recolendum sit die 30 Decembris, non tamen com. eius omittatur die 25 in secunda Missa Nativitatis, ratione Stationis. Haec enim com. non fit ratione festi; tunc enim, translato festo ad aliam diem, et eius com. transferenda foret. Cum sit ergo Statio, eiusmodi ratio commemorationis, haec omitti non debet in dicta Missa, etsi festum sit alia die celebrandum. Antiquitus in Ecclesia S. Anastasiae, uti Grancolas refert, secunda Missa die Nativitatis, de dicta Sancta canebatur cum com. de Nativitate. Sed aetate S. Pii V, iam sola S. Anastasiae com., et quidem in dicta tantum Ecclesia, obtinebat, et in aliis Urbis, minime vero extra. Cum deinde dictus Summus Pontifex eam inscriptam voluisset in Missali Romano, cum hoc et ipsa com. ad omnes quoque alias Ecclesias transiit (*Comment. in Brev. Rom. Cap. XIV*). Cum proinde eadem ratio pro omnibus Ecclesiis valeat, a dicta com. eximi non debet illa quoque Ecclesia, quae festum S. Anastasiae per integrum celebrat.

3. In tertii Dubii resolutione principium quoddam nos statutum cognoscimus super quo maximi interest, ut paulisper immoremur. S. Titus concessus primum fuit a Pio Papa IX universae Ecclesiae per Decretum Urbis et Orbis d. d. 18 Maii 1854, recolendus die prima libera post pridie nonas, seu post 4 Ianuarii, quae sacra est octavae diei Ss. Innocentium. Quod cum minus congruum visum postea fuisset S. R. Congñi, anno 1856 per novam Breviarii Editionem typis Romae mandatam, diem pro S. Tito determinavit, videlicet 6 Februarii. Haec vero dies non quasi-natalis apparebat, sed simpliciter assignata; quia natalis dies S. Titi est 4 Ianuarii, quae impeditur die octava Ss. Innocentium; et cum dies 6 Febr. diei indeterminatae per modum facti subrogata fuerit a S. R. C., haud potioris iuris videbatur esse

quam illa, quae certe utpote indeterminata diem quasi-natalem constituere non poterat. Arroges, diem quasi-natalem olim consuevisse statui per **Breve** aliquod a Romano Pontifice, uti videmus actum fuisse quod attinet S. Dominicum, S. Vincentium a Paulo, etc.

Quidquid nihilominus sit, impraesenti extra controversiam est, diem 6 Februarii esse quasi-natalem pro S. Tito, cuius die dicta vere festum agitur. Namque Martyrologium Romanum die 4 Ianuarii post Sancti elogium ait: « Agitur eius dies festus octavo idus Februarii, hoc est die 6 dicti mensis, qua eàdem Martyrologium iterum dictum festum annuntiat. Ergo S. Titus duos habet pro sua festivitate dies, *natalem* et *quasi-natalem:* quo autem die ex duobus, illius celebrandum festum? En Dubium, eiusque ratio: S. C. respondet, non die natali, sed quasi-natali; ait enim: *Negative ad primam partem*, nempe die 4 Ian. quae natalis est: *affirmative ad secundam*, videlicet die 6 Februarii, quae est quasi-natalis. Addit autem, *iuxta Martyrologium Romanum*. Ergo, hoc est principium, quod hac in responsione statutum conspicimus: Quando in Martyrologio Romano duo dies habentur pro aliquo recolendo festo, natalis et quasi-natalis, festum non in prima die recolendum est, sed in secunda, seu non in natali, sed in quasi-natali.

4. Gravis quoque nobis apparet resolutio quarti Dubii; agitur enim de festo perpetuo translato, cuius tamen Octava, qua gaudet, non transferenda edicitur. Si de translatione ageretur accidentali, nulla esset quaestio; sed de vera repositione agitur, et nihilominus octava transferenda non est. Quid iudicandum? Insolutam adhuc nos iudicamus quaestionem, num scilicet quodcumque festum octava gaudens eam secum deferat, si perpetuo transferatur, an non: ita ut hoc sit privilegium festorum tantum patronalium, de quo

post Decretum *Tornacen.* d. d. 1 Sept. 1886 amplius non licet ambigere. Nostrum non est negotium definire; fieri enim potuit, ut, cum de Nativitate Deiparae in casu agatur, quae tantum die sequenti est reponenda, S. R. C. opportunius censuerit a rigore Rubricarum recedendum non esse. At dies eadem octava Nativitatis perpetuo redigenda erit ne ad ritum simplicem in occursu cum die octava Patroni? Non dubitamus; festi enim Patroni dignitas praevalet: si praevalet festi dignitas, praevalebit et dignitas octavae. Ergo in casu de die octava Patroni agendum, et de die octava Nativitatis Deiparae sola com. Idem ne diebus infra octavam? Atque ita eadem de ratione credimus. At nonne hoc, inconveniens? Ita arbitramur; sed ex rei natura oritur. Interim ad nos quod attinet, adhuc non credimus, praesentem dispositionem ad alios esse quoscumque casus extendendam; sed tamquam specialem potius esse considerandam, saltem quoadusque clarius se Sacrum Tribunal declaraverit.

Reliquas dispositiones praeterimus, utpote quantum videmus, nil difficultatis, minusque gravitatis praeseferentes.

ROMANA.

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, attentis expositis a Priore et Consilio secreto Archiconfraternitatis Sanctissimi Cordis Iesu erectae in Ecclesia S. Theodori de Urbe, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad dubium: Utrum in anniversariis aliisque diebus, praeter dies commemorationis omnium

fidelium defunctorum, et depositionis defuncti, si totum officium defunctorum ritu duplici recitetur, omittendus sit post Laudes psalmus *De profundis?*

Negative: iuxta Rubricas Breviarii, Missalis et Ritualis Romani ac Decreta praesertim in 2ª *Einsidlen.* 4044 ad 29 die 23 Iulii 1736 ubi legitur: servetur Rubrica Breviarii Romani et Ritualis itidem Romani, et post Vesperas, et Laudes in Officio defunctorum omittantur psalmi: *De profundis,* et *Lauda anima mea Dominum,* tantum in die omnium fidelium defunctorum, et in die depositionis defuncti; et in altera Ordin. Erem. Camald. Montis Coronae 4085 ad 1um die 9 Maii 1739. Atque ita servari mandavit die 10 Ianuarii 1896.

Recens Benedictio a S. R. C. permissa

RITUS

BENEDICTIONIS ET IMPOSITIONIS SACRI NUMISMATIS I. M. V.

Vulgo **Medaglia miracolosa** (S. R. C. 19 April. 1895).

Sacerdos benedicturus Sacrum Numisma Immaculatae Virginis Mariae Conceptionis, superpelliceo et stola indutus absolute incipit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

---

(1) De modo recitandi Defunctorum officium agitur in Institutionibus Liturgicis nuper in lucem editis ad pag. 392, in qua aliquid huic Decreto contrarium tradi videtur. Sed falsum hoc est, cum ibi agatur de officio Defunctorum dicendo tantum in die obitus, uti ex titulo Capituli abunde constat. Confer easdem Institutiones ad pag. 235, et res undequaque patebit.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS. — Omnipotens et misericors Deus qui per multiplices Immaculatae Mariae Virginis apparitiones in terris mirabilia iugiter pro animarum salute operari dignatus es, super hoc numismatis signum, tuam benedictionem benignus infunde, ut pie hoc recolentes ac devote gestantes, et illius patrocinium sentiant et tuam misericordiam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Numisma aspergit aqua benedicta, et ipsum postea imponens dicit:

Accipe sanctum Numisma, gesta fideliter, et digna veneratione prosequere: ut piissima et immaculata caelorum Domina te protegat atque defendat; et pietatis suae prodigia renovans, quae a Deo suppliciter postulaveris tibi misericorditer impetret, ut vivens et moriens in materno eius amplexu feliciter requiescas. Amen.

Vel si sint plures:

Accipite sanctum Numisma, gestate fideliter, et digna veneratione prosequimini: ut piissima et immaculata caelorum Domina vos protegat atque defendat; et pietatis suae prodigia renovans quae a Deo suppliciter postulaveritis vobis misericorditer impetret, ut viventes ac morientes in materno eius amplexu feliciter requiescatis. Amen.

Inde prosequitur:

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster...

℣ Et ne nos inducas in tentationem,

℟ Sed libera nos a malo.

℣ Regina sine labe originali concepta,
℟ Ora pro nobis.
℣ Domine, exaudi orationem meam,
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui beatissimam Virginem Mariam matrem tuam ab origine immaculatam innumeris miraculis clarescere voluisti: concede ut eiusdem patrocinium semper implorantes, gaudia consequamur aeterna. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Hunc novissimum ritum perlibenter vulgavimus, ad maiorem Imm. Virginis gloriam propagandam. Animadvertimus insuper, eamdem benedictionem esse propriam Coñgnis Missionis, eiusque Sup. Generali reservatam: quicumque nihilominus eam impertiri posse desiderant, si petant, et delegari optime posse.

ARCHAEOLOGIA SACRA

X.

De Coemeteriis veterum christianorum quae Romae extant.

(*Confer dissertationem praec. mensis*).

COEMETERIA MAIORA

Coemeterium Ostrianum.

Ponitur inter flumen Anienem, quod Tibur affluit ac influit in Tyberim, et viam Nomentanam, non longe a templo ac coemeterio divae Agnetis ab eoque distinctum. Incerta, sed antiquissima huius nominis origo est: vocatur etiam *Coemeterium ad Nymphas, ad Capream* et *Maius*, iuxta antiqua monumenta. Nymphae locum palustrem denotant, uti reapse ager est quo coemeterium cernitur effossum, praesertim propter propinquitatem fluminis. Caprea et Capreolis ex veteri significatione idem sonat ac paludem (1). Unde arguit cl. De Rossi quod non Campus Martius, sed pars haec suburbani pro loco retinenda sit, quo Romulus a senatoribus

(1) Etiam vocabulum *Veliae*, ex quo Velinum flumen, nec non *Velabrum* loca palustria significant. Qua de re ager, sub quo coemeterium extenditur, hoc nomine nuncupatur, scilicet *Velisci*, in chartula donationis cuiusdam terrae et aquae decurrentis in civitate Tiburtina, quam Amizzo Episcopus Tiburtinus ac nobilis foemina Benedicta monasterio divae Agnetis fecerunt. V. Fea *Consid. stor. fisic. geol.* etc. p. 45. Roma 1827, et *Regest. Tiburt.* quem edidit Aloysius Bruzza, Romae, Typ. a Pace, 1880: p. 85.

necatus est (1). Ex lapidibus vero inibi repertis eruitur dictum fuisse *Coemeterium Maius:* exemplum habeto.

XVI KAL · OCTOB · MARTVRORO *in cimi*
TERV MAIORE VICTORIS FELI *cis*
EMERENTIANETIS ET ALEXAN *dri*

Maius equidem non numero cryptarum aut cuniculorum longitudine, sed potius antiquitate, quippe quod ab Apostolorum aetate originem sumpsit. Nam ex actis Papiae et Mauroleonis (Mauri) eruitur quod coemeterium erat *ad Nymphas ubi Petrus baptizabat* (2); et alio loco dicitur quod Praesbyter Iohannes horum martyrum militum corpora, qui saeculo tertio sub Diocletiano passi sunt, sepelivit *in via nomentana sub die kal. Februarii ad Nymphas, ubi Petrus baptizaverat.* Quamvis de horum actorum sinceritate valde dubitandum sit, ea tamen cum de loco loquuntur veritatem patefaciunt: locus enim non adinvenitur, sed comprobatur, cuius nomen per monumenta ac traditionem servabatur. Idem dicendum de Actis Liberii apocryphis, qui ad initia saeculi sexti referuntur, ubi legimus: *Erat ibi non longe a coemeterio cemeterius Ostrianus, ubi Petrus Apostolus baptizavit* (3). Qua de re index coemeteriorum codici insertus, cui titulus *Mirabilia Urbis Romae*, meminit via Nomentana *Coemeterium fontis S. Petri.*

---

(1) *Del Luogo appell. ad Capream.* Roma, 1884.

(2) Vide horum martyrum acta ap. Mombritium II. 93, qui impraesentiarum requiescunt in aede Virginis *a Vallicella* nuncupatae, ubi etiam S. Philippus Nerius depositus est, aedis eiusdem structor.

(3) Ap. Sarazanium *S. Damasi Papae opera quae extant.* Romae, Typ. Vatic., 1639. De quatuor martyribus in inscriptione supra relata notatis fit mentio etiam in martyrologio antiquissimo Hieronymiano sub die *XVI Kal. Octobris*, a quo, iuxta quaedam exemplaria, coemeterium de quo loquimur *ad caprea* appellatur. V. De Rossi *Rom. Sott.* Tom. I, p. 190.

Huius autem antiquitatem deprehendimus non solum ex ipsa forma effossionum inibi peractarum, sed ex lapidibus inscriptis, qui primaevam dicendi formam praeseferunt, prouti plures lapides coemeterii Priscillae, aetatis item apostolicae, nempe nomen simpliciter ac cognomen absque symbolis, si anchoram excipias.

Id autem singulare inibi reperitur, idest aula, quae saeculum tertium redolet, ad formam basiliculae in ipso lapide rubro seu topho effossa, in cuius extremitate, ad instar absidis, cathedra cernitur cum subselliariis pro clero pariter ex topho efformatis: in medio autem altare erectum cum mensa supra sepulcrum. Quae basilicula luminare illustratur. Ibi inter alias fere obliteratas scripturas nomen lectum est sic exaratum:

*sanc*EMERENTIANE*tis*

scilicet sanctae Emerentianae, divae Agnetis collactaneae, quae a paganis lacessita, dum ad sepulcrum eius oraret, martyr occubuit, ac deposita est *in confinio agelli beatae virginis Agnetis* (iuxta eius acta), idest in coemeterio de quo agimus, sub eodem altare, quod supra memoravimus, ex quo deinde in oratorium inlatum est ad soli superficiem exaedificatum (1).

Altera cathedra, topho excisa, in alio cubiculo cernitur, aliaeque huiusmodi visuntur vel prope ostium cubiculorum, vel ad extremitatem ipsorum, vel una contra aliam, opere plus minus rudi elaboratae; quae quidem in aliis coemeteriis minime reperiuntur. Sententia virorum scientia archaeologica excellentium concors non est ad definiendum quo fine huiusmodi cathedrae excisae fuerint. Ast specialis haec memoria nonne referri equidem potest ad B. Petrum, qui illic

(1) V. Armellini *Scopert. della cript. di S. Emerenziana* etc. Roma, 1877.

baptizavit ibique sedit? Ex sententia cl. De Rossi, in coemeterio Ostriano aliquandiu cathedra divi Petri servata est, qua Romae primum sedit, dum pariter altera cathedra in Vaticana Basilica venerabatur. Etenim de duplici sede loqui videtur Iohannes Abbas in Indice oleorum quae collegit in phialis reginae Theodolindae oblatis (1). In indice ipso legitur — *Oleo de sede ubi prius sedit (scs P)etrus;* et in *pittacio*, seu fascia ex papyro supra phialam posito, quae adhuc in thesauro cathedralis Modiciae (Italiae) servatur: *Pittacia ampullarum: (sedes ubi) prius sedit (scs p)etrus.* Itaque ante cathedras in vasis olea ardebant. Martyrologium Hieronymianum, die 18 Ianuarii, sic adnotat (2): *Dedicatio cathedrae s. Petri apostoli quam primum Romae sedit.* Dedicatio vero Cathedrae Vaticanae, quae usque adhuc servatur, die 22 Februarii celebrabatur (3). Tempore vero Pauli IV, quo scientia archaeologica adhuc erat infans, ipse Pontifex, cum explicare nequivisset cur festum cathedrae divi Petri in Basilica Vaticana celebraretur die 22 Februarii, qua solebat venerari Antiochenae sedis memoria, et minime die 18 Ianuarii, per Bullam *Ineffabilis* anni 1557 statuit ut festum Cathedrae Vaticanae hac postrema die ageretur. Sed reapse die 18 festum colebatur cathedrae coemeterii Ostriani, dum die 22 illud cathedrae Vaticanae. Idque ex eo magis patet quod in codicibus vetustioribus nulla fit mentio de cathedra Antiochiae sub die 22, neque in liturgia Gregoriana (4); quin imo haec memorat expresse Cathedram Romanam hac ipsa die, cum ait: *Omnipotens sempiterne Deus,*

---

(1) V. Fasciculum praecedentis mensis ad fol. 14.

(2) V. Edit. Fiorentini ac novam cura De Rossi.

(3) Olim servabatur in navi transversa Basilicae veteris Vaticanae in baptisterio, quem locum Prudentius cathedram apostolicam appellavit. Confer quae diximus in fasciculo mensis Novembris 1895 ad fol. 653.

(4) Edit. Maurina, p. 313.

qui ineffabili sacramento apostoli tui Petri principatum in romani nominis arce posuisti etc. Etiam in sermone divi Augustini, qui de hac solemnitate loquitur minime invenimus expressam memoriam cathedrae Antiochenae (1).

Picturae huius coemeterii multae sunt et praeclarae, quae in arcosoliis ac cubiculis reperiuntur, praesertim saeculi tertii, quas inter haec notatu dignae existimantur. Pastor cum baculo pastorali, Ionas dormiens sub pergula, isque cete eiectus, Moyses-Petrus rupem percutiens, multiplicatio panis per septem sportas plenas expressa ac conversio aquae in vinum per duas tantum hydrias, bonus Pastor inter oves, Daniel in lacu leonum, tres pueri in camino ignis ardentis, Salvator qui sedens docet, virgines prudentes, sacrificium Abrahae, Magi ad Christum ducti per stellam, Lazari resurrectio, Noe in arca, aliaeque quamplures imagines ac symbola, quae non solum ad significandam Eucharistiam ac remissionem peccatorum valent, verum etiam ad confirmandam resurrectionem Salvatoris per Ionam prophetam, eiusque divinitatem per miracula, nec non Scripturam sacram veteris ac Novi Testamenti.

Postremo loco, ut huius coemeterii vetustatem probemus, addimus ibi multos fuisse lapides repertos, quorum plerique ad locum suum adhuc conspiciuntur, in quibus legere datum est nomina gentilitia primi, secundi ac tertii saeculi, scilicet Flaviorum, Iuliorum, Claudiorum etc. Unam e tot nobilium virorum inibi sepultorum inscriptionem subiicimus.

LVRIA IANVARIA C · F
COELIO FELICISSIMO V · E
CONIVG · KARISS (2)

(1) Sermo 15 de Sanctis.
(2) C. F. Clarissima foemina. V. E. Viro egregio.

Coemeterium Priscillae.

Nomen sumpsit a Priscilla Apostolorum discipula matreque Senatoris Pudentis. Situm est ad tertium ab Urbe lapidem: magnitudine Callixti coemeterio aequiparatur, antiquitate Ostriano. Cum Apostolorum aetate fuerit effossum, ibi non tantum Priscilla deposita est, sed et qui ex Pudentis familia erant, nec non multi illius temporis christianorum. Huius coemeterii antiquitas tum ex forma cuniculorum, tum ex lapidum inscriptorum stilo comprobatur; eo quod inscriptiones simplici admodum dicendi genere notae sunt, et quidem pleraeque tegulis fictilibus minio exaratae: quod quidem factum remotiora tempora denotat. Multa etiam epitaphia eruta sunt, quae de familiis nobilibus ac senatoriis loquuntur. Cura clarissimi viri De Rossi nuper reperta sunt sepulcra ad Moenios Acilios Glabriones spectantia e gente senatoria illustres. Quod quidem iterum iterumque adprobat iam a prima Ecclesiae aetate illustrium virorum nomina inter christianos fuisse relata. Hypogeum Glabrionum ad formam litterae L factum exhibetur, quod erat marmoribus columnisque e numidico marmore decoratum. En inscriptiones duae sarcophagis sculptae.

M ACILIVS V C
C · V
et PRISCILLA C *f*

ACILIO CLABRIONI
FILIO

Spectant igitur nomina haec ad progeniem Acilii Glabrionis, Consulis, anno 91 post Christum natum, qui quasi *molitor rerum novarum* (qua accusatione christiani praesertim designabantur), sub Domitiano martyr occubuit, postquam

imperator illum ad pugnandum cum belluis in amphiteatro Albano coegisset, uti constat ex Dione (1).

Miram quorundam lapidum simplicitatem heic legendas propono; caeteras graecas omitto (2).

ZO	SIME	PAX TE CVM	ancora

LVCRETIA · PAX · TECVM IN DO

MODESTINA	A ω

AGAPE VIVAS IN DEO

CAELESTINA PAX

SABINAE	BEATAE

(3)

Plurimae fidelium martyrumque exuviae hoc in coemeterio conditae sunt. Praeter progeniem Pudentis et Glabrionum illic quieverunt Prisca et Aquila, quas meminit Paulus inquiens (4): *Salutate Priscam et Aquilam adiutores meos in Christo Jesu... et domesticam ecclesiam eorum.* Etiam in Actibus Apostolorum de iis fit mentio. De aliquibus qui inibi depositi sunt audiamus verba Itinerarii Salisburgensis: — *Postea ascendens eadem via ad s. Silvestri ecclesiam, ibi multitudo sanctorum pausat: primum Silvester sanctus pp. et confessor et ad pedes eius s. Syricus* (Siricius) *pp. et in dextera parte Celestinus pp. et Marcellus ep.; Philippus et Foelix mm. et multitudo sanctorum sub altare maiore et in spelunca Crescencius martir* (5) *et in altera s. Prisca martyr et Simitis* (Si-

(1) LXVII, 13; v. etiam Iuvenal. IV, 99-101 et Sveton. in vit. Domit. Lib. VIII.

(2) Ap. De Rossi. *Boll. d'arch. crist.* 1880-1881. Tab. VII, VIII. et *Rom. Sotterr.*

(3) Huic inscriptionum speciei pertinet epitaphium divae Philumenae, quae modo colitur in oppido Mugnani Nolanae Dioeceseos, a nobis relatum in fasciculo praecedentis mensis.

(4) Epist. ad Roman. c. XV.

(5) Ille est qui, cum esset pauper ac mendicans oculisque captus, Levitae Laurentio martyrio consociatus est.

metrius) *pausat in cubiculo, quando exeas, et in altera s. Potenciana martir et Praxidis* (Pudentiana et Praxedes). — Hi martyres e coemeterio in superpositam basilicam S. Silvestri translati sunt, qua eos conspexerat scriptor Itinerarii. Felicis et Philippi, filii sanctae Felicitatis, laudes Damasus carmine cecinit, parieti basilicae affixo, quod incipit:

Cultores Domini Felix pariterque Philippus.

Item elogia posuerat eodem loco Siricio, Coelestino et Marcello Pontificibus, quorum postremus ibi depositus fuerat, Diocletiano in christianos saeviente (1). Praeter hos, multitudo permagna martyrum et christianorum in hoc coemeterio tumulata iacuit.

Huic finitimum, ad dexteram viae Salariae, coemeterium Novellae substernitur, quod cum exstruxisset Marcellus Papa, ab ipsa christiana matrona deinde nomen accepit (2). Notatu vero dignum existimamus, in hypogeis ac cubiculis coemeterii Priscillae frequens fuisse nomen *Petrus* lapidibus sculptum, tum graece tum latine. Origo autem huius nominis cum non sumatur ex familiari usu Graecorum aut Romanorum, memoriae divi Petri Apostoli factum tribuendum est; vel eo magis quod, cum rarissime huiusmodi nomen in aliis coemeteriis reperiatur, in illo vero frequentius, explicari res libet ex familiaritate qua domus Pudentis ac Petrus iungebantur, iuxta antiqua monumenta ac traditionem,

---

(1) Hic, valde longum elogium supra Liberii Papae sepulcrum iamdiu legebatur, quod explicat eius vitam acerbissimas sui aevi tempestates, nec non labores plurimos ab ipso Pontifice exhantlatos pro catholica fide. Illud inspicere datum est in codice Corbeiense, nunc bibliothecae imperialis Peterburgensis et in *Inscript. Christ.* quas edidit De Rossi, Tom. II, p. 83; et in *Boll. d' arch. crist.* 1883. Ipsemet De Rossi in supra citato codice detexit elogium.

(2) V. Duchesne. Etude sur le Lib. Pontif. fol. 77.

cuius domus nobilis progenies ac fideles tituli Pastoris in eodem coemeterio tumulati sunt.

Hoc autem magnam vastationem passus est sub Vithige, anno 537, quo iuxta Anastasium Bibliothecarium in vita Silverii, *ecclesiae et corpora Sanctorum exterminatae sunt a Gothis,* praesertim in regione viae Salariae: alia eidem damna Tothila et Aistulphus reges intulerunt. Coemeterium hoc magnum pluribus regionibus constat, persaepe a scriptoribus confusis, nomine et loco. Inter plura cubicula elegantiora adnotanda est *cappella graeca*, sic dicta a graecis quibusdam epitaphiis, undique picturis exornata, trium scilicet puerorum in fornace ignis, Patriarchae Noe in arca, Moisis rupem percutientis, Susannae a Daniele de falso crimine liberatae. Huic proximum aliud extat cubiculum picturis item illustre; ibi enim conspiciuntur Abraham et Isaac, qui ligna gestat pro sacrificio, Ionas, quem cete eiicit, tres pueri inter flammas ignis constituti, Deo puellae consecratio, cui velum imponitur ad votum virginitatis significandum, nec non B. Virgo puerum Iesum gestans in ulnis suis. Diximus iam de alia percelebri Virginis imagine, quae in alio cubiculo cernitur, cuius pictura ad saeculum secundum referenda est (1).

In hoc item coemeterio intuemur Christum pastorem in persona Orphaei Citharaedi, qui lyram digitis increpans ad se feras trahit; quod quidem his verbis explicatur Salvatoris: *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Imaginem huiusmodi conspicimus hoc tantum in loco, in coemeterio Callixti ac in illo Domitillae ubi bis udo depicta est.

Postremo loco, secundam partem lapidis, a clarissimo De Rossi eruti, hic referam, in quo Pater ac Filius Dei peculiariter nominantur, roganturque fratres ut preces pro anima

(1) V. quae explicavimus in fasciculo mensis Iunii anni 1895.

Agapis fundant in sacris conventibus; ex quo non sclum efficacia precum comprobatur, verum etiam contra doctrinas Protestantium suffragii utilitas pro defunctis non adhuc poena solutis. Pariter verba *rogatis* et *meminisse*, inscriptionis quam subiicimus, luculenter explicant ea verba quae in canone Missae antiquissimo legimus: — Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices *rogamus* ac petimus etc; nec non alia in primaevo etiam canone adhibita. — *Memento*, Domine, famulorum famularumque tuarum etc. (1).

EVCHARIS · EST · MATER · PIVS · ET · PATER · EST · *mi*
VOS PRECOR O FRATRES · ORARE · HVC · QVANDO VENI*tis*
ET PRECIBVS · TOTIS · PATREM · NATVMQVE ROGATIS
SIT · VESTRAE · MENTIS · AGAPES · CARAE · MEMINISSE
VT DEVS · OMNIPOTENS · AGAPEN IN SAECVLA · SERVE*t*

(*Continuabitur*). IOSEPH Canonicus CASCIOLI.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Cont. V. n. 8. anni 1895 pag. 475*).

(*Titul. IX, n. 4*).

(266) *Et similiter si occurrat in die octava alicuius festi habentis octavam, de ea fit commemoratio in utrisque vesperis et laudibus.*

Nempe si aliquod festum duplex I classis occurrat in die octava alicuius festi, agitur officium festi I clas-

(1) V. De Rossi, *Boll. d'arch.*, 1884-85, § III, p. 72.

sis et fit commemoratio diei octavae. Idem habes in tabella occurrentiae, in qua si inquiras quid sit agendum *si occurrat eodem die duplex I classis et dies octavae,* quadrangulus in quo duplex I classis et dies octava invicem occurrunt, habet numerum 4, qui tibi dat regulam: *Officium de primo, commemoratio de secundo.*

Si autem eodem modo inquiras quid sit agendum *si occurrat eodem die duplex I classis et duplex per annum minus,* invenies in quadrangulo numerum 6, cuius regula docet: *Officium de primo nihil de secundo.* Cui regulae concordat Rubrica (*Tit. IX, n. 7*) praecipiens: *De festis duplicibus, quoties reduci debent ad modum simplicis, fit pariter commemoratio..... praeterquam in omnibus duplicibus primae classis.*

Aliis verbis vi huius Rubricae, quam hic exponimus, in duplici I classis fit commemoratio occurrentis diei octavae, dum ex citata Rubrica reformata (*Tit. IX, n. 7*) non amplius admittitur commemoratio duplicis *simplificati.*

Dicimus *non amplius,* quia ante Rubricarum reformationem, *festa duplicia minora* imo et *semiduplicia,* quando intra anni terminum transferri non poterant, ex S. R. C. Decreto (*11 Martii 1837 n. 4810*) redigebantur ad ritum simplicem in die propria, cum nona lectione historica et commemoratione in utrisque vesperis et laudibus, *excepto solummodo ultimo triduo maioris hebdomadae et festis Paschatis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.*

Igitur in aliis duplicibus I classis etiam solemnissimis, uti ex. gr. Ascensionis Dñi et Corporis Christi, agenda erat commemoratio duplicis, imo et semiduplicis, cuius translationi locus non erat in calendario illius anni.

Hodie vero hoc amplius non licet, ideoque, *duplex* et *semiduplex* occurrens cum duplici I classis eo anno pe-

nitus omittitur; et similiter omittitur omnino duplex maius et duplex Doctoris Ecclesiae, quod intra anni terminos locum non invenit in calendario, sicut praecipit Rubrica (*Tit. X, n. 1, in fine*) dicens: *Iisdem comprehenduntur regulis alia festa duplicia quorum translationi in toto anni decursu locus non superest.*

Proculdubio non parvam nobis ingerit admirationem haec contraria Rubricarum dispositio. Si in duplicibus I classis non licet fieri quaecumque commemoratio, etiam duplicis maioris, cur admittenda erit in eis commemoratio diei octavae? Nonne dies octavae cuiuscumque gaudet ritu duplicis minoris?

Et nostra admiratio magis augetur, quando consideratur octava potiri, non tantum duplicia I classis, sed et nonnulla II classis, imo et duplicia maiora, ut fit in ecclesia Taurinensi quae recolit festum S. Rochi C. sub ritu duplici maiori cum octava. Hinc ex. gr. in civitate Taurinensi, in qua habetur ecclesia parochialis S.° Ioachim dicata, quando huius sancti Titularis festum occurrit die XVI Augusti, de S. Rocho nihil fit, in casu quo eo anno locus amplius non habeatur pro eius translatione; in ecclesia vero illius civitatis S. Philippi Benitii, cuius festum agitur die XXIII Augusti quae est dies octava S. Rochi, agitur festum S. Philippi Titularis cum commemoratione octavae S. Rochi.

Similiter, quando festum S. Ioachim occurrit die XVII Augusti, ubi est Titulus ecclesiae, agitur ritu duplici I classis cum commemoratione tamen octavae S. Laurentii, licet festum huius diaconi martyris agatur sub ritu duplicis II classis.

Et sane, si in obsequium excellentiae et solemnitatis duplicium I classis, Reformata Rubrica non permittit commemorationem duplicis minoris occurrentis,

imo et duplicis maioris, cuius translationi non adest locus in calendario illius anni, eo magis videtur neque permittere debuisse commemorationem diei octavae. Etenim de festo, cuius agitur octava, iam officium suo die recitatum est, imo per sex dies sequentes infra octavam saltem commemoratum; parum ergo de suis iuribus amitteret hoc festum, si dies octava commemoratione privaretur, quando occurrit duplex I classis. Festa vero semiduplicia et duplicia minora, imo et duplicia maiora, quorum non remanet locus translationis, in solemnitatibus I classis incidentia, cum priventur commemoratione ipsa, eo anno de eis nihil amplius fit, quod est non parva iactura.

Notandum autem est, quod Rubrica (*Tit. IX, n. 6*) in duplicibus II classis prohibet commemorationem diei infra octavam, et admittit commemorationem festi simplicis; ratio est, ait Gavantus (*Sect. III, c. 10, n. 15*) " quia de octava saepius, de simplici semel fit quo die occurrit ". Et Cavalerius (*Tom. 1, c. 6, Decr. 5, n. 27*) similiter dicit: " Omittitur omnimode commemoratio diei infra octavam in occursu cum duplici II classis, quia cum octava non sit nisi continuatio festi, iam satis adhuc de sancto, de quo est octava, agitur in festo et reliquis diebus òctavae; non omittitur autem commemoratio simplicis occurrentis in laudibus duplicis II classis, quia alias, cum eiusdem commemoratio ob festi nobilitatem et solemnitatem in primis vesperis supprimatur, si etiam in praefatis laudibus omitteretur, penitus cessaret memoria de illo Sancto ".

Quomodo ergo in duplicibus I classis admittitur commemoratio diei octavae occurrentis et respuitur commemoratio duplicis *simplificati?* Nonne militat eadem causa, imo maior, in favorem huiusmodi simplificati?

Parva enim videretur iactura si respueretur commemoratio diei octavae in casu, quia, ut verbis utamur Cavalerii, *iam satis de Sancto, de quo est octava, agitur in festo et reliquis diebus octavae,* maximam autem, et totam iacturam patitur Sanctus, cuius saltem commemoratio non permittitur eo anno.

Scio nonnullos nobis respondere, quod illatio non valet. In casu enim duplicis II classis quod admittit commemorationem simplicis in laudibus et missis privatis, et respuit commemorationem diei infra octavam, agitur de officio diei infra octavam; in casu autem de quo loquitur haec rubrica, quam exponimus, agitur de vera et propria die octavae, quae est solemnior quam dies infra ipsam, et per eam perficitur festum quod ipsa gaudet octava. Itaque, si occurrente duplici I classis, commemorationem diei octavae prohiberet Rubrica, Festum gaudens octava, suo naturali complemento deficeret, et imperfecta remaneret eius solemnitas.

Pulchra satis est ista argumentatio, sed non multum valet. Si enim proprie necesse foret, quod festum solemne gaudens octava, suam perfectionem et naturale complementum nunquam amitteret, nempe diem ipsam octavae, tunc non haberemus in Rubricis legem, quae dicit: (*Tit. VII, n. 1*) *Quod si aliquod festum, quod celebrari solet cum octava, paulo ante Quadragesimam venerit, et iam per aliquot dies factum sit Officium de eius octava, adveniente Quadragesima, nihil amplius fit de ea,* NEC COMMEMORATIO. *Et idem servetur de octavis nondum absolutis, quando supervenit Festum Pentecostes, et dies XVII decembris.* Ergo inter festum habens octavam, et diem octavae ipsius, non adest tale vinculum quod abrumpi numquam possit. Quamobrem eadem de causa qua cessant octavae inceptae adveniente Qua-

dragesima, Pentecoste et tempore Natalitio, nempe ob solemnitatem atque excellentiam harum festivitatum, eadem quoque de causa cessare potest octava, quando supervenit aliquod duplex I classis. Quia si hoc duplex I classis tanta dignitate et solemnitate gaudet, ut in eo nulla commemoratio agatur de duplici occurrenti, eo opportunius esset, in gratiam excellentiae ipsius solemnitatis, ut neque de die octava commemoratio fiat.

Insuper SS. D. N. Leo Pp. XIII in suo brevi *Nullo unquam,* quo translationem duplicium minorum, non Doctorum, et semiduplicium abrogavit, de hac abrogatione rationem dare intellexit dicens: *Quo vero in Calendario... habeantur sedes liberae ad nova officia introducenda... praecipimus ut Rubrica de translatione festorum hac ratione mutetur, videlicet: Festa duplicia minora (exceptis illis SS. Ecclesiae Doctorum) et festa semiduplicia, si occursu maioris festi quomodocumque impediantur, de eis fit commemoratio etc.* Finis ergo quem sibi Summus Pontifex proposuit, ille fuit ut ex abrogatione traslatorum, locus fieret diebus liberis (1); nihil autem ad rem facit suppressio commemorationis duplicis in festo duplicis I classis; quia, fiat vel non fiat haec commemoratio, officium duplicis impediti eo anno supprimitur. Bene igitur mens Pontificis adimpleretur, etiamsi in duplici I classis ageretur commemoratio duplicis vel semiduplicis impediti.

Ob has ergo rationes nobis videtur, quod Commissio specialis, a S. R. C. constituta, ut videat et examinet decreta et leges rituales, super hoc inconveniens, quod invenitur in reformatis Rubricis, animum et studium intendere debebit. Vel enim in du-

(1) Alio loco infra videbimus si hic finis revera obtineatur.

plicibus I classis non est admittenda commemoratio diei octavae, vel si haec retineatur, admittenda quoque videtur, et multo magis, commemoratio duplicis minoris, et duplicis maioris, quando pro huius translatione non habetur locus eo anno in Calendario.

(267) *In secundis autem vesperis Festi praedicti,* nempe festi duplicis I classis, de quo supra actum est.

(268)... *fit commemoratio de duplici, semiduplici et Dominica sequentibus, et non de aliis.* Cum enim secundae vesperae minoris sint solemnitatis, quam primae vesperae, et cum de duplici, semiduplici et Dominica sequentibus in crastino agendum est totum officium, vel saltem commemoratio (*Vide III Notandum post tabellam concurrentiae*), ideoque recte hic Rubrica disponit, ut in secundis vesperis duplicis I classis de sequenti officio agatur commemoratio.

... *et non de aliis.* Quae sunt haec *alia officia* non commemoranda in secundis vesperis duplicis I classis? Uti patet sunt officium *de die infra octavam*, et officium *Simplex* in crastino celebrandum. Quid vero de officio feriae privilegiatae quod in crastino celebratur? Nonne de feria huiusmodi agenda est commemoratio in duplicibus I classis, sicut vidimus supra in notis 118 et 263? Certo certius de feria maiori agenda est commemoratio in secundis vesperis duplicis I classis, sed adverte huiusmodi non esse commemorationem feriae *sequentis,* sed *occurrentis,* compertum est enim ferias, etiam maiores, non habere primas vesperas, sed tantum secundas. Ideo si festum I classis occurrit in Adventn vel in Quadragesima, commemoratio feriae in secundis vesperis est de feria ipsa in quo incidit duplex I classis, et non de feria insequenti.

Puta autem quod duplex I classis occurrat ex. gr. in feria tertia ante Cineres, in eius secundis vesperis

nulla feriae agenda est commemoratio: non feriae tertiae, licet occurrentis, quia non est feria maior, ideoque non commemoratur in ullo ex officiis de Sanctis, et multo minus in officio duplici I classis; non feriae quartae *Cinerum* sequentis, quia licet sit feria maior, et omnium nobilissima (ita ut respuat quodcumque officium in ea incidens), nihilominus non habet primas vesperas.

TEXTUS.

(Titulus IX).

DE COMMEMORATIONIBUS.

N. 5.

Idem servatur in quibusdam festis maioribus per annum (269), scilicet in Nativitate Domini (in cuius officio nulla fit commemoratio de S. Anastasia, sed in secunda tantum missa (270), in Epiphania, in Pascha Resurrectionis cum tribus proxime antecedentibus et duobus sequentibus diebus, in Ascensione Domini, in Pentecoste cum duobus sequentibus diebus, in festo Corporis Christi (271), in festis S. Ioseph (272), Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae (273), Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis beatae Mariae, (274), in festo omnium Sanctorum (275), in festo Dedicationis propriae Ecclesiae (276), in quibus festis fiunt commemorationes eo modo tantum, quo dictum est supra de festo solemni alicuius loci (277).

(269) *Idem servatur in quibusdam festis maioribus per annum.* Scilicet regulae, a Rubricis in § superiori

traditae circa commemorationes agendas in *festo solemni principali alicuius loci,* servandae quoque sunt in festis, omnium per annum solemnissimis, quae hic enumerantur, et quae in tabellis occurrentiae et concurrentiae duplicia I classis vocantur.

Haec autem distinctio inter duplicia I et II classis invecta est tempore S. Pii V; nam, testante Guyeto (*lib. 2, c. 9, q. 3*), ante pianam Breviarii reformationem, huiusmodi distinctio ignorabatur. Cum autem Pius V Breviarium edidit suum, eidem Rubricas generales praeposuit, haustas e directorio divini officii a Fr. Ludovico Ciconiolano ex Franciscalibus Observantiae, qui sub Paulo III floruit (*Vide hanc nostram expositionem Nota 1, § 3*), in quibus duplicia solemniora per annum, quae postea vocata sunt duplicia I et II classis, dicuntur duplicia *maiora.* Hanc itaque locutionem in Rubricis Pius V reliquit, et novam distinctionem in tabellis occurrentiae et concurrentiae tantummodo invexit.

Quoniam vero in recognitione Clementis VIII, uti docet Gavantus (*Sect. 3, c. 2, n. 3*), inducta est classis duplicium *maiorum* et *minorum,* ut hodie periculum aequivocationis e Rubricis tollatur, optandum esset ut in futura alia Rubricarum reformatione, haec quoque Rubrica emendetur, mutando scilicet verba: *in quibusdam festis maioribus,* cum aliis: *in omnibus duplicibus I classis.* Et sane si S. R. C. in Rubricarum emendatione anni 1882 variis in locis festa solemniora vocavit *festa I classis* (*Tit. IX, n. 3*), *duplicia I classis* (*Tit. IX, n. 7*), nihil obstat quominus etiam haec Rubrica opportune emendetur.

(270).... *in Nativitate Domini* (*in cuius officio nulla fit commemoratio de S. Anastasia, sed in secunda tantum missa*). Adverte in hoc tantum loco Rubricarum Ge-

neralium Breviarii loqui de missa. De commemoratione autem S. Anastasiae, quae fit in Missa ratione stationis, quae fiebat antiquitus in secunda Missa Nativitatis, vide Meratum (*comm. Gavanti p. 1, tit. 7, n. 2*).

(271).... *in Epiphania etc... in festo Corporis Christi.* Hic Rubrica enumerat festa omnium solemniora, incipiendo a Nativitate Domini, usque ad festum Corporis Christi iuxta ordinem quo celebrantur per annum, non civile, sed ecclesiasticum. Hodie vero post festum Corporis Christi inscribendum esset festum Ss. Cordis Iesu, quod ad ritum I classis elevatum est a regnante Pontifice per Decretum Urbis et Orbis 28 Iun. 1889.

(272).... *in festo S. Ioseph...* Quod festum inscriptum hic est in ultima Rubricarum emendatione, post eius elevationem ad ritum I classis.

(273).... *Nativitas S. Ioannis Baptistae.* Iam inscripta fuerat hoc loco a S. Pio V; nescimus autem quare hoc festum adhuc desideretur in primo ex notandis post Tabellam Occurrentiae, in qua, uti par est, inducta fuere festa Immaculatae Conceptionis et S. Ioseph, nec non Ss. Apostolorum Petri et Pauli, in nuperrima revisione. Haec omissio Nativitatis S. Ioannis ex oblivione quidem processit, quia iisdem gaudet iuribus, quibus gaudent caetera festa ibidem enumerata (1). Item dicatur hodie de Annunciatione B. M. V. non autem de festo Ss. Cordis Iesu, uti patet.

---

(1) De hoc vide *Ephemerides Liturgicas* N. 5 anni 1887 fol. 296. In editione Diurnalis Romani, Romae evulgata a Typographeo sociali liturgico anno 1888, invenitur inscripta Nativitas S. Ioannis in dicto primo ex notandis post Tabellam Occurrentiae. Nescimus cur in editionibus posterioribus Ratisbonensibus, Tornacensibus et Mechliniensibus, ut de aliis taceamus, huiusmodi lamentata omissio adhuc habeatur.

(274).... *Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis beatae Mariae...* Annuntiatio recentissime hoc loco invecta fuit, ex Decreto S. R. C. 23 Apr. 1895, et die 27 Maii eodem anno a Leone Pp. XIII confirmato.

(275).... *in festo Omnium Sanctorum...* Sperandum est, ut aliquot post annos, heic adiiciatur quoque festum S. Michaelis Archangeli, iuxta vota nonnulla ab Episcopis exhibita. Cultus enim quo honorat Ecclesia, tam Orientalis quam Occidentalis, hunc principem militiae caelestis, et Ecclesiae ipsius defensoris, certe requirit ut festum illius ad ritum I classis elevetur.

(276) *In festo Dedicationis propriae Ecclesiae... Propriae*, nempe, in sensu a nobis exposito supra (N. 3). Nemo mirabitur si hic non ponitur Titulus Ecclesiae et loci Patronus, quia de his iam locuta est Rubrica in § superiori.

(277) *In quibus festis fiunt commemorationes eo modo tantum, quo dictum est supra de festo solemni alicuius loci.* Quae ergo commemorationes, et quomodo agendae in recensitis festis I classis, habentur in superiori Rubrica.

(Continuabitur) Doctor Petrus Piacenza.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

II.

Emenso studiorum curriculo ac sacerdotio nuper initiatus Henricus, e sua ultramontana dioecesi per illustriores Italiae civitates iter aggres-

sus, Romae tandem consistens, cum Archangelo, viro regulari sibique familiari, de variis quos conspexerat usibus sermonem instituit. Et prae caeteris admiratione dignissima sibi videbantur quaedam domestica Oratoria. A nobilioribus enim familiis, penes quas amicitiae gratia fuerat diversatus, pluries rogatus ut in privato eorum Sacello Sacrum faceret, compererat, illud saepe efformatum esse e praegrandi quodam ligneo armario, postibus obserato, in altera ex aulis vel cubiculis et aliquando in ipsa bibliotheca disposito, nullum in exteriori facie religionis signum praeferente, ita ut sacra actione peracta, clausis postibus, aula seu cubiculum ad domesticos et humanos usus indiscriminatim adhiberi soleat. Nec minori correptus fuerat admiratione resciens ea passim ab locorum Ordinariis approbari, dummodo loco decenti collocentur, quamvis ecclesiasticae sanctiones longe plura pro legitima Oratoriorum erectione expetere noscantur. Hinc comiter ipsum Archangelum ut docto calamo hac super re elucubrationem exararet exposcit, hisce propositis dubiis:

1. *Num vetus sit in Ecclesia usus Oratoriorum domesticorum?*

2. *Quibusnam ante evulgationem Decretorum Tridentinae Synodi ius erigendi Oratorium privatum competeret, quibus vero nunc temporis tribuatur?*

3. *Quaenam conditiones ab apostolicis indultis in Oratoriorum domesticorum erectione, tum circa formam, tum circa Ordinariorum visitationem et approbationem requiri soleant?*

4. *Quodnam ergo iudicium ferendum sit de consuetudine in casu proposita, et num saltem tolerari queat nec ne?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Caroli Respighi Almi Collegii Capranicensis alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis, die 28 Nov. 1894: acta Epitoma per R. P. D. Dom. Hilarium Passerini ex Praelatis Rom.

I. Num vetus sit in Ecclesia usus Oratoriorum domesticorum?

Multifarias inter acceptiones, quibus vox *Oratorium* est obnoxia, ei tantum intendimus, qua locus Orationis significatur, haud satis amplus ac nobilis, ut ei Ecclesiae nomen conveniat. Oratoria in publica et privata distinguuntur, prout publice patet nec ne ipsorum aditus. Requiritur generatim, ut publica dicantur, quod ostium in publica via perspiciatur, et privatae personae arbitrio non subiiciantur; sed inveniuntur nonnulla, quae quamvis in publicam viam non immittant, sunt tamen aliquo modo patentia cunctis fidelibus. Oratoria privata, etiam domestica appellata, si intra domesticos parietes vel domui adnexa inveniantur, aut ex privata devotione eriguntur, ad unicum finem, ut ibi devotius ad orandum conveniatur, et tunc nulla lege vetantur; imo sunt laude digna, aut ad finem S. Sacrificii celebrandi, et tunc ab Ecclesiae legibus vetantur, vel permittuntur sub certis conditionibus. Haec postrema perspicit casus noster.

Primis Ecclesiae saeculis, Christifideles in propriis domibus, loca exclusive orationi dicata

habuisse, haud quaestio est: ipsimet Pagani domestica oratoria idolis devovebant. Plures rerum antiquarum scriptores ex eo argumentum sumunt, quod Christiani in suis domibus portabant servabantque divinam Eucharistiam. Nihil tamen ex hoc deduci potest; constat enim, e contra, fideles tunc panem consecratum, secretissimis in locis occuluisse, nec enim in privatis Oratoriis deponere poterant, nimis patentibus, nec in loculis seu aediculis, larariis paganorum similibus, quae in domesticis Oratoriis erant, quod ab Ecclesiae legibus prohiberentur. De his luculentissima videre est testimonia apud Patres et veteres christianarum rerum scriptores (V. Socratem, *Hist. Eccl. I. 18.* — Sozom. *Hist. Eccl. I. 8.* — Euseb. *De Vita Constant. II. 12, 14).*

Reliquum est dignoscamus utrum primaevi Christiani domestica Oratoria possederint ad Sacrum faciendum. Auctores perplures quos inter ipse Gatticus, absque ulla haesitatione, uti vetustissima et inconcussa exempla citant *Caenaculum Hierosolymitanum*, nec non eas, quas Paulus ad Romanos (*XVI. 3-5*) et ad Philemonem (*v. 2.*) *Ecclesias domesticas* vocat (Cf. *Act. Ap. XX. 7-12* et alibi). Accuratiori tamen analysi instituta, allata exempla nil absolute probant, quod rem nostram respicit. Et re quidem vera, Apostolos celebrasse in Caenaculo, haud in dubium revocamus; erat tamen illud Oratorium domesticum in vero sensu *Oratorii privati?* Domesticum sane, in interna quippe domus parte situm, negamus tamen fuisse privatum. Et hic alii datur distinctioni locus: non omnia domestica Oratoria sunt privata, neque prioribus Ecclesiae saeculis uti talia haberi po-

terant, etsi pro privatae familiae usu et sub eiusdem iurisdictione erecta fuissent; aditus namque privatus publicitatem Oratorii non destruit, quatenus herus domus sese obliget ad ius fidelium tuendum ut libere accedant. Iam superius innuimus satis esse, aditum ut publicum innotescere et reservari solis fidelibus. Casus huiusmodi nunc raro eveniunt, exemplum habemus Romae in Oratorio S. Aniceti in palatio Altemps; sed primis Ecclesiae saeculis, praecipue ob persecutiones, res non aliter se habebant; et Cœnaculum Hierosolymae domesticum fideles ut publicum frequentabant; quondam enim regula erat ordinaria quod nunc pendet a pontificiis dispositionibus.

Quod dicimus de Caenaculo, de omnibus dicatur locis domesticis in quibus fideles primis Ecclesiae saeculis conveniebant, et Ecclesia domestica Priscae et Aquileiae, et alia Philemonis de quibus Apostolus mentionem facit in Epistola ad Romanos et ad Philemonem locis sup. citatis, illa in Actibus martyrii S. Caeciliae descripta, et locus domus Pudentis in quo conventum habuit Apostolus Petrus, et multae Basilicae, quae sive historicis memoriis, uti illa S. Clementis, sive veteribus traditionibus, uti alia S. Marci, dicunt suas origines ex domesticis Oratoriis; tales in principio iuris privati fuere, non vero privata Oratoria, sed Ecclesiae domesticae ac *publicae* (Crostarosa, *Basil. cristiane,* p. 19).

Talis fuit, primis saeculis, Ecclesiae praxis ac disciplina. Nec, igitur, mirandum si contra Gatticum et alios, dicamus quod in christianae religionis primordiis persecutione fervente (saltem ex eo quod ex superstitibus documentis nobis con-

stat) impossibile sit inveniri vestigia Oratoriorum privatorum ad S. Sacrificium peragendum instructorum, quinimo rationes expositae et aliae multae contrarium suadeant.

Nec difficultas oriri potest ex eo, quod Sacrificium in domibus infirmorum aliquando celebratum fuerit. Id scimus de S. Ambrosio (Paul. Diac. *Vita S. Ambrosii,* c. 10), sed de hoc tantum legitur: « Apud quamdam clarissimam invitatus, Sacrificium in domo obtulit ». Haec formula est clara: ceterum, quaenam sit significatio verborum: « Dominicum celebrare — celebrantes ex more Dominico, etc. » Patres testantur: ita Tertullianus (*De fuga, c. ult.*) S. Ciprianus (*Ep. 63*) S. Augustinus (*Ep. 36 De Collat. Don. Coll. 3 diei c. 17 n. 32, 33*). Et sane, his verbis, locus celebrationis non determinatur, utrum in cubiculo an in Oratorio. Facile quisque intelligit primam hypothesim, idest S. Ambrosium in clarissimae cubiculo celebravisse, extra quaestionem esse, (et hoc etiam valet pro temporis anterioris exemplis) cum agatur de Altare portatili et non de Oratorio privato. In secunda autem hypothesi — an celebraverit in Oratorio — advertendum est sermonem nostrum temporibus constantinianis referri, ex quibus Oratoriorum privatorum origines repetere debemus.

Quando in viis Ecclesiae ac splendidae Basilicae, loco existentium in domibus, extructae fuere, ius publicum fidelium diversimode se habuit; et si, eo tempore, Oratoria domestica inveniamus bene dici potest quod fuerint privata. Domesticis conventibus cessatis, documenta superstitia apprime erudiunt non absolute celebrationem S. Sa-

crificii in his Ecclesiis in domibus relictis cessasse. Prima Concilia in Oriente habita, inter quae Laodicense (an. 320), talem usum reprobaverunt, et Eustatianorum secta, quae ad publicum cultum contemnendum, privatos conventos habebat, a Concilio Gangrense (an. 328) merito damnata fuit. Omnes itaque praescriptiones videntur potius contra haereticorum artes directae, secus celebratio privata absolute non prohibebatur, de consensu tamen Episcoporum. Concilium Carthaginense (390) et Legenda (58) Iustiniani fatentur Episcoporum auctoritatem concedendi quod privato Sacrum celebretur, quae res tempore S. Cyrilli Alexandrini saepissime in illa regione acciderat, uti constat ex eius Ep. IX ad Caelestinum; et S. Augustinus commendat: « in Oratorio, praeter orandi et psallendi cultum, nihil penitus agatur, ut nomini huic et opera iugiter impensa concordent » (*Ep. 211. 7*). Addimus quod, an. 680, Concilium Constantinopolitanum, in Trullo celebratum, ne Baptismi Sacramentum in huiusmodi locis administraretur prohibuit. Ceterum ex S. Gregorio Nazianzeno (*Orat. VIII, § 18,* et Maurina *T. 1. p. 229*) clare constat, saeculo IV, in domesticis Oratoriis, ambabus sub speciebus Sacram Eucharistiam fidelibus fuisse traditam: quae res, absque dubio, Sacrum ibi peractum supponit, sola enim panis species domum ferebatur (Basil. *Ep. 93* ed Maur. *al. 289*).

Heic Romae duarum inter privatarum domorum rudera, alterius, Cornelii Pudentis in Monte Aventino, alteriusque in Aesquilino, domestici Oratorii privati saec. IV, reliquiae inventae fuere; quorum in illustratione, Archaeologiae Christianae

Princeps, elucidissime quae et nos hucusque Oratoriorum domesticorum de antiquitate asseruimus demonstrat (De Rossi, *Bull. Arch. Crist. 1867, p. 46 — 1876, p. 37.*

II. Argumentis documentisque allatis, iam patet quomodo a prima Oratoriorum istorum origine, idest a saec. IV, ius Episcopi habuerint licentiae concedendae ut talia Oratoria erigerentur. Quod si temporis defluxu in Oriente et quibusdam Occidentis locis fideles in hac Ecclesiasticae disciplinae parte episcopalem auctoritatem ac iurisdictionem parvi habuerunt, et de hac Episcopi ipsi minus fuerunt solliciti, tamen integram servarerunt concedendi aut denegandi Sacrificii celebrationem potestatem.

Est igitur extra quaestionem an Episcopi Oratorium in domo propria erigendi habuerint ius. Et hic obiter adnotandum est (quod pro tempore Tridentino posteriore etiam valet) Episcoporum Cappellas, sicut et illas S. R. E. Cardinalium, tamquam publicas haberi. In hac igitur quaestione, fusius immorari non debemus; iam vero Episcopi, sicut et Cardinales, in domibus suis, etsi campestribus, Cappellas erigendi ius semper habuerunt, et non in iis extraneorum a quibus reapse non hospitentur (*Benedict. XIV, Encicl.* « Magno cum animi dolore »).

Quae de his scripserunt ac docte collegerunt Gatticus, Pallottinus, superque omnes Benedictus XIV, et alii multi, sequentes, (*Ballerini, Tract. X, Sect. IV, 310*) de aliis breviter dicimus, qui ante Tridentinum Oratorii privati ius habuerunt. A saeculo IV monachi domesticas privatasque habuerunt Cappellas, in quibus, saeculis VII et

VI sacrum certe litabatur. Quinimo S. Gregorius iussit ut omnibus in monasteriis, monachorum suffragiis, ex eis unus eligeretur ac ordinaretur Sacerdos (*Ep. ad Vict. Panormit.*); ita et iste coram et pro universa communitate Sacrum faciebat; at Pontifex idem in monasteriis publicas Missas vetuit (*Ep. 46, lib. 6 et alibi*). Haec prohibitio ad saeculum usque XII vim habuit, quando monasteriorum Ecclesiae publicae factae sunt. Tunc incoeperunt monachi in claustris privata oratoria erigere (*Gattic. c. VIII n. 24*). Eadem plus minusve de mulierum monasteriis dici possunt. Ius privati Oratorii, anno 1478 a Xysto IV Collegio Abbreviatorum Parci Maioris concessum fuit, una nempe Cappella pro Collegio in Vice-Cancellarii domo; et aliis multis Dignitatibus, uti S. Rotae Auditoribus, Apostolicis Protonotariis, etc. ab aliis subsequentibus Pontificibus, ante Tridentinum, ex privilegio, Altaris portatilis ius, quod est magis quam privilegium Oratorii, concessum est. Hoc privilegium Regibus et magnae potentiae Principibus etiam datum fuit.

In Sess. 22, diei 17 sept. 1562 Conc. Trident. statutum fuit: «Ne patiantur (Ordinarii) privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam et ad divinum cultum tantum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi». Hoc Capitulo celebratio in domibus privatis et in Oratoriis, quae in iisdem existentibus *ad divinum tantum cultum dedicata* essent, prohibita fuit. Facultatem huius permissionis concedendae S. Sedes sibi reservavit, quod si

ex Concilio Tridentino hoc clare non appareat, declaratum tamen fuit supremis posterioribus decisionibus (*S. C. Conc. 25 Ian. 1847. — Enc. Pauli V ad omnes Episcop. 10 Martii 1615*), pluribusque Conciliis post Tridentinum habitis, inter quae Mediolanense sub S. Carolo Borromaeo Episcopo. *Id tamen de regula ordinaria iureque communi.*

Concilium, omne tunc praesens ius abrogare in animo habuit, praeterquam illud Episcoporum et Cardinalium, uti supra referimus, neque magnas Principum ac Regum Cappellas, sed eorum privata Oratoria. Monasteria, Seminaria, ecclesiastica Collegia « ad instar Seminariorum » in Tridentini Decreto non comprehenduntur, et de hoc cl. Ferraris in sua Bibliotheca disertissime pertractat. Quoad aliquos Regulares, Minoritas nempe et Dominicanos, Clemens XI declaravit Conc. Tridentinum omne eorum privati altaris erigendi ius abrogasse. Attamen ex Innocentii XIII Bulla « Apostolici Ministerii » diei 13 Maii 1723, quod haec prohibitio non domus, sed personas singulas respicit apparet (*Baller. IV, 782*). Carthusianorum et Camaldulensium ius est notissimum, nec prolixa eget demonstratione.

Hospitalia, orphanotrophia, educationis domus et similia sub *locorum piorum* nomine comprehensa, etsi ab auctoritate episcopali non erecta, privati Oratorii erectionem ab Ordinario obtinere possunt, cum in Tridentini Decreto comprehensa non habeantur, uti ex S. Concilii Congregationis resolutione constat (*In una Viglevanen. 27 Martii 1887* V. Oratorium, Hospitalis, Episcopi facultas Muhlbauer Decr. Aut. *S. C. R. Suppl. T. II*).

Advertendum est hic, quod omne ius de quo mentio fieri possit, est semper ius « ex concessione »: quod quocumque modo datum, aut morali corpori, aut determinatae Dignitati « ipso facto » sive nova domus pro tali corpore morali erigatur, sive persona quaedam tali sublevetur dignitati, absque licentia seu permissione, Oratorii privati erigendi habet ius.

Praeter eos in Tridentino Decreto non comprehensos, Protonotarios Apostolicos et quaedam Curiae Collegia, etiam Protonotarii « ad instar participantium » hoc habent ius, ex Constit. Pii IX, d. d. 29 Aug. 1872.

III. Attamen erectionis ius, Ordinario Oratoria privata visitandi atque adprobandi potestatem non aufert; quinimo Ecclesiae praescriptiones, quod Ordinarius visitet atque adprobet haec Oratoria iubent, ut an statutis legibus respondeant ipse videat. Clementis XII Constitutio diei 19 Febr. 1738, quod ex muro Oratorium sit extructum iubet, porta clausum, et fenestram habeat, sufficienter amplum, et talis possibiliter formae ut, Altare cooperto, aliquo de signo recognoscatur. Eadem Constitutio insinuat quod cubicula super privatum Oratorium posita ad dormiendum non adhibeantur. Agit denique de Altari, eiusque ornamentis quae ad nostrum non referuntur casum (A Brixia *Orat. Dom.*). Ordinarii visitatio et adprobatio, nonnisi ad maius cultus decus requiruntur, eo quod licentia ab Ordinario data nihil significat aliud quam « nihil obstat », idest omnia regulariter procedere, decori et Ecclesiasticis praescriptionibus conformia: « Insuper (ait Gatticus) haec ipsa ne-
» cessitas visitationis et adprobationis Oratorii ab

» Ordinario faciendae, nonnulla ostendit antiquae » Episcopalis potestatis vestigia, quae ante Conc. » Trid. libere in privatis domibus Missas cele» brandas concedere poterant » (C. 2, 8, II). Hanc visitationem Ordinarii per deputatum facere possunt, eamque iterare, si de Ecclesiasticarum dispositionum observantia et obedientia aliquod iustum et prudens habeant dubium. Huic visitationi Oratoria privata in domibus urbanis et ruralibus Regularium, auctoritati Ordinarii non subiectorum, non subsunt (S. C. Conc. *in una Tarvisina, 17 Apr. 1649*).

IV. Quarti quaesiti solutio, seu quodnam ergo iudicium ferendum sit de consuetudine in casu proposita, et num saltem tolerari queat nec ne? dependet praecipue ab exacta distinctione inter Altare portatile et Oratorium privatum. Usus includendi Altare in armario seu custodia lignea in domibus privatis, a nonnullis peritis Liturgistis laudatur uti modus efficax et decorus ad illud a pulvere, sive aliis externis agentibus, quae deturpare possent, defendendum. Non tamen recte diceretur ipsa custodia privatum Oratorium efformare. Hoc ex integro cubiculo constituitur, in quo Altare invenitur, solidis parietibus et ceteris, quae supra dicta sunt, ex Constitutione Clementina. Imo Altare fixum esse debet, ita ut nullimode transferri valeat (S. R. C. *Nullius Loci Cirignolae, 3 Dec. 1861*). Ad hoc, sicuti recte opinatur cl. Martinuccius, satis est parieti ipsum armarium colligare solidis clavis: opus autem non est adnotare, quod ipsum Altare firmiter adherere debebit armario. Hisce positis conditionibus, cubiculum in quo Altare situm est, habetur ut verum

Oratorium privatum, proindeque non potest ad usus profanos adhiberi, et subditur cunctis Ecclesiae legibus, quae de eis sunt. Hinc sequitur non posse tolerari consuetudinem, de qua in casu, ita efformandi Altaris custodiam, ut postibus obserata nullum in exteriori facie religionis signum praeseferat. Quid demum dicendum de usu Altaris componendi in bibliotheca? Sequenti ratione distinguerem: Si agitur de bibliotheca privata, in qua non reperiantur libri religioni adversantes, et libri ipsi decenti modo contegantur amariis elaboratis seu tentoriis, ita ut potius ornamentum quam incommodum importent, tolerari potest; si autem agitur de bibliotheca omnibus patente, vel etiam indecore accommodata, sive nimis aperte lectioni et studio addicta, non est probandus.

Haec dicta sint in hypothesi privilegii Oratorii privati proprie dicti, nam si agatur de Altari portatili, aliter res se habet; hoc enim in casu, valde laudabiliter uteretur quis tali custodia, sed tunc cubiculum in quo ponitur, non interdicitur ab aliis domesticis et humanis usibus.

BREVIORA AD QUAEDAM DUBIA LITURGICA RESPONSA.

Nota. Hac ratione agere cogimur, ne gravem dilationem, ob Dubiorum multiplicitatem, Ven. Consociati patiantur: quamprimum tamen Ephemeridum spatium permiserit, eadem, quae tractationem exigunt, resumpturi.

1. *E Friburgo in Helvetia.* Exteri, Calendarium sequentes Cleri romani, quasnam sequi de-

bent Adnotationes, ex iis quae in illo continentur? Pro utentibus Romae, pro utentibus extra, pro non utentibus etc.? *Resp.* Exteri in Helvetia sequi debent Adnotationes *pro utentibus extra*, si sint de Clero saeculari: Adnotationes *pro Clero regulari utenti extra,* si sint Regulares.

2. *Ex eod. loco.* Si quis ex supradictis, in aliena dioecesi versatur pro aliquo gerendo negotio, tenetur ne ad officium S. Familiae? *Resp.* Affirmative.

3. *Ex eod. loco.* Tenentur ne iidem ad com. octavae Transfigurationis? *Resp.* Negative.

4. *Ex eod. loco.* Tenentur ne ad officium votiv. Ss. Petri et Pauli? *Resp.* Affirmative.

5. *Ex eod. loco.* Item facere ne iidem debent com. Patroni loci, ubi pro aliquo gerendo negotio degunt? *Resp.* Negative.

Nota. Missa in Ecclesia aliena vel Oratorio publico, debet, in omni duplici, respondere Calendario eiusdem Ecclesiae: in Oratorio domestico, semper Calendario Celebrantis.

6. *E Longobardia.* Velum humerale requiritur ne in omni solemniori Missa pro Subdiacono? *Resp.* Affirmative: eius defectus est aperte contra Rubricam (*Rit. cel. Miss. Tit. VII, n. 9*); et abusus proinde tollendus est, sit Subdiaconus Sacerdos, sit in sacris, vel non.

7. *E Nicaea ad Varum.* Ante Orationem «Deus qui nobis» ad Benedictionem cum Venerabili, debetne dici: «Dominus vobiscum»? *Resp.* Negative. Exempla sumas a Rituali Rom. (*Tit. IX, cap. 5, n. 5*), et a Caerem. Episcop. (*Lib. II, cap. XXXIII, n. 27*), uti a Clementina in repositione SS. Sacramenti (§§ *31, Comment. Gardell.*), quae casum re-

spicit nostrum, licet legem non faciat, nisi pro Urbe.

Nota 1. Color in Com. Omn. Ss. Rom. Pontificum debet esse rubeus; ob plurium Pontif. martyrium, qui aliis Confessoribus praestant.

Nota 2. Matutinum, a Laudibus separatum, absolvitur cum Oratione officii diei, uti in Nocte Nativit. Domini (*Decr. Marianopolit. 18 Maii 1883, Dub. II*).

8. *E Curenna.* Decet ne super mappas altaris chartam albam ponere, loco Corporalis excepto, ne mappae cera inquinentur? *Resp.* Indecens credimus, saltem si tempore Missae id fiat; cum Rubricae exigant, nihil *omnino* super altari ponendum, quod ad Sacrificium non inserviat, vel ad ornatum altaris (*Rub. Gen. Missal. Tit. XX*).

9. *E civitate N.* Quomodo se gerere debeat quoad genuflexiones, qui SS. Sacramentum solemniter exponit? *Resp.* Minister, saltem Diaconus, ascendit ad altare, aperit tabernaculum et genuflectit: inde surgit, extrahit thecam, seu capsulam, quae Hostiam continet, et hanc aptat in Ostensorio, quod ponit in medio altaris. Iterum genuflectit unico genu, surgit, illud collocat in throno, et Sacramento facit reverentiam. Descendit, genuflectit, ut antea, et redit in locum suum. Ita Romae (1) fit, aliisque in observantioribus Ecclesiis. Quod attinet capsulam, decentius super Corporale relinquitur. Ostiolum autem clauditur post thecam ex-

---

(1) Ita quidem quod attinet ultimam genuflexionem fit Romae, non tamen in omnibus Ecclesiis, cum nonnulli eam omittant, quia statim postea Exponens genua flectit cum aliis in infimo gradu.

tractam, non tamen clavi obseratur: si pyxis in tabernaculo remaneat non est consideranda.

10. *Ex Augusta Praetoria.* Festo semiduplici et officio quocumque votivo concurrentibus, quomodo ordinantur Vesperae? *Resp.* Vesperae de festo cum com. officii votivi, cuiuscumque sit dignitatis; festi enim ratio praevalet (*Congr. SS. Sacramenti, 30 Nov. 1895 ad 2 quaest. II*).

11. *E Guatimala.* Potest ne hic fieri iuxta Calendarium Cleri Urbis, quod docet Missam pro Oratione 40 horarum infra octavam Corporis Christi, dicendam esse cum Sequentia, sine com. et collectis? *Resp.* Citra dubium affirmative, dummodo Expositio vere habeatur ut in Urbe, et in omnibus Instr. Clementina servetur.

12. *E Dioecesi Briocensi.* Cantus « Benedicamus Domino » in fine Horarum minorum et Completorii, pertinet ne ad Hebdomadarium? *Resp.* Affirmative; hae namque minores Horae vel minus solemniter decantantur quam maiores, vel nulla solemnitate. Attamen, si vigeat consuetudo, ut a cantoribus decantetur, aeque servari potest, cum nihil, quantum scimus, sit praescriptum. Si nihilominus Hora tertia cantetur solemniter ratione Missae Pontificalis, « Benedicamus Domino » a cantoribus concinendum (*Caerem. Episc. Lib. II, cap. VIII, n. 18*); sed tonus videtur esse ferialis, saltem iuxta communem usum, ut in Completorio, quamvis cum aliqua solemnitate canatur.

13. *E Sena.* In Oratoriis Puellarum a caritate nuncupatarum, potest ne Missa fieri S. Vincentii a Paulo, die quo eius festum recolitur, uti et Missa B. Gabrielis Perboyre, a Sacerdotibus exteris illuc confluentibus? *Resp.* Affirmative. Constat

quoad primum ex Indulto *Per Apostolicas Litteras* Gregorii XVI d. d. 3 Mart. 1837, et ex alio *Hodiernus Procurator* Pii Papae IX, d. d. 10 Iun. 1858. Constat, quoad alterum, ex primo ex duobus relatis, et ex Gener. Decreto *Urbis et Orbis* d. d. 9 Iul. 1895, die vero IX Dec. eod. an. confirmato a Leone Pontifice XIII.

14. *E Verona.* Titulus Stationis, puta Ss. Mart. Cosmae et Damiani, de quibus fit com. in Oratione feriae V post Dom. III Quadragesimae, est ne ratio sufficiens, ut ad relativum nomen, in Canone, inclinetur caput? *Resp.* Negative; quia Statio, ut ait Gavantus, *non est festum, neque Commemoratio, neque quid votivum* (*Pars IV, Tit. V, n. 15*).

15. *E Padua.* Concurrentibus festis S. Familiae et Desponsationis B. M., quomodo Vesperae ordinari debent? *Resp.* In obiecto festi S. Familiae locum habet Dominus; ergo hoc festum alteri praevalet. Neque eadem de causa idem dici potest utriusque festi obiectum, praeterquamquod complexivum festi S. Familiae obiectum nil communis habet cum alterius. Ergo integrae erunt Vesp. de S. Familia, et fiet de Desponsatione commemoratio.

16. *Ex Subalpinis.* In festis Invent. et Exaltat. S. Crucis, in hymno « Vexilla » est ne in choro genuflectendum ad stropham *O crux, ave, spes unica? Resp.* Affirmative, sive tempore Passionis, sive aliis temporibus hymnus recitetur: ratio enim semper est eadem. Ita fert fere universalis consuetudo: ita sentit A Carpo (*Bibliot. Liturg. Pars II, n. 26*).

17. *E Rota in dioec. Veronen.* Collectam pro Papa, cum cessat, sequi ne debet alia pro gratiarum actione, uti fit post Collectas ad repel-

lendas tempestates, ad petendam pluviam etc.? *Resp.* Dependet, ab Episcopo, qui interrogari poterit. Ceterum Oratio pro Papa non differt, in genere, ab aliis: ut si post istas dicatur pro gratiarum actione, non sit ratio ex qua post illam recitari non debeat. Excipe casum, quo nunquam cesset, uti Romae fieri solet.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

Nota. Solutionem Dubii VI provenientis e civitate Segoviensi (*V. n. 1 currentis an. pag. 62 et seq.*), re maturius perpensa, mutare cogimur. Ratio est, eo quod die 19 Octobris, qua recolitur S. Petrus de Alcantara (dup. 2 cl.), *occurrit octava dies* B. M. Virginis de Columna, cuius festum gaudet etiam Praefatione propria. Iam nunc, si eadem die 19 non occurreret dup. 2 classis, impediens octavam diem B. M. de Columna, de quonam festo ageretur, nisi de eadem die octava? Quod cum exploratum sit, iam patet in casu, non Praefationem S. Theresiae propriam, sed propriam Deiparae fore recitandam. Ergo ex principiis in solutione allatis certum consectarium inferendum est, eamdem Praefationem B. V. de facto recitandam esse, de qua factum esset officium, nisi impeditum fuisset.

I. *Ex Subalpinis*. **De concursu inter duo festa Passionis.** Die 3 Maii fit de Crucis Inventione, die vero 4 hic recolitur festum S. Sindonis: illud est dup. 2. cl. istud dup. 1. cl. cum octava.

Nunc autem Calendaria in Vesperis die tertia ordinandis satis discrepant. Nonnulla enim ponunt: *Vesp. de seq. cum com. praec.* innixa, ut puto, antiquo aliquo indulto, quod, utrum, attento praesenti iure liturgico, adhuc vigeat nec ne, ab Ephemeridibus exposcitur. Alia vero notant: *Vesp. de seq. sine com. praec.* fortasse ob identitatem obiecti. Alia tandem legunt: *In 2. Vesp. sine com. seq.* etc. idque, ut arbritor, ob paritatem casus cum altero inter diem octavam Corporis Christi et sequens festum SS. Cordis Iesu. Igitur pro quo ex tribus pugnat ratio, et cui in praxi adhaerendum?

Resp. Excludimus Calendaria, quae signant Vesperas tribuendas festo dup. 2 cl. seu Inventioni S. Crucis, prae dup. 1. cl. seu S. Sindone; credimus enim, illa in certo errore versari. Etenim similitudo casus praesentis cum alio, qui respicit concursum inter diem octavam Corporis Christi et sequens SS. Cor Iesu, huiusmodi ordinem Vesperarum cohonestare non valet. Ratio est, 1. quia allatus casus, e quo sumptum est exemplum, est prorsus singularis, imo unicus in concursu, atque exceptionem peculiarissimam constituens. Eapropter non credimus esse licitum, lege universali neglecta, ad exceptionem istam appellare pro ordinandis, in casu licet simili, Vesperis. 2. Ratio, ob quam integrae tributae fuerunt Vesperae diei octavae Corporis Christi prae SS. Iesu Corde, non reperitur in praesenti casu. Habebatur namque festum Corporis Christi (veritas) ex una parte, et festum SS. Cordis (symbolum) ex alia: quod si et istud considerabatur ut veritas, *pars* erat quae in illo continebatur

ut in *toto*; seposita ergo lege concurrentiae, consultius iudicatum fuit Vesperas integras tribuere *veritati* et *toti*, prae *symbolo* et *parte*. 3. Quamvis populus fidelis impraesentiarum, haud certe feliciter ut in antiquitate, clero Vesperas celebranti generaliter non adiungatur; nihilo tamen minus, ob processionem quae in Ecclesiis pluribus Vesperas hac die sequitur, totius functionis et ille quodammodo est particeps. Hinc opportunius utiliusque reputatum fuit Vesperas, maxime quoad hymnum, qui et in processione solet decantari, immutatas relinquere pro commodo fidelium. Uti ergo casus, ita et momenta, quae causam illi dedere, omnino singularia sunt, nec proinde pro alio casu in exemplum adducenda.

Sequitur, Vesperas in casu praesenti, citra dubium ad festum sequens S. Sindonis integras pertinere, uti duplex 1. cl. prae praecedenti Inventione S. Crucis duplici 2. classis. Quaestio itaque instituenda, una esse potest, utrum de praecedenti fieri vel omitti com. debeat, ratione identitatis obiecti. Sed difficilis solutio, ob momenta, quae afferri utrinque possunt: ut competens tantum auctoritas solvere, authentice saltem, difficultatem valeat. Nobis magis probabile apparet, utrumque Festum idem obiectum habere, nempe Passionem: ut proinde com. alterius in casu sit omittenda. Namque uti ad Passionem Crux pertinet, cuius Inventio recolitur, ita et Sindon, cuius recolitur memoria. Hinc in 2. Vesperis Octavae Corporis Christi omittitur com. SS. Cordis Iesu; quia alterum in altero continetur obiecto. Instrumenta Passionis plura sunt, quae in Quadragesima commemorantur; et quamvis diversa

sint materialiter instrumenta, uti Lancea, Corona spinea, Sindon, etc. nihilominus, si concurrant, com. omittenda praescribitur, quia omnia in uno eodemque conveniunt obiecto, quod est Passio. Imo et in iisdem omitti quoque com. debet Sacramenti, si cum iis concurrat; quia in hoc eiusdem Passionis recolimus memoriam. A pari ergo in officio S. Sindonis praetermittenda videtur com. crucis, cuius recolitur inventio, quia unum idemque utrique festo est obiectum, nempe Passio.

Si tamen aliquod extet indultum, commemorationem praecedentis in dictis Vesperis permittens, illi adhaerendum credimus. Quia, non esse bis faciendum de eodem ex Rubricarum lege derivat, quam ad varios casus S. R. C. interpretando applicat. Si ergo habeatur indultum, hoc a lege dispensat, vel Sacrum Tribunal declarare intendit, casum non contineri in lege; consequenter dicta com. tunc facienda est.

II. *Ex eod. loco.* **De festis permissis infra Octavam Corporis Christi.** Posita emendatione Rubricae specialis, quae prostat in festo Corporis Christi, et secluso peculiari indulto, abrogatum ne censendum est Decretum particulare 20 Ian. 1809, vi cuius infra Octavam dicti festi fieri a nobis nequit, nisi de duplici 1. aut. 2 cl. sive occurrente sive translato?

Resp. Rubrica antiqua exigebat, ut infra Octavam Corporis Christi fieret tantum de duplici min. vel mai. occurrente, et de dup. 1 et 2 classis, tam occurrente, quam translato: non vero de dup. min. aut mai. translato, nec de semiduplici, sive translato sive etiam occurrente. Emendata idem disponit, hoc tamen cum discrimine, quod semidup.

occurrens amplius transferri non potest, et die in quem incidit uti simplex faciendum cum trina commemoratione. Qui vero ante Rubricae emendationem privilegium obtinuerant omittendi etiam duplicia minora occurrentia, nunc quadam possunt incertitudine implicari. Eo quod, si antea duplicia minora omittebant, transferebant tamen: nunc vero ea amplius transferre non possunt. Quid ergo? Viget ne adhuc privilegium, hoc tamen sensu, quod duplicia minora infra dictam octavam occurrentia redigi semper debeant ad instar simplicium? Cui quaesito respondemus affirmative. Ratio est, quia privilegium perdurare censendum est donec revocetur. Revocatum autem censeri posset hac una de causa, quia plura ex duplicibus minoribus necessario ad instar simplicium nunc forent redigenda, ad quod privilegium videtur non extendi. Sed rationem istam pro nihilo computandam credimus. Primo, quia, sicut privilegium generale, dictae Octavae proprium, non ideo cessavit, eo quod semiduplicia iure translationis privata ad instar simplicium sunt redigenda, ita nec cessasse iudicandum est privilegium peculiare, eo quod iure translationis privata sunt duplicia minora, ut et ipsa redigenda sint ad instar simplicium. Quemadmodum proinde trina fit commemoratio semiduplicium occurentium in privilegio generali, ita in particulari trina quoque com. facienda de occurentibus duplicibus, cum Rubrica emendata adimplenda necessario sit, ut transferri non debeant. Privilegium enim derogavit Rubricis; at si Rubricis ante emendationem ipsum derogavit, qua de causu amplius derogare non deberet iisdem post emendationem? Arroges velim, Festum

Corporis Christi esse ex mobilibus: ut consequenter non eadem semper uti semiduplicia, ita simplicia, sint reddenda simplicia, sed modo aliqua, modo aliqua alia dictam ritus imminutionem patiantur. Denique mutatio Rubricarum derogare non valet legitimo privilegio, quoadusque eo uti privilegiati possunt. Hinc concludimus, dictum privilegium vim suam adhuc possidere, Rubricam tamem mutatam servandam esse.

III. *Ex eod. loco.* **De infra Octavam Corporis Christi in festo dup. mai.** Quaeritur, num die 5 Iunii, qua hic recolitur festum Miraculi Ss. Sacramenti dup. min. (hic dup. mai.), incidente infra Octavam Corporis Christi, facienda sit com. de Octava, uti antea emendationem fiebat?

Resp. Dubium non clare intelligimus; si enim privilegium excludit duplicia maiora, quae non redigi debent uti simplicia, sed transferenda, quomodo quaeritur, utrum in relato dup. mai. facienda sit com. de Octava Corporis Christi? Posito itaque privilegio, de quo superius, festum miraculi ubi fit sub ritu dup. mai. transferendum est in diem primam liberam, si infra dictam octavam occurrat. Ubi autem sub dup. min. recolitur, de eo com. facienda esset, non de Octava. Diximus *facienda esset;* quia id quidem verum est ex regula generali, sed attenta identitate obiecti, credimus esse omittendam. Si aliter expositum dubium sit intelligendum, adm. Rev. Consulentem oramus, ut clarius explicare se velit.

IV. *E Parisiis.* **De nova Ecclesia super antiquam criptam, quarum diversus est Titulus.** Ecclesia subterranea quadam in Urbe extat, quae benedicta tantum fuit sub titulo S. Mariae Magdalenae. Eius

officium a relativo Clero semper hucusque celebratum fuit, ut par est, sub ritu dup. 1 cl. cum Octava. Aliquot post annos super istam Ecclesiam subterraneam alia aedificata est, Deoque consecrata in honorem S. Crucis; et uti principalis habetur, eiusdem enim est latitudinis, sed satis altior. Quaeritur: relinquendum ne festum Tituli S. Mariae Magdalenae, ut S. Crucis sub eodem ritu recolatur? An potius utrumque sub eodem ritu recolendum, tamquam duorum Contitularium?

Resp. Ecclesias plures extare subterreneas, super quibus aliae fuere constructae, atque ita ut unam propemodum ex iis moraliter efformaretur, quamvis realiter duae sint Ecclesiae distinctae, satis notum esse ponimus. Vix, quasi dicam, extat qui Ecclesiam nesciat subterraneam S. Petri in Vaticano, item aliam S. Clementis, aliasque plures, uti in Urbe Anagnina, in Assisiensi, in Caietana, et recentiorem, imo nondum absolutam, S. Ioachim in Urbe, etc. etc. At, generaliter loquendo, Ecclesiae subterraneae alio non gaudent Titulo a superiorum: ut communior se exprimendi modus in iis denominandis sit, puta, subterraneum S. Petri, cripta S. Clementis etc.

Rei huiusce ratio est, nisi fallimur, quia locus inferior, quatenus sacer, partem superioris constituit: ut Ecclesia subterranea veluti partem quoque praecipuae, quae supra est, efformet. Exploratum est enim ex Decreto *Mechlinien.* d. d. 31 Aug. 1867 ad VI, non licere, locum, qui subter pavimentum Ecclesiae extat, maxime si haec sit consecrata, adhibere ad usus profanos, quamvis

aditus sit extra corpus sacri aedificii. Quod ostendit, de consecratione loci superioris participare inferiorem, seu locus consideretur, qui subtus est pavimentum, seu considerentur parietes, quae in inferiori parte producuntur.

His positis, videtur concludendum, novum Titulum utriusque Ecclesiae esse S. Crucem, quamvis subterraheae antiquus fuerit S. Magdalena. Quia hic Titulus minus firmiter adhaeret antiquae tantum benedictae, quam Titulus S. Crucis novae consecratae, cuius illa etiam antiqua pars evasit.

At inde ne sequitur, antiquum Titulum penitus fuisse destructum atque esse obliterandum? Non credimus; et cum iam possideat, esto ob solam benedictionem, omnino non videtur deserendus. Ea propter arbitramur, S. Mariam Magdalenam considerandam esse tamquam Contitularem, ut ius habeat ad festum eiusdem ritus, ac S. Crux, prouti hucusque factum est. Revera, si inferior Ecclesia tamquam pars superioris considerari debet, et superior fas est consideretur uti pars inferioris. Sicut ergo illa Tituli superioris Ecclesiae est pars, ita ista Tituli Ecclesiae inferioris constituet partem. Utrumque ergo Titulum recolet Clerus, unumquemque in die sua, cum coniungi nequeant, et sub eodem ritu dup. 1. classis cum octava.

V. *E Verona.* **Dc Concursu inter S. Damasum et diem infra Octavam Imm. Conceptionis Deiparae.** Quomodo die 11ma Dec. si 12ma de infra Octavam sit faciendum, ordinandae Vesperae?

Resp. Questio ex auctoritate adhuc resoluta non est: meliori, qua ratione possumus, ratiocinabi-

mur. Triplici modo, per se loquendo, hae Vesperae ordinari possent: aut integrae Vesperae de Imm. cum com. S. Damasi, aut tribuendo utrique festo dimidium Vesperarum: aut integrae Vesperae de S. Damasio et com. de infra octavam: primum et alterum modum respuimus, tertium seligimus et probamus.

Respuimus primum; quia si Vesperae darentur integrae diei infra Octavam, id fieret indubie quia festum Imm. Conceptionis primarium est et potioris dignitatis. At eo in casu, dies infra dictam Octavam praevalere etiam deberet non solum in concursu, sed et in concursu, uti patet; sed tunc foret redigendus ad ritum simplicem S. Damasus, quod admitti non potest; et iure praesumendum id nullo pacto S. R. Congñem velle, ut alibi dictum est. Ergo. Alterum respuimus; quia, concurrentibus duobus festis eiusdem ritus primariis et diversae dignitatis, dignitas praevalere deberet iuxta Decretum de primariis et secundariis festis. Ergo in casu agendum forent integrae Vesperae de infra Octavam, quod superius reprobavimus ex allato inconveniente gravissimo. Consequenter Vesperae dimidiari nulla ratione possunt. Manet ergo ut Vesperae fiant integrae de S. Damasio, et com. de infra Octavam; ex hoc enim nullum oritur inconveniens. Quod si opponas, hoc non esse aequum, quia agitur de die infra Octavam, qui ad festum primarium pertinet, ut et ipse primarium festum esse debeat, respondemus dicendo, nil vetare quominus dies infra Octavam primariam uti secundarius censeatur, quia est continua eiusdem festis repetitio; nisi cum Doct. Pia-

cenza velis dicere, ob inconveniens superpositum festa semiduplicia occurrentia ex exceptione diebus infra Octavam quamcumque praevalere. Ita salvo sapientiori iudicio, quod prolaturam quamprimum speramus competentem auctoritatem.

VI. *E Curenna.* **De Missa occurrentis simplicis in duplici et infra aliquam octavam.** Die 5 Oct. hic fieri debet de S. Francisco die propria impedito, et com. de S. Placido Conf. atque etiam de infra octavam S. Michaelis Arch. patroni loci. Quaeritur, utrum eadem die celebrari possit Missa de S. Placido, cum *Gloria* ratione festi, et *Credo* ratione Octavae?

Resp. Missam de S. Placido celebrandam esse cum *Gloria,* concedimus: cum *Credo,* negamus. Diximus *celebrandam esse cum Gloria,* si tamen dicenda sit, vel solemniter ob concursum populi, uti permittunt Rubrica *(Rubr. gen. Miss. Tit. VI),* et Decretum in *Angelopolitana* d. d. 13 Iun. 1671 ad 2, vel private ex indulto; in casu enim exposito, *per se* Missa privata de S. Placido vetita est, cum S. Franciscus Assisiensis sub ritu dup. mai. recolatur. Ratio autem ex qua *Gloria* dictae Missae addi debet, est quia est de festo quod occurrit, licet ratione ritus simplicis sola com. gaudeat. Est proinde festiva et non votiva, uti alibi expositum est (*Vol. 1891, pag. 693 a verb.* Equidem *ad totum n. 4*). Missa autem festiva hymno angelico fruitur iuxta Rubricas. Quod si privata de Simplici Missa non fiat, id oritur per accidens, ratione ritus duplicis, quo gaudet Sanctus de quo fit officium, cui Missae debent esse conformes. Cetero supercitatum Decretum, dictum hymnum aperte praescribit, *in gratiam festivitatis.*

Cum *Credo* autem recitari posse negavimus, non enim est ratio illud addendi, et quae affertur nihil probat. Non est ratio illud addendi; quia S. Placidus est Conf. qui symbolum non fert iuxta Rubricas. Ratio autem quae affertur non suffragatur; quia, licet Missae occurrentis duplicis addatur *Credo* ratione octavae; non tamen ex eo sequitur addendum esse quoque Missae occurrentis Simplicis. Namque de illo fit officium, de isto autem nonnisi commemoratio: ut Missa illi respondens integre participet de octava, Missa vero isti respondens, nonnisi partialiter. Hinc supercitatum Decretum de *Gloria* quidem loquitur, sed de *Credo* penitus silet, nisi Missa solemniter celebretur.

Nota. Dicta Missa de Simplici, aut private fit, aut solemniter; si primum, non est difficultas cum nullam, seu ex commemorationibus occurrentibus excludat, seu ex collectis: si alterum, aut cantatur Missa conventualis de die, aut non. In prima hypotesi una dicitur tantum Oratio, in secunda vero addendae videntur, ut supra, omnes commemorationes occurrentes non enim est pro re gravi, aut pro publica Ecclesiae causa.

VII. *Ex Hollandia.* **De benedictione Nuptiarum ante acceptum sponsorum consensum.** Potestne, gravissima de causa, benedictio Nuptiarum a parocho impartiri, antequam recipiat a sponsis consensum?

Resp. Negative. Ne mirentur lectores super praefato Dubio, loco, e quo provenit, temporumque tristitia inspectis. Etenim lex civilis, alicubi, actum civilem statuit faciendum in meridie: post quem nonnulli ex sponsis sequenti die ad Eccle-

siam pergunt, Matrimonium contrahunt et benedicuntur in Missa. Sed multo plures eo adduci non possunt; ut, actu civili absoluto, statim accedant ad Ecclesiam, et Matrimonium rite persolvant, sed sine benedictione, quam amplius postea non petunt. Hinc quidam Parochus, die actus civilis, Missam mane celebrat pro sponsis praesentibus, quibus benedictionem impertit, in meridie actum civilem peracturis, deinde Matrimonium in Ecclesia celebraturis. Eiusmodi est casus. Sed in negativa responsione insistimus, sustinentes, nulloque negotio demonstrantes, benedictionem nuptialem in Rituali praescriptam, post peractum Sacramentum impertiendam esse, et fortasse eam quae praecedit, irritam esse et nullam. Sane benedictio, de qua loquimur, pro sponsis instituta est, videlicet pro iis, qui Sacramentum Matrimonii inierunt. Hinc Ritus dicti Sacramenti celebrandi in Rituali exhibitus, a consensu incipit, quem recipere Parochus debet; postque verba, *Ego coniungo vos* etc., scilicet post Sacramentum rite factum, aliisque, quae tamen de essentia non sunt, tunc tantum, *si benedicendae sint Nuptiae, Parochus Missam celebret*, Rituale docet (*Tit. VII, cap. 2*). Ergo benedictionis obiectum sunt ii qui contraxerunt, non qui contrahere adhuc debent Matrimonium. Super quo igitur obiecto versabitur eiusmodi benedictio, si coniuncti sacro vinculo sponsi non sunt? Legas Epistolam Missae, legas Graduale, legas Evangelium, legas Orationes et reliqua, nec aliud concludere poteris. Quinimo plura ex dictis, omnino repugnant in ore Ecclesiae, si sponsos sacramenti vinculo non ponas ligatos. Ex. gr. *Uxor tua sicut vitis abun-*

dans — Filii tui sicut novellae olivarum — Non sunt duo, sed una caro — Respice super hanc famulam tuam, quae maritali iungenda consortio etc. — *Uni thoro iuncta* etc. etc. haec inquam, et alia similia, quomodo in ore Ecclesiae poni queunt pro viro et muliere, de quibus comprobabuntur quidem, sed non comprobantur? Arroges inconveniens in casu possibili, quo paratae nuptiae aliquando evanescunt, responsumque negativum omnino sapiens admittere cogeris.

Obiicies quidem, in Concilio prov. Ultraiectensi 1565 celebratum, et a S. C. de Prop. Fide approbato, legi: « Maxime autem optandum esset, ut... Matrimonii celebratio locum habeat ante vel *post* Missam pro sponso et sponsa oblatum ». Sed respondemus, ibi de *oblatione,* seu de applicatione Sacrificii pro sponsis manifesto agi, uti patet ex verbo *oblatum:* quod pro simplici celebratione Missae adhiberi nunquam solet. Ceterum quomodo praesumi posset, dictum Concilium optasse patentem Ritualis inobservantiam? Desiderat ergo dictis verbis Synodus, optimoque iure, ut pro sponsis, sive ante sive post celebratum Matrimonium, applicetur Sacrificium.

Aliquae autem in precibus expressiones, quae videntur significare peragendum Sacramentum, potiusquam iam peractum, ad sensum iam absoluti matrimonialis contractus interpretandae sunt, cum revera iam absolutus supponatur in Rituali, ut superius dictum est. Ita quod in Oratione prima post *Pater noster* dicitur, nempe « ut quod te auctore iungitur, te auxiliante servetur », significat tempus praesens; sed moraliter accipiendum est, quatenus benedictio perficit hic et nunc quod

iam factum est. Similiter verba quae in secunda dicuntur « respice... super hanc famulam tuam, quae maritali iungenda consortio », relationem dicunt ad coniugalem copulam de qua paulo superius, ut non indicent contractum, qui est iam initus. Idem est verborum « casta nubat » sensus, videlicet, uxoris officia caste peragat. Idem de verbis Introitus « Deus Israel vos coniungat », quae optime quoque significare possunt, si ad contractum referas, Deus Israel coniunctos vos teneat, etc. atque ita de aliis. Eiusmodi ceterum est Ecclesiae sensus, haec proinde universalis praxis, quae omnino servanda est, ut nempe prius sponsorum recipiatur a Parocho consensus, inde eis benedicat. Hinc sequitur, Parochum, si aliter fieri non possit, instruere potius debere sponsos, ut alio tempore, benedictionem postulent, quae in praesenti dari etiam potest postquam simul sponsi cohabitaverint. Ad quod si adduci non potuerint, patientia opus erit, cum ad impossibile nemo teneatur.

AD CALENDARIORUM REDACTORES

Cum commodi gratia Calendariis locorum quaedam soleant praenotari circa Missas votivas, de requie etc. et plures Calendariorum Redactores a nobis petierint, ut aliquod ad rem exemplar eiusmodi praenotandorum in Ephemeridibus inserere velimus; in eo iam sumus, ut illorum votis faciamus satis, quidquid novi iuris haberi possit maxime prae oculis habentes.

PRAENOTANDA
Calendariis locorum praemittenda.

I. **Missam votivam privatam aut de requie impediunt:** 1. Festa duplicia: 2. Dominicae: 3. Vigiliae Nativitatis D. N., Epiphaniae, et Pentecostes: 4. Dies infra eorumdem festorum octavas, atque etiam Corporis Christi: 5. Feria IV Cinerum: 6. Integra Hebdomada maior. *Missa votiva solemnis, nisi sit pro re gravi, uti privata habenda est in casu. Missa de requie, etsi solemnis, nisi ad illas pertineat, de quibus dicemus, item uti privata habenda est.*

II. **Missam votivam solemnem pro re gravi impediunt:** 1. Duplicia I classis: 2. Dominicae I classis: 3. Feria IV Cinerum: 4. Vigiliae Nativitatis D. N. et Pentecostes: 5. Integra Hebdomada maior. *Missa votiva nunquam potest dici aut cantari de quo festum recolitur.*

III. **Missam votivam pro sponsis impediunt, non tamen de die cum com. pro sponsis et benedictione:** 1. Duplicia I et II classis: 2. Dominicae, aliaque festa de praecepto: 3. Integra octava Epiphaniae ac Pentecostes, nec non huius Vigilia: 4. Dies octava Corporis Christi: 5. Dies, qui duplicia II classis respuunt. *Com. pro sponsis dicenda post alias ex Rubrica, sub distincta conclusione.*

IV. **Missam cum cantu aut solemnem de requie praesente cadavere impediunt:** 1. Omnia festa solemniora universalis Ecclesiae, nempe, Dominica Paschae et Pentecostes, Nativitas, Epiphania, Ascensio, et Corpus Christi, Imm. Conceptio, Annuntiatio et Assumptio Deiparae, Nativitas S. Io: Baptistae, S. Ioseph, Ss. Apost. Petrus et Paulus, et festum Omn. Sanctorum: 2. Dies solemnitatis

festi ex indulto translati, modo celebretur in populo: 3. Ultimum triduum maioris Hebdomadae: 4. Festa solemniora localia, hoc est: Patronus loci praecipuus, Dedicatio et Titulus Ecclesiae propriae: 5. Tempus solemnis Expositionis Eucharistiae: 6. Dies Rogationum et Vigilia Pentecostes, in Ecclesiis parochialibus unam Missam habentibus. *Cadaver censetur praesens, cuius praesentiae defectum excusat causa gravis, dummodo non ultra biduum ab obitu sit tumulatum.*

V. **Missam solemnem aut cantatam diebus: III, VII, XXX et anniversaria ab obitu vel depositione impediunt:** 1. Duplicia I et II classis: 2. Dominicae ac festa de praecepto: 3. Vigiliae Nativitatis D. N. et Pentecostes: 4. Dies infra Octavas eiusdem Nativitatis, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corporis Christi: 5. Feria IV Cinerum: 6. Tota Hebdomada maior: 7. Tempus solemnis Expositionis Eucharistiae. *Missa, ut supra, impedita vel anticipari vel transferri potest ac debet in primam diem a superioribus impedimentis liberam. Inter anniversaria fundata et privata non datur distinctio in casu.*

VI. **Missa in aliena Ecclesia:** semper debet convenire cum officio eiusdem Ecclesiae, nisi illius ritus Missas votivas permittat; quo in casu Sacerdos celebrare potest iuxta officium vel Ecclesiae vel proprium, vel de feria vel de requie, etc. prouti ei libuerit. Idem dicendum de Oratorio publico: in privatis vero, Missa erit semper conformis Celebrantis officio.

VII. **Missam in Oratoriis privatis per se impediunt:** 1. Nativitas D. N., Epiphania, Triduum ultimum maioris Hebdomadae, Resurrectio et Ascensio D. N.

ac Pentecostes: 2. Annuntiatio et Assumptio Deiparae: 3. Festum Ss. Petri et Pauli, atque Omnium Sanctorum: 4. Patronus loci praecipuus. *Dubium est, quidquid theoretice iudicari possit, utrum dictam Missam impediant sequentia festa: Corpus Domini, Imm. Conceptio Deiparae, Nativitas S. Ioannis Baptistae, et S. Ioseph. Cum autem lex dubia non obliget, saltem in casu; hinc in praxi certum est, haec festa Missam non impedire in Oratoriis privatis, quoadusque competens Auctoritas quaestionem solvat. Diximus studio,* **per se**: *ut unicuique innotescat, in singulis locis unamquamque personam posse ac debere relativo indulto se conformare.*

Praenotata arbitramur omnino certa et nulli discussioni obnoxia: ut omnibus Calendariis locorum praemitti iure queant ad communem normam. Omnem in iis exponendis adhibuimus, quantum ex nobis fuit, diligentiam; si nihilominus ex dictis aliquid minus alicui placere potuerit, vel omissum fortasse fuerit, aut difficultati videatur subiacere, Ven. Consociatis propriam nobis in oppositum sentiendi rationem aperientibus libenter faciemus satis.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896.

SACRORUM RITUUM CONGREGATIO

I.

ALMERIEN.

In Oppido vulgo *Gérgal* Dioeceseos Almeriensis in Hispania mos est, ut Dominica secunda Mensis Septembris, in honorem Beatae Mariae Virginis, vespertinis horis fiat processio religiosa, in qua Imagines sive Reliquiae ipsius Beatae Virginis, Sancti Iosephi ac aliorum Sanctorum circumferantur, una cum Augustissimo Eucharistiae Sacramento. Hinc Parochus eiusdem Oppidi dubitans, an huiusmodi praxis sit plane conformis Rubricis ac Decretis, a S. R. Congregatione sequentis Dubii solutionem humillime flagitavit, nimirum:

« Utrum extra festum Corporis Christi eiusque octavam liceat in honorem Beatae Mariae Virginis aut Sanctorum in vespertinis processionibus deferre Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, et etiam Imagines sive Reliquias ipsius Beatae Virginis ac Sanctorum? »

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature expensis, rescribendum censuit:

Ad Dubium: *Affirmative de consensu Ordinarii quoad primam partem: Negative quoad secundam.* Atque ita servari mandavit. Die 31 Ianuarii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

II.

ANNECIEN.

Instante Rm̃o Dño Episcopo Anneciensi, ut in universis Paroeciis suae Dioeceseos, de Apostolica Venia permittatur usus sacrorum Oleorum, anno praecedente benedictorum, usque ad Sabbatum ante Pentecosten exclusive, ne eo tempore absint a propriis Paroeciis Rectores vel Vicarii, quorum ministerio Christifideles egent: S. R. Congregatio referente subscripto Secretario, iuxta votum Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: « Parochus curet, ut Presbyter, vel Clericus, si possibile sit in Sacris constitutus, nova Olea Sacra recipiat. Quod si aliquod adhuc extet impedimentum, idem Parochus vel per se vel per alium Sacerdotem benedicat fontem sine sacrorum Oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore fiet: nisi aliquem baptizare debeat, tunc enim in ipsa benedictione solemni vetera Olea infundat ». Atque ita servari mandavit. Die 31 Ianuarii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

III.

BISARCHIEN.

Rector Parochialis Ecclesiae loci vulgo *Ozieri*, intra fines Dioeceseos Bisarchien. in Sardinia, de consensu sui Rm̃i Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem humillime postulavit, nimirum:

« An in eadem Parochiali Ecclesia a fidelibus intra Missam cani possint iuxta antiquum morem, a nonnullis annis interruptum, preces vel hymni lingua vernacula compositi in honorem Sancti vel Mysterii, cuius festum agitur? »

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, atque exquisito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Affirmative de consensu Ordinarii quoad Missam privatam: Negative quoad Missam solemnem sive cantatam iuxta Ordinationis pro Musica Sacra Articulum septimum et octavum; non obstante Decreto die 21 Iunii 1879 dato et aliis quibuscumque.

Atque ita servari mandavit. Die 31 Ian. 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

IV.

DECRETUM GENERALE
ANNIVERSARII DEDICATIONIS ECCLESIAE

Ad omnes in posterum controversias circa Anniversarium Dedicationis Ecclesiae penitus evellendas, S. R. C. in Comitiis pro nova Collectione authentica Decretorum evulganda, subsignata die ad Vaticanum habitis, statuit ac declaravit: I. Dedicationem Ecclesiae, eiusque proinde Anniversarium, esse festum Domini. II. Hinc Ecclesiae propriae Anniversarium, iuxta Rubricas solemnius et primarium, aliis quibuscumque locorum festis, etiam Patroni aut Titularis, esse per se praeferendum, tam in occursu quam in concursu; permitti nihilominus, ut Patroni festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis praefato Anniversario praeferatur. III. Anniversarium vero Dedicationis Ecclesiae non propriae, uti secundarium habendum esse, et si cum aliis quibuscumque festis occurrat vel concurrat, servandas esse Rubricas et Decretum Gen. super primariis et secundariis festis. IV. Eiusdem autem Dedicationis Ecclesiae, sive propriae sive non propriae, Anniversario occurrente vel concurrente cum festis solemnioribus universalis Ecclesiae, haec semper illi praevalere, personali etiam dignitate posthabita, iuxta Rubricas. V. Quamvis fixa esse debeat illa dies anniversaria Dedicationis Ecclesiae, quae infra annum a consecratione recurrit; nihilominus Episcopo Ecclesiam conse-

cranti ius inhaerere, iuxta Decreta alias edita, aliam diem fixam, vel etiam Dominicam, dummodo in consecrationis actu, seligendi pro illius Anniversario quotannis solemnius celebrando: exceptis duplicibus primae et secundae classis universalis Ecclesiae, nec non quibuscumque Dominicis privilegiatis, et duplicibus primae classis Ecclesiarum particularium. Atque ita servari mandavit.

Die 4 Februarii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. A. TRIPEPI *Secretarius.*

V.

DUBIA.

Quidam Sacrarum Caeremoniarum Magistri, quibus Kalendaria particularia disponere commissum est, Sacram Rituum Congregationem pro insequentium Dubiorum resolutione humiliter rogarunt; nimirum:

I. An dies infra Octavam Festi primarii vel secundarii cedant semiduplici occurrenti?

II. Utrum dies Octava sequatur rationem sui Festi primarii vel secundarii?

Et Sacra Congregatio, referente subscripto Secretario, et audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Dies infra Octavam quamcumque tanquam secundarios habendos esse, et cedere cuicumque semiduplici occurrenti ».

Ad II. « Affirmative, nempe: Diem Octavam esse primariam vel secundariam, prouti Festum,

ad quod illa pertinet, primarium vel secundarium est ».

Atque ita rescripsit. Die 21 Februarii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi *Secretarius.*

VI.

VIGLEVANEN.

R. Dñus Iosephus Precerutti, Dioeceseos Viglevanensis, cui munus incumbit redigendi quotannis Kalendarium Dioecesanum, de consensu sui Rmi Ordinarii, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium Dubiorum solutionem enixe flagitavit, nimirum:

I. In Kalendario Dioeceseos Viglevanensis non raro occurrunt eadem die duo festa primaria, vel duo secundaria, eiusdem ritus et classis, sed diversae dignitatis, quorum unum est mobile, alterum affixum diei mensis: quaeritur cuinam festo in hisce casibus competat praecedentia?

II. Quid agendum de festo Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apost., perpetuo impedito in Kalendario Dioecesano, cum ei locus non suppetat?

III. Ex Litteris Apostolicis in forma Brevis Pii Papae VI, in Dioecesi Viglevanen. et aliis Dioecesibus Pedemontanis, die decimaquinta Ianuarii celebratur festum Translationis Reliquiarum Sancti Mauritii Martyris, Patroni Principalis Pedemontii, sub ritu duplici primae classis cum

Octava; quum vero die 22 Septembris agatur festum Sancti Mauritii et Soc. Mm., sub ritu duplici maiori, quaeritur, an hoc alterum festum habendum sit tanquam primarium in casu?

IV. In Ecclesiis Parochialibus nullam habentibus Chori obligationem, et in quibus tamen decantantur Vesperae diebus festivis absque Completorio, ipsae Vesperae in festo Purificationis B. Mariae Virginis concludendae sunt cum Antiphona: « *Alma Redemptoris Mater* », vel cum altera: « *Ave, Regina Coelorum* »?

V. An servari possit immemorabilis consuetudo, qua in Officiis Defunctorum, quae peraguntur infra annum cum aliqua solemnitate, praesertim diebus obitus et anniversariis, semper decantetur primum Nocturnum cum Laudibus recitatis, non omisso cantu Invitatorii: « *Venite, exultemus* »?

Sacra autem Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. « Ex duobus festis primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis, praecedentia competit digniori: in paritate vero dignitatis, competit festo diei mensis affixo ».

Ad II. « Festum, de quo agitur, ex communi lege ad instar simplicis perpetuo redigendum foret: verum de speciali gratia, reponatur prima die, a duplici minore libera, et festum semiduplex fiat simplex ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam ».

Ad V. « Serventur Rubricae Ritualis et Breviarii Romani ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 21 Februarii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi *Secretarius.*

ARCHAEOLOGIA SACRA

XI.

De Cruce.

Appropinquante Dominicae passionis tempore, aequum est ut de signo sanctae Crucis agamus, dissertatione de romanis coemeteriis praetermissa (1). Crux enim, nostris spes unica rebus, quae Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia, nobis vero in haereditatem vocatis Dei virtus et sapientia, velut sigillum divinitatis consideranda est. Ipsam intuemur uti christiani exercitus vexillum contra tartareas potestates luctantis ac labarum salutis nostrae. Crux salutifera, quae a prima ecclesiae aetate signum Christi appellata est, ita actibus christianorum, ecclesiaeque ritibus nec non monumentis eorum inhaerebat ut hi nil dicerent, vel facerent, aut hominum memoriae mandarent absque illius signo. Domus itaque vestes, domesticam supellectilem, annulos, torques, fibulas, sepulcra, templa, arma, numismata,

(1) Dissertatio continuabitur mense Aprili et sequentibus.

nummos cruce signabant. Statim *in fronte regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt* (1), cum Christus orbem non ferro sed ligno domuisset.

Interim ea de cruce, de eius cultu, ac honore illi tributo explicabimus quae nos docent antiquitatis monumenta. A forma crucis initium sumamus, quae aequilatera seu graeca, latina seu immissa, decussata seu ad formam litterae X, monogrammata, commissa seu patibulata ad instar Tau tribus tantum lineis, gammata, et gemmata dicta est. Exempla subjicimus.



graeca latina decussata monogrammata commissa gammata gemmata

Persaepe in monumentis crucem aequilateram invenimus, etiam sigillo impressam vasis fictilibus, quemadmodum repertum est in fragmentis vasorum huiusmodi, quae magna congerie in monte Testaceo Romae reperiuntur. Vasa haec, maxima ex parte, Hispania et Africa per Tyberim Romam usque navibus deferebantur, quae grano, vino, oleo, aromatibusque plena erant (2). En lapis erutus crypta Hyppoliti in coemeterio ad viam Tiburtinam qui aequilatera cruce signatus est (3).

---

(1) August. In psal. 54.

(2) Vasa haec sive amphorae in tributum vel imperii vel nobilium Romanorum mittebantur usque ad saeculum V, quae confractae et ad ripas fluminis proiectae Testaceum collem efformaverunt.

(3) V. De Rossi, *Boll. d'arch. crist.*, 1883, p. 107.

+ HIC · REQVIESCIT · IN · PACE · HILARVS
LICTOR TT PVDENTIS
QVI · VIXIT · ANN PL · M · XXX
DEP · ϤI IDVS IVL PC ////// MABORTI · V · C (1)

De cruce latina exemplum habeto in duabus quae sequuntur inscriptionibus. Prima ad saeculum quartum aut quintum spectat ex forma litterarum, cum non notetur consulatu; altera consulatu Flavii Stiliconis signata, anno 400 vel 405, posita est, cum hic his annis consul fuerit primum cum Aureliano, secundum cum Anthemio. Haec postrema inscriptio in lapide epistographo inventa est in basilicula S. Sixti II supra coemeterium Callixti.

FELIX QVI B · ANNV · D · N XX
VIII · PP · V · IDVS IVLIAS
☧ +
albero pecora figura orante pecora albero (2)

..... FELICITAS QVAE *vixit* .... *fecit*
*cum mari*TO SVO ANVS PLM X ....
deposita EST IN PACE V K*al*... *cons* · *stilic*
ONIS V C + (3)

(1) Inscriptio refertur ad annum 528, qui in occidente signabatur post consulatum Vettii Agorii Bisilii Mavortii. Explicatur. — *Hic requiescit in pace Hilarus — lector tituli Pudentis — qui vixit annos plus minus XXX — depositus VI idus iulii postconsulatum Maborti* (Mavortii) *viri clarissimi.* Alter lapis notatus eodem consulatu cum cruce latina inventus est in coemeterio S. Castuli via Labicana, quem refert De Rossi.

(2) *Felix qui bixit* (vixit) *annum dies numero XXVIII depositus V idus iulias.* Lapis, quem Marangoni edidit, in coemeterio Thrasonis ad viam Salariam repertus est.

(3) V. De Rossi, *Boll. d'arch. crist.*, 1881, p. 158. Confer aliud hujusmodi crucis exemplum in *Inscr. chris.*, Tom. I, p. 576.

Crucis decussatae inspiciamus exemplar in inscriptione quae sequitur, (cuius crucis origo est ante Constantini tempora), quae inventa est in coemeterio Priscillae via Salaria: prima X crucem decussatam, secunda X nominis Χριστος initium significat: inscriptio autem latine reddita haec est: *Cara, memento mei.*

KAPA MNHMONEYE MOU X
☐ ☐ X ☐ (1)

Crucem monogrammatam intueri datum est in publicis monumentis aetate Constantini ac post eius tempora una cum Christi monogrammate. Inter annum 402 et 417 post Christum natum, idest pontificatu Innocentii I, Proclinus et Ursus praesbyteri tituli Bizantis divo Sebastiano Martyri votum fecerunt, scilicet pluteos ex marmore ad scalas in Catacumbis posuerunt (2). In his igitur monogramma cum A et Ω inspicitur nec non huiusmodi crux, quae hinc inde litteras pariter habet A et Ω (3). Et alias similes cruces inspicere concessum est, inter quas illam a Victore Capuae Episcopo incisam in altaris fulcro, anno 541. Item ipsam invenimus sculptam in laminis aereis, quas christiani aliquando pro tessera recognitionis ad collum servorum ponebant. Harum una sic loquitur — *Tene me quia fugi et revoca me in celimontio ad domu elpidii V. C. Bonoso* ☧ — (4).

(1) Confer inscriptionem in *Boll. d'arch. crist.*, 1884-85, p. 62.

(2) *Temporibus sancti | Innocentii Episcopi | Proclinus et Ursus Praesbb | tituli Bizantis | Sancto Martyri | Sebastiano ex voto fecerunt |*. Inscriptionem hanc leges apud Mai *Scrip. Veter. Nov. Coll.*, Tom. I. 150.

(3) V. De Rossi, *Boll. d'arch. crist.*, 1881, p. 152.

(4) Lamina ad saec. IV aut V spectat: penes De Rossi, *Boll. d'arch. crist.*, 1874, p. 41, Tav. II.

Huius formae crux saepissime adhibita est Romae ac in suburbio saeculo quarto decedente et quinto. Alibi etiam usurpatam invenimus pluribus in locis, uti videre datum est Capuae in cappella sanctae Matronae ad sanctum Priscum — saec. V. — De littera Tau, quae crucem significat, sic loquitur Tertullianus in Marcionem (1). *Ipsa enim littera Graecorum Tau, nostra autem* T, *species crucis quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram et catholicam Hierusalem.* De huiusmodi littera, qua qui salvandi erant signati in frontibus sunt, loquuntur Ezechiel cap. 9, Iohannes in Apocalypsi ac plerique sanctorum Patrum. Huiusmodi crux expressa invenitur hoc modo in epitaphio coemeteriii Callixti, id est — IRETNE — apud De Rossi. — Usus gammatae crucis ante Christum reperitur. Attamen christiani ipsam persaepe adhibuere in suis monumentis ac vestibus (2), uti videre est in tunica pastoris cuiusdam in coemeterio Generosae ad sextum Philippi, atque in veste fossoris Diogenis in Coemeterio Domitillae, nec non in plerisque operibus musivis basilicarum Romae. Ipsam repetitam pluries invenimus ad quatuor facies sarcophaghi basilicae S. Ambrosii Mediolanensis (3), eamque etiam intuemur in epitaphio Ulpiae Siricae coemeterii divae Agnetis via Nomentana, atque in illo Valerii Leonis coemeterii ad vigesimum lapidem apud urbem, iamdiu deletam, Capenatium. Non raro primaeva aetate anchoram ad crucis formam in monumentis invenimus, cui aliquando piscis inhaeret, symbolum Christi vel christiani viri.

---

(1) Lib. III. c. 22 de Ezech.

(2) Hac de causa vestis gammadia vocabatur. V. Macri Hierolexicon ad vocabulum gammadia.

(3) Allegranza Gius., *Spieg. sopra alcuni monum. di Milano.* Milano, 1757.

Quoad vero gemmatam crucem dicendum est eam hoc pernobili ornatu fidelium venerationi fuisse propositam, ut evanesceret tum ab ipsis, tum a neophytis, qui ad cultum christianae religionis transierant, horror, quem ipsi de cruce conceperant, utpote quae ad expianda scelera adhibita sit, cum in eam agerentur homines flagitiosi. Admodum enim turpis memoria apud omnes romano imperio degentes de cruce perseverabat. Hac ipsa de causa explicatur quare monumentis ante saeculum quartum abfuerit. Si enim aperte cultui foret proposita, id satis erat ut plurimi ex ethnicis a christiana religione amplectenda arcerentur, qui sibi haud facile persuasissent a Christo Deo supplicio crucis humanum genus salvatum esse, ac multo minus eum adorari debere quem cruci affixum scirent. Caute igitur, prima aetate, in re tanti momenti se gessit Ecclesia ne Iudaeis scandalum et gentibus stultitia videretur sublimitas crucis. Id autem non impedit quominus private et coleretur et adhiberetur; ea enim in ritibus usi sunt sacerdotes, praesertim baptismi, sanctique martyres, qui iuxta eorum acta, signo crucis aliquod miraculum operati sunt.

Nec artifices christiani defuerunt qui cruce opera sua signarent, uti martyres, qui Coronati dicuntur, scilicet Claudius, Castorius, Simphorianus et Nicostratus (1), qui ad metalla in Pannonia damnati sunt tempore Diocletiani (2).

Cum cives Alexandriae fidem christianam amplexi essent, fenestris, ianuis ac parietibus domorum Serapidis hermas abstulerunt, locoque earum crucem posuerunt. Audiamus

---

(1) De his agit Martyr. Roman. sexto Id. Nov. Adverte acta sanctorum quatuor Coronatorum admodum fuisse a scriptoribus seu agiographis confusa.

(2) Hi artifices metallici vocabantur, qui, ad lapidicinas seu latomias, marmora operabantur. V. De Rossi, *Boll. d'arch. crist.*, 1879, p. 48.

Rufinum (1): *Alexandriae unusquisque in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus columnisque depingebat* crucem. Quod videntes ethnici putaverunt christianos hoc signo voluisse vitam futuram, iuxta Aegyptiorum doctrinam, significare. Quapropter in obelisco Latheranensi sculptam cernimus crucem super noctuae caput. De hac praxi laudabili Alexandrini a Iuliano Apostata exprobati sunt uti re feri Cyrillus Alexandrinus — Lib. VI contra Iul. — Hunc christianorum morem S. Ephrem Syrus confirmat inquiens: *Crucem depingimus et insculpimus in ianuis nostris.* Et S. Cyprianus — de Baptismo in principio — *Nos in cruce gloriamur, cuius virtus omnia peragit sacramenta, sine quo signo nihil est sanctum, nec aliqua consacratio meretur effectum. Hinc omnium sanctificationum exurgit sublimitas et profundum, et longe lateque diffunditur plenitudo gratiarum.* Verba Cypriani de sacramentis Augustinus confirmat cum ait catechumenos signo crucis signari consuevisse, antequam hi baptismo tingerentur: *Catechumenus iam crucem Christi portat in fronte* (2). Statim ac post baptismum, iuxta antiquum morem, *consignatio* fiebat, seu confirmabatur neophytus ab Episcopo, qui hanc proferebat formulam: *Signum Christi in vitam aeternam* (3).

Cum autem de hostibus suis, post magnas cruentasque luctas triumphum egisset Ecclesia, cumque iam christiana religio longe lateque propagata esset, ac consulares togatique viri clarissimi senatus romani, simulacro Victoriae terga vertentes, Christo iam cervices suas humiliassent, tunc signum redemptionis nostrae victor apparere coepit in omnibus monumentis locisque sive privatis sive publicis. Auro gemmisque ornata, veluti triumphans vexillum romanis arcibus resplenduit, cuius radii per universum orbem diffusi

(1) ***Hist. Eccles.*** XI. 29.

(2) *Confess.* I. 11, *Tract.* XI in Iohann.

(3) *Sacrament. Gelasian.* ap. Card. Tomassi VI, p. 76.

tenebras gentilitatis fugavere. Itaque a saeculo quarto usus magis magisque invaluit crucem publice signandi vel Christi monogramma, quod Constantinianum vocant; in monumentis vero sepulcrorum ac inscriptionibus, praesertim a saeculo quinto, quamvis non desint exempla prioris aetatis, uti invimus, etiam saeculi secundi et tertii.

Crux itaque, pace Ecclesiae parta, adeo a christianis religioso cultu venerata est, tamquam signum gloriae, salutis ac victoriae, ut templa et monumenta illustraret, domesticam suppellectilem, militaria arma ac Labarum signaret, eorumque actus comitaretur. Cum, membra dantes sopori, nos salutifera cruce signamus, cogitemus eumdem morem prima Ecclesiae aetate invaluisse, uti refert Hieronymus ad Demetriadem et Eustochium scribens et Prudentius (1).

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet:
Crux pellit omne crimen etc.

In quibusdam numismatibus Constantini Magni et Constantini iunioris officinae monetariae Aquileiensis supra aversam partem, inter militaria ornamenta, crux inspicitur ad formam Tau **T**, desinente linea recta in medio lineae transversalis in formam rotundam. Cum Constantinum meminerim, refero quod de ipso narrat Eusebius (2), scilicet: in vestibulo palatii sui depictus cernebatur imperator, gerens crucis signum in capite, qui Labari cuspide draconem sub pedibus suis transfigebat.

(1) *Hym. VI ante somn.*
(2) Lib. III. c. 3 in vit. ipsius.

Huc facit quod invenitur expressum in pluribus lucernis, praesertim fictilibus, Italiae, Graeciae atque Africae, nempe draco cuspide crucis confossus, qui symbolum est vel diaboli virtute crucis devicti, vel ethnicae religionis pariter ab ea profligatae. In quadam lucerna saeculi quinti, sub terris Palatini montis Romae inventa (1), effictus exhibetur Christus inter duos angelos, qui crucis hasta serpentem percutit deiectum supra leonem, penes quem aspis et basiliscus sese contorquent (2). Alia lucerna exhibet crucem monogrammatam cum gemmis, in qua facies utraque cernitur nummi Theodosii II, epigraphe vicennalium inscripta, una cum imagine Victoriae crucem gestantis. Huiusmodi repraesentatio inspicitur supra lucernam musaei Kircheriani Romae (3). Id probabiliter in memoriam edicti actum est quod ipse Imperator publicari iussit anno 426, in Graecia atque Asia, ut omnimode ethnica religio destrueretur atque crux sancta poneretur supra fana muminum deserta aut clausa.

Crucis almae cultus est admodum propagatus, cum libertas Ecclesiae concessa est per edictum quod Constantinus ac Licinius Mediolani, anno 313, publicaverunt, mense martio (4), nec non per edictum amplius, quo sacrificia quaeque Deorum eorumque omnimodum cultum vetuerat Theodo-

---

(1) De ipsa loquutus est Aloysius Bruzza in academia archaeologiae sacrae anno 1882. V. *Boll. d'arch. crist.* huius anni, p. 165.

(2) Id Psalmo 90 alludit, in quo ad versus 13 legimus: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.*

(3) Figuram refert Garrucci. Tab. 471, 3.

(4) Allard. *Hist. des persec.:* Mason edictum refert ad annum 312 mense novembri; Herzberg ad 313 mense ianuario, Boissier ad 313 mense iunio.

sius I, anno 391 (1). Constantinus ipse adorationis exemplum pernobile erga crucem protulerat, cum, iuxta acta Sylvestri saeculo quinto jam nota, quae censentur a quibusdam uti sincera, ait in Basilica Ulpia ad Forum Traianum Romae: Sciatis modo quod Iovem respuo et crucem adoro.

Hinc est quod iam a saeculo quarto signum Christi veluti fons salutis habebatur non pro hominibus tantum, sed et pro iam animantibus, quo ipsa ad salutem consequendam signabantur, cum morbo laborarent. Severus Endeleicus, saeculo quarto occidente, carmen bucolicum *de mortibus boum* conscripsit, ex quo haec profero:

Hoc signum mediis in frontibus additum
Cunctarum pecudum certa salus fuit.

Hoc ipso saeculo, Paulinus Nolanus Episcopus maximum honorem tribuit cruci, cum eam supra portas ecclesiae suae in urbe Nolae in Campania iussit incidi, florum coronis ornatam, cui columbae adstabant, animarum figura ad Christum Dominum dilectione advolantium, his versibus insculptis, quos ipse composuerat.

ARDUA FLORIFERAE CRUX CINGITUR URBE CORONAE
ET DOMINI FUSO TINCTA CRUORE RUBET.
QUAEQUE SUPER SIGNUM RESIDENT CAELESTE COLUMBAE
SIMPLICIBUS PRODUNT REGNA PATERE DEI.

In altera portarum hi versus legebantur:

HAC CRUCE NOS MUNDO ET NOBIS INTERFICE MUNDUM
INTERITU CULPAE VIVIFICANS ANIMAM
NOS QUOQUE PERFICIAS PLACITAS TIBI CHRISTE COLUMBAS
SI VIGEAT PURIS PAX TUA PECTORIBUS.

---

(3) Cod. Theod. XVI. 10. 10. Anno sequenti sacrificia prohibuit sub mortis poena, omnesque idololatriae actus sub poena confiscationis bonorum. Cod. Theod. XVI. 10. 12.

Supra postes maioris ianuae qui sequuntur versus exarati sunt:

CERNE CORONATAM DOMINI SUPER ATRIA CHRISTI
STARE CRUCEM DURO SPONDENTEM CELSA LABORI
PRAEMIA TOLLE CRUCEM QUI VIS AUFERRE CORONAM.

Conspiciuntur etiam columbae in linea transversa crucis, sculptae in sarcophago Honorii Ravennae, nec non supra subtusque crucem in aliis monumentis, et sarcophago Mediolanensi, quem Gallae Placidiae vocant, ubi columba (probabiliter figura Spiritus Sancti), rostro verticem crucis monogrammatae tangit. Columbae igitur animae christianorum sunt ad Christum pro nobis passum advolantes. Qua de re Ambrosius recte ait (1): *Quid sunt columbae, nisi simplices mentes vel animae fidem candidam et puram sequentes?* Et Augustinus (2): *Columba enim pro signo dilectionis ponitur.* In ipso Mediolanensi sarcophago Gallae Placidiae in templo S. Aquilini, hinc inde ad crucem duo agni sculpti sunt (3), qui christianos denotant sequentes crucis humilitatem ac mansuetudinem Christi. Idipsum repraesentatum videbatur olim in pictura basilicae sanctorum Nerei et Achillei, intra moenia Romae, tituli Fasciolae.

Persaepe etiam ad latus crucis in antiquis monumentis litteras A et Ω signatas vidimus, quae aliquando brachiis crucis suspensae sunt: non raro Christi monogrammati crux sociabatur: in altaribus vero, labaris ac vexillis auro gemmisque nitebat. Crucem tamen nudam invenimus, absque ullo scilicet ornamento, post usum monogrammatis, quamvis non desint exempla anterioris aetatis. Generaliter, ubique locorum, hoc signum adhibitum est in inscriptionibus ac praesertim epitaphiis, a decedente saeculo quinto; nec tan-

(1) Oratio in Auxentium.
(2) In Psal. 54.
(3) Allegranza G., *loc. cit.*, Tav. II.

tum una vice, sed saepius repetitumin eodem lapide, vel ad unumquemque carminis versum. In lapide, exempli gratia, quem refert De Rossi, Tullii Anatolii Artemii pueri, in ecclesia sanctorum Apostolorum extra urbem Spoletanam sepulti, quater monogramma Christi repetitum inspicimus ac ter crucem ad formam latinam, graecam et monogrammatam. Spectat lapis ad annum 384, cum notatus inspiciatur consulatu Flavii Ricomerii et Flavii Clearchi.

Solebant Christifideles aliquando eam lapidibus signare supra corpus leonis vel equi decurrentis ad palmam, ut significarent mortalem cursum, quo christiani certaminis palmam victricem obtinent, iuxta verba Pauli ad Corinthios: *Sic currite ut comprehendatis*; et alia: *Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* In agro prope Carthaginem, quem Arabes *Bir-er-raumi* vocant opus musivum cuiusdam baptisterii diruti repertum est, quo crux efformata est quatuor piscibus ad circulum capite conversis. Qua figura cum aliis collata, quibus cernitur piscis ad circulum vergens, ac cum ea praesertim lapidis Mutinae, qua duo pisces ad quinque circulos in forma crucis vertuntur, qui panes tetrablomos significant (1), deducimus probabiliter circulum baptisterii Carthaginiensis panem eucharisticum denotare, quo vescebantur neophyti post baptismum, tanquam pisciculi in aqua venati.

Crux solemniter adhibita est in oblationibus donorum vel voti solutione Deo facti aut sanctis, praesertim martyribus: itaque saepius expressa reperitur in donis, sive haec ex auro, argento, aere, sive ex marmore aliave materia fuerint. Inter exempla pene innumera haec sufficiant. Cum Constantinus Augustus, iuxta Anastasium Bibliothecarium, locum ubi iacebat Beatus Petrus *undique ex aere cyprio* conclusisset,

(1) V. De Rossi, *Boll. d'arch. crist.*, 1881, p. 126.

supra locum ipsum sepulcri *fecit et crucem auream pretiosissimam pondere librarum centum quinquaginta in mensuram loci.*

Consul Felix martyribus, qui via Gabina iacuerunt (1), ornamentum marmoreum, modo in Musaeo Latheranensi asservatum, pro acceptis beneficiis obtulit, quo crux satis ampla super hanc inscriptionem effulgebat.

FELIX VI EX CONSVLE ORD (2)
SERVVS VEST
PRO CONTINVIS BENEFICIIS VESTRIS
OPTVLIT

Etiam Belisarius, Vithige Gothorum rege superato qui Romam obsederat, divo Petro per Vigilium Papam obtulit *Crucem auream cum gemmis pensantem libras centum, in qua scripsit victorias suas.* (Lib. Pont.).

Cum itaque Ecclesia de hostibus suis saevissimis triumphum egisset, cumque per acerbissimas persecutiones nobilior ac firmior effecta esset, statim obtulit mundo signum victoriae suae, ex quo vires hausit ad conterendas tartareas humanasque potestates. Et quamquam crux diversa, uti vidimus, forma fuisset venerationi proposita ac multimode adhibita, una tamen in mentibus christianorum perseverabat, scilicet fidei signum in redemptionem generis humani per passionem et mortem Filii Dei. Qua de re non tantum in publicis monumentis, verum etiam laribus ea primum locum honoris obtinebat: in liturgia vero frequens eius usus; nullus enim actus ecclesiastici cultus absque signo crucis exercebatur: hoc omnia vivificabat, sanctificabat omnia. Cruce

---

(1) Martyres censendi sunt qui Getulio S. Simphorosae Tyburtinae vero socii fuere, inter quos Primitivus, cui basilica antiquissima Gabiis dicata erat.

(2) *Felix Vir Illustris ex consule ordinario etc.* Hic vel ille est, qui anno 428 consul fuit cum Flavio Tauro, vel Felix qui cum Secundiano, anno 511, consulatum gerebat.

utebantur Christifideles ut se ab ingruentibus quorumcumque malorum periculis liberarent, et, hac fiducia, amuleta plurima diversi generis vincerent ethnicorum, quibus hi maxime confidebant.

Ut ea saepe saepius intueretur, mos erat apud christianos ipsam signandi vel pingendi etiam supra paropsides, pateras, cochlearia, vasa coquinaria, lucernas fictiles aut aeneas, latera cocta (1), tegulas ac testas quascumque, nec non super muros coemeteriorum, basilicarum et domorum. Longobardorum aetate, lamellas aureas vel argenteas, ad formam crucis, sutas scimus super vestes (2), veluti posteriori aevo crucesignati maiori cum splendore usi sunt.

Nemo igitur non videt quanta apud christianos, etiam primae aetatis, veneratione signum redemptionis nostrae cultum sit. Recte illud appellare concessum est vexillum religionis christianae, utpote quod tabula fuerit nostrae libertatis, iuxta verba sancti Caesarii Arelatensis, a quo crux vocatur — *Instrumentum manumissionis et adquisitae tabula libertatis* — Crucem igitur Domini adspiciamus, ne morsus nobis noceant venenosi serpentis. *Sicut Moyses* enim, ait Veritas, *exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Huc facit quod Ennodius cecinit (3).

Occisor mortis, dux vitae, planta salutis
Aspice, nunc serpens ecce venena fugat.
Et quod supplicii species et mortis imago
Iam fuerat miseris, est tibi certa salus.

IOSEPH Canonicus CASCIOLI.

---

(1) De vasis fictilibus ac lateribus cruce signatis multa habemus certa exempla, tempore Theodorici et Athalarici regum.

(2) Cruces huiusmodi videre est in musaeo ad Thermas Diocletianas Romae.

(3) Epig. 7 apud Sirmondi, Tom. I.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Cont. V. n. 2. pag. 95).

TEXTUS.

(Titulus IX).

N. 6.

In festis autem secundi ordinis (278), videlicet: Circumcisionis, Sanctissimi Nominis Iesu (279), Trinitatis, Purificationis, (280), Visitationis (281), et Nativitatis beatae Mariae (282), in Natalitiis undecim Apostolorum (283), et Evangelistarum, in festo Patrocinii Sancti Ioseph (284), in festo pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. (285), et Inventionis sanctae Crucis, in festo sancti Ioachim Patris beatae Mariae Virginis (286), et sanctae Annae Matris eiusdem (287), in festo sancti Laurentii, et Dedicationis sancti Michaelis Archangeli in primis Vesperis fit commemoratio festi duplicis eo die celebrati (288), nisi aliter in propriis locis notetur (289); de Dominica vero (290), de die infra Octavam et de festis semiduplicibus non fit commemoratio (291), eo modo, quo nec in festo solemni alicuius loci, ut dictum est supra. De Simplicibus et Vigiliis in his Festis occurrentibus legitur nona lectio et fit commemoratio in Laudibus tantum. In secundis autem Vesperis fit commemoratio de quocumque sequenti Festo (292),

etiam Simplici (293), et de die infra octavam, si de ea fieri debeat Officium die sequenti (294). De octavis Nativitatis Domini, Epiphaniae et Corporis Christi semper fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus quandocumque contigerit infra illas de aliquo alio Festo Officium celebrari iuxta Rubricam De Octavis num. 3.

(278) *In festis autem secundi ordinis*... Primum ordinem constituunt festa, quae ut supra vidimus vocantur primae classis, secundus ergo ordo constituitur ex festis quae secundae classis dicuntur, et hic enumerantur.

(279) *Circumcisionis, Sanctissimi Nominis*... Festum Ss. Nominis hic in Rubrica adiectum est in nova recognitione, et bene; iussu enim Innocentii XIII die 20 decembris 1721, ad universam ecclesiam sub ritu duplicis II classis extensum est hoc festum, quod antea in plerisque Orbis provinciis, et in particularibus ecclesiis vel Ordinibus Regularium recitabatur.

(280) *Purificationis* festum, sequebatur antea *Annunciationis*... quod hodie, uti iam diximus, a Leone XIII inter duplicia I. classis inscriptum est, ac proinde amplius non habet locum hoc loco hodie.

(281) *Visitationis*... Etiam festum Visitationis hic in nova recognitione optime inscriptum fuit, nam Pius Pp. IX suo Rescripto 31 Maii 1850, N. 5144, ad ritum duplex II classis evexit, in grati animi testimonium erga Virginem Mariam, eo quod die II Iulii eius ope Roma liberata est, excusso iugo irruentium inimicorum.

(282) *Nativitatis B. Mariae*... Hic hodie post Leonis XIII decretum II Septembris 1887 N. 5992 adiicienda est solemnitas Rosarii B. M. V. quam ad ritum II classis evexit.

(283) ... *in natalitiis undecim Apostolorum*... Hic dicitur *undecim,* non quasi revera sint undecim festa Apostolorum, dempto festo Ss. Petri et Pauli quod est duplex I classis, sed ut innuatur festa Apostolorum iure gaudere ritus duplicis II classis. Probe enim omnes norunt, festa Apostolorum esse novem.

(284) ... *in festo Patrocinii S. Ioseph.* Hoc festum quod iam a saeculo XVIII celebrabatur aliquibus locis, Pius Pp. IX ad universam extendit ecclesiam suo decreto diei 10 Septembris 1847 N. 5098.

(285) ... *in festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.*. Quod festum ad universam extendit ecclesiam Pius Pp. IX suo decreto 10 Augusti 1849 N. 5143, cum antea solummodo aliquibus dioecesibus et Ordinibus concessum erat.

(286) ... *in festo S. Ioachim.* Festum S. Ioachim uti habetur in actibus Bullandianis, anno 1510 invectum est, in Breviario a S. Pio V inde expunctum, sed a Gregorio XIII statim restitutum, eiusque officium in meliorem formam a Gregorio XV redactum. Tandem Clemens XII, anno 1738 a die XX Martii ad dominicam transtulit infra octavam Assumptionis B. M. V.. Cum enim vota suscipiens Imperatoris, ut S. Ioachim festum, sicut illud S. Annae eius coniugis, de praecepto recoleretur, ne huiusmodi feriata festa multiplicarentur in dominica praedicta celebrari iussit, et sic gauderet feriatione.

In quo decreto clementino habes luculentissimum argumentum ad probandum, quod festa mobilia in paritate ritus, cedere non debent festis fixis. Ecce, ante Clementem XII festum S. Ioachim recolebatur in die fixa XX Martii, quando vero idem Pontifex inde amovit, ac in dominicam infra octavam Assumptionis transtulit, certo certius id fecit, non ut in peiorem, sed in

meliorem conditionem transiret huius festi celebratio. Si ergo festa mobilia peiorem conditionem haberent, quam festa fixa; illaque hisce cedere deberent in paritate ritus, hoc inconveniens haberetur quod Pontifex elevare volens gradum solemnitatis S. Ioachim, e contra, illum depressisset.

Nec valet opponere, nihil aliud voluisse Pontificem nisi feriationem concedere festo S. Ioachim: transeat; attamen si festa fixa nobiliora essent quam festa mobilia in paritate ritus, praevidendum erat, pluribus in locis occurrere potuisse festa fixa eiusdem ritus, quae proinde S. Ioachim festi celebrationem impediret; sicque dum in die XX Martii S. Ioachim cedere debuisset tantummodo festis maioris dignitatis et ritus, post eius translationem in dictam dominicam cedere debuisset etiam quibuscumque festis eiusdem ritus, hac sola ratione quod sint fixa. Insuper nescimus cur festa mobilia, apud aliquos scriptores, censeantur minoris esse nobilitatis quam festa fixa. Nonne dies fixa, ex. gr., XX Augusti, est *propria* S. Bernardi sicut est *propria* dies dominica infra octavam Assumptionis, S. Ioachim? Iuxta sensum ergo Rubricarum, quando mensuranda est nobilitas duorum festorum, simul occurrentium, videndum est: I, si unum prae alio ritu maiori praeditum sit: II, si unum qualitatem habeat primarii et aliud secundarii: III, si unum prae alio dignitate personali sit dignius: IV, si in *propria* die occurrant ambo, aut unum in *non propria:* V, denique caeteris paribus quale ex duobus magis sit *proprium* ecclesiae, dioecesis etc. Unde distinctio in *fixum* et *mobile* festum nihil interest, pro mensuranda nobilitate eiusdem, quia *propria* dies est tam fixa, quam mobilis; et sicut Summus Pontifex, pro celebrando aliquo festo, assignat diem *propriam* fixam in mense, ita assignat diem *pro-*

priam mobilem: quod plurima exempla testantur, uti festa Ss. Cordis Iesu, Nominis B. M. V., Ss. Rosarii etc. (1).

Festum S. Ioachim hic noviter inscriptum est in Rubricis, postquam Ss. D. N. Leo XIII ad ritum duplicem II classis illud elevavit decreto Urbis et Orbis, 1 Aug. 1879.

(287) ... *et S. Annae*, hoc quoque festum ad ritum duplicem II classis evexit summus Pontifex eodem suo decreto.

(288) ... *in primis Vesperis fit commemoratio festi duplicis eo die celebrati.* Haec commemoratio duplicis maioris vel etiam minoris, non admittitur in primis vesperis duplicium primae classis, prout vidimus; ad-

---

(1) Optima quidem ratiocinatio, qua cl. Doct. utitur in praesenti adnotatione; hinc iure merito tenendum est, festum S. Ioachim non cedere alii occurrenti festo eiusdem ritus fixo, nisi potior huius dignitas id exigat. Nihilominus opportune hic animadvertendum, Dominicam infra octavam Assumptionis Deiparae vere esse diem *quasi-natalem* illius, proindeque festum primarium, quemadmodum diem fixam alterius cuiuscumque Sancti. Hinc est omnino per accidens, eiusmodi festum esse mobile; quinimo, uti optime notat cl. Expositor, ideo Dominicae affixum, ut recoli cum feriatione posset.

Verum aliter dicendum de aliis pluribus festis, quae in Dominica recoluntur, et mysterium omnino secundarium continent, quod iam in alio principaliori mysterio celebratum est. Eiusmodi sunt ex. gr. festum SS. Rosarii, Maternitatis, Puritatis Deiparae, et alia plura, quae ex recentiori instituto cleri aut fidelium devotio excogitavit. Haec autem ita dominicis diebus affixa fuere, quia minoris gravitatis iudicata sunt a S. R. C. et quasi commemorationes. Convenit ergo ne, ut haec festa mobilia aliis praeferantur ritu saltem paribus, diebus mensis affixis? Negative reponimus, et sub hoc respectu re perpensa, sapientioria iudicanda sunt Decreta S. R. C., quae festum fixum mobili praeferunt. (V. Dec. VI *Viglevanen.* supra relatum *pag. 134*). (*Redactio.*)

mittitur tamen in duplicibus II classis, quia, ut patet, haec minorem habent solemnitatem, ideoque Rubrica voluit duplicia maiora et minora commemoratione privari, in huiusmodi festis.

(289) ... *nisi aliter in propris locis notetur.* Vide antiquarum Rubricarum discretam et exactissimam locutionem; quoniam Specialis Rubrica Circumcisionis Domini, praescribit quod in primis eius vesperis *non fit aliqua commemoratio,* ne S. Silvestri quidem, quod est duplex, optime hanc posuit clausulam.

(290) ... *de dominica vero...* non tamen de dominica maiori, de qua ut supra exposuimus semper fit commemoratio.

(291) ... *de die infra Octavam et de festis semiduplicibus non fit commemoratio.* Solemnitas enim duplicis II classis stat ad festa semiduplicia, sicut solemnitas duplicis I classis stat ad duplicia; ac proinde sicut duplicia minora et maiora non commemorantur in solemnitatibus I classis, ita et semiduplicia in solemnitatibus II classis.

(292) ... *In secundis autem Vesperis fit commemoratio de quocumque sequenti festo.* Eadem ratione quam retulimus numero praecedenti.

(293) ... *etiam simplici.* Cum enim simplex occurrens commemoretur in laudibus duplicis II classis, nihil officit quod commemoretur quoque in secundis vesperis simplex sequens, compertum est enim secundas vesperas esse minoris dignitatis quam primas.

(294) ... *et de die infra octavam, si de ea fieri debeat officium die sequenti.* Hoc praescribitur eadem de causa. Si die sequenti agitur de infra octavam, nihil officit quod in duplici II classis, in cuius secundis vesperis commemoratur sequens festum simplex, commemorari possit quoque dies infra octavam. Et nota

quod in secundis vesperis duplicis II classis non fit commemoratio de die infra octavam occurrenti; quia cum de eo nihil actum sit neque in primis vesperis neque in laudibus, nulla causa suadet ut de eo agenda sit commemoratio in secundis. Si autem in crastino officium fit de infra octavam, tum commemoratio eiusdem in secundis.

(*Continuabitur*) *Doct.* Petrus Piacenza.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

III.

Cum in feriis autumnalibus Aloisius Sacerdos recreandi animi causa per pagos villasque infra Dioecesis limites iter habuisset, non semel diebus dominicis vel festis in privatis consanguineorum, penes quos hospitabatur, domibus, privilegium Oratorii privati quo gaudet ultro praetexens, Sacrum facere minime dubitavit, praesertim si vel ab aegra qua afficitur valetudine, vel a pluvia ad Ecclesiam loci accedere prohiberetur. Hanc agendi rationem animadvertens Ioseph finitimae Dioecesis Canonicus apud Aloisii avunculum rusticandi gratia commorans, pari privilegio, quo et ipse ditatur, frui posse diiudicat, celebrandi scilicet in eodem loco quoties ab Aloisio ibidem Sacrum peragitur; quodque plerumque actu perficit.

Quaeritur:

1. *Quibusnam limitibus circa locum, privilegium Oratorii domestici coarctetur? et num extra domum aut civitatem vel Dioecesim privilegiati usus ipsiusmet privilegii transferri queat nec ne?*

2. *Num duobus privilegiatis in eodem privato Oratorio Sacrum facere liceat, sive sint eiusdem sive diversae Dioecesis, civitatis, vel habitationis?*

3. *Utrum agendi modus Aloisii ac Iosephi, de quo in casu, sit nec ne probandus et in praxi adhibendus?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Iosephi Di Girolamo Almi Collegii Capranicensis alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 16 Ian. 1895: acta Epitoma per Rmum. Dom. Dom. Robertum Marcucci Apost. Caerem. Magistrum.

I. Quaeritur imprimis de limitibus, sub quibus concessio privati Oratorii coarctetur quoad locum, et num extra illum eo uti quis valeat.

Cum privilegium Oratorii privati personale sit, ideoque tale quod personam sequatur, cum eaque extinguatur, uti habetur in septima Iuris Regula in VI Decretalium: a nonnullis facile deduci posset, quod tali privilegio gaudens, ubique eo uti valeat sive Missam ipsemet celebrando si sit Sacerdos, sive eam audiendo si laicus. At Ecclesia prudenter timens irreverentias, quae ex nimia agendi libertate, contra hoc augustissimum Sacrificium patrari possent, et ad impediendum ne indefinite haec Oratoria multiplicarentur, cum Ecclesiarum publicarum detrimento, formam in-

dulti sapientissime moderatur, clausulam apponens circa celebrationis locum, ita ut valde concessa facultas coarctetur: illud efficiens, quod, insimul libertati atque commoditati prospiciens, privilegium indulgeat, coerceat excessum. Haec clausula, quoad locum, domum habitationis, civitatem et Dioecesim respicit.

Ut ordinatim procedamus, ad examen revocemus, quid sibi velit clausula domus habitationis. Haec duplici modo exprimitur: primo, iuxta quem, ut aiunt iuristae, stricte est interpretanda, sic sonat: *in privato domus tuae solitae habitationis Oratorio;* secundo, adiectivo *solitae* ablato, quod habitationi apponitur, et dicto tantum: *in privato domus tuae habitationis Oratorio,* iidem iuristae conveniunt maiorem dari libertatem in privilegii usu, ideoque latius interpretandum. Quid nomine *solitae habitationis* veniat, a verbis indulti minime sane erui potest, nil enim aliud, praeter citata verba, profert; ad regulas ergo iuris communiter receptas confugere cogimur, nec non ad Doctorum sententiam. Nunc vero hi omnes concordes affirmant domum cuiuslibet, ut dici possit solita habitatio illius, non requiri continuatim habitari, quin possit ullo mense, puta, derelinqui; at satis esse potiori anni parte ibi commorari. Quod si hac se exprimunt ratione Doctores, convenit in eamdem etiam communis populi opinio, vulgo enim haud aliter loquitur, experientia teste. Nemo certe dicitur habitationem immutasse, eo quod interdum, sive ob munera alicubi obeunda, sive oblectamenti causa, alibi moretur: dicitur utique extra domum versari; cum autem redierit, domum remeasse intelligitur, solitam suam nempe habita-

tionem repetiisse. Si igitur ad solitam habitationem constituendam, commoratio maioris partis anni requiritur, plane sequitur neminem posse tres, quatuorve aut plures solitas habere habitationes. Atque etiam sequitur alio transmeantem, *ad breve tempus tantum*, v. gr. duos vel tres menses, nulla ibi mansionem statuendi intentione, sed e contrario, animo redeundi ad eam quam transitorie reliquerat domum, non debere iudicari eo in loco acquisivisse solitae habitationis titulum, uti nec illum amisisse solitae habitationis in alia domo, quam ante tenuerat. Et revera, uti recte observat Gatticus, si ad domicilium habitationis interruptum restaurandum *non satis est aliquem domum rediisse, si mente alienus est*, et ad habitationis domicilium interrumpendum, non sufficit ad aliquod tempus abscedere, animo tamen redeundi; multo magis domus non desinit esse solita habitatio, si brevi temporis spatio materialiter derelinquitur, animo similiter redeundi.

At si tres quatuorve aut plures solitae habitationes nequeunt haberi, possent saltem haberi duae? Haud sane hoc raro accidit, et praesertim si agatur de Principibus aut aliis nobilibus personis, quae anni medietate, ut plurimum hyemali et verno tempore, unam incolunt domum, aliam reliquo tempore, ut sic et domesticis rebus diligentiorem curam impendant, et frigoris aut aestus molestias devitent. Nunc autem responsionem affirmativam damus, regulam sequentes, quae in Pandectis Iustiniani (*lib. 50 tit. 1*) reperitur, ut videre est apud Labbaeum: « Viris prudentibus placuit duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo

minus apud alteros se collocasse videretur ». Cui regulae sese accommodat Bonifacius VIII (*cap. 2* Cum quis, *tit. 22 de sepult. in VI*), supponens aliquem habere posse duo domicilia, *se collocans aequaliter in utroque*. Requiritur proinde talem solitum esse anni medietate in uno loco, alia in alio morari; si enim tribus circiter mensibus in una domo moratur, dum in alia reliquo anni tempore inhabitat, ex hoc titulo ius alterius solitae habitationis adipisci non valet. Quum autem anni medietas nominatur, non adeo severe intelligi debet, ut, si aliquantisper mora in una domo protrahatur, ex hoc solitae habitationis titulus amittatur pro alia, sed *morali modo, et iuxta prudentum aestimationem*. Unde retinendum est tum tantum destructum iri titulum solitae habitationis, cum unus locus prae alio, diuturna interposita mora, inhabitetur.

Quaestio inter Doctores exagitatur, utrum quis, alteram anni partem in alia domo pertransiens, gaudeat nec ne interea titulo solitae habitationis quoad domum eo tempore derelictam. At Bonifacius VIII, capite sup. cit. de sepult., videtur quaestionem dirimere, statuens utramque Ecclesiam, ad quam domus relative pertinent, debere canonicam portionem funerum aeque dividere, quae ab eo debetur, qui illa duplici habitatione utens, sepeliri tertio quodam loco elegit. Etenim clare patet, quod, si hic titulum solitae habitationis pro ea tantum domo retineret, quam inhabitat mortis tempore, Parochus alterius, frui non posset iure medietatis portionis canonicae: cum tamen Bonifacius VIII eam adiudicet, manifestum fit posse haberi insimul titulum solitae habitationis. Tan-

dem animadvertere opus est, quod, cum supra dictum sit domum solitae habitationis eam esse, in qua maior anni pars transigitur, eo ipso haud requiritur tempus inhabitationis iam debere esse delapsum, satis enim est incoepisse decurrere, animo manendi maiori anni parte; ut vel ab initio dici possit in solita habitatione degere, ideoque omnibus iuribus gaudere, cunctisque oneribus subiacere, quae consequantur.

Sensu verborum, *in domo solitae habitationis tuae* sic patefacto, facilius respondebimus quaestioni, an domestici Oratorii privilegium, iis verbis concessum, possit extra domum privilegiati transferri; resumpturi seorsim quaestionem aliam, utrum transferri valeat extra civitatem vel Dioecesim, in qua privilegiatus alteram solitam possideat habitationem. Cum clausula, *in domo solitae habitationis tuae*, privilegium coarctet, manifestum fit haud posse indultum applicari alii domui, quae non sit solitae habitationis; et cum solitae habitationes, in iure, plures quam duae non admittantur, consequitur, extra domum privilegiati, indultum transferri posse tunc tantum, cum e prima domo, in qua prima anni medietas transigitur, ad aliam, in qua secunda medietas ducitur, fit transmigratio, et cum ex hac ad illam transmeatur. Hoc unico casu excepto, nunquam extra domum transferre licet privati Oratorii privilegium, proindeque indultarius sui privilegii usu prohibetur: 1.° in domo alienae habitationis. 2.° in domo, in qua, etsi maiore anni parte moram ducit, animus tamen manendi deest. 3.° in ea domo, ad quam animi relaxandi causa, vel rerum cura adactus pergit, ibique manet anni parte minori.

Haec tamen clausula strictioris interpretationis raro apponitur; ad examen ergo alteram revocemus, quae maiorem sinit libertatem; sic autem sonat: *in privato domus tuae habitationis Oratorio*. Ex eo quod abstulerit Ecclesia adiectivum *solitae*, videtur ad hoc tantum intendisse, ut exciperet alios usus, qui praeter habitationem esse possent, nec non domum esse aliis locatione concessam: quo in casu verba clausulae, *in privato Oratorio habitationis*, et quidem *habitationis tuae* non comprobarentur. Ergo necesse est, ut recta adhibeatur interpretatio, 1.° domum sive urbanam sive ruralem, ad unicum privilegiati habitationis usum destinari, nec alii locari; 2.° privilegiatum reipsa in domo manere haud brevi temporis intervallo, secus enim, prudentum iudicio, domum habitationis appellari non valeret. Excipe tamen casum, quo quis saepe saepius breves moras multiplicaret, quae suapte frequentia, breviorem diuturnitatem supplerent, ac una simul, sufficiens temporis spatium conflarent, *pro habitatione denominanda*. Quamdiu vero protrahi debeat haec temporis mensura Doctores determinare non audent: Gatticus unius mensis lapsum sufficientem putat, ut severe indultum impleatur. Quod superius diximus, domum non debere aliis locari, ut haberi possit tamquam domus propriae habitationis, non ita intelligendum est, ut si quis palatium, pluribus domiciliis dissectum, superius inferiusque, imo et sub eiusdem ordinis lacunari, possideat, nonnullis sibi bene visis ex separatis conclavibus sibi reservatis, non possit cetera extraneis locare; sed dominus domus privilegio Oratorii frui potest in ea palatii parte, quam ad

suum domicilium destinavit. Imo etiamsi reale dominium non habeat, sed tantum usum, non ita tamen ut sit velut hospes aut peregrinus, eodem iure rite gaudebit: communi enim loquendi modo, talem usum habens dicitur in sua domo versari, hospes autem et peregrinus non sic, censetur enim semper in aliena domo habitare.

Hisce ergo positis, infertur quando privilegiatus uti possit suo privilegio extra domum et quando nequeat. Potest cum a domo quam inhabitat se ad aliam transfert, cuius dominium habet, ad usum habitationis destinatam, et in qua infra annum interdum immoratur, hoc enim in casu, clausula adamussim comprobatur: *in domo habitationis tuae.* Nequit cum, e domo quam inhabitat, se transfert ad aliam alieni dominii et habitationis (cuius tamen ipse ne dominium quidem usus habeat); recipitur enim ut hospes, nec potest dici in domo sua, et quamvis totam ibi vitam ducat, hospitis qualitatem non amittens, nunquam ei privilegio uti dabitur, nullimode enim clausula comprobatur: *in domo habitationis tuae.*

Nunc gradum facimus ad quaestionem, an possit privilegiatus uti indulto domestici Oratorii extra civitatem vel Dioecesim. Non una est Doctorum sententia: plures cum Pasqualigo, Navarro, Pignatello, Card. Petra, Barbosa, Aversa, Tamburino, La Croix affirmativam tenent: opponitur Gatticus cum aliis permultis. Praecipua, quam affirmativae sententiae fautores afferre solent, ratio haec est: huiusmodi concessionis obiectum est persona, non vero locus seu Dioecesis; ideoque clausula civitatem seu Dioecesim respiciens, demonstrativa apparet, non vero restrictiva; appo-

nitur nimirum ad clarius distinctiusque personam indicandam, cui privilegium conceditur. At haec ratio cum suo consectario nobis plane non probatur, nam ex eo quod privilegium alicui conceditur, intuitu personae, certe non consequitur idem privilegium esse debere amplissimum, nullis perstrictum limitibus; sed si reipsa indultum aliquomodo coarctetur, ne limites excedantur cavendum profecto est, nec ad cuiusque libitum interpretatio est relinquenda, ita ut obvius magisque naturalis sensus perturbetur, contra verborum ipsam vim, contra omnem aequam iuris regulam, hoc uno praeiudicio suffulti, quod, cum personale sit, personam sequi debeat, quocumque ierit.

Magis ergo arridet Gatticus, cum sua distinctione, duplicem nempe formam considerans, sub qua generatim clausula locum respiciens exprimitur. Si formula sequens est: *concedimus tibi Dioecesis N. ut in privato domus tuae Oratorio etc.*, tum, ait citatus auctor, dubitare non licet quin civitatis vel Dioecesis nomen appositum personam afficiat, et simpliciter apponatur ad ipsam secernendam ab aliis; et ideo uti valeat privilegio in quacumque civitate vel Dioecesi versetur, cum privilegium totaliter et simpliciter personale iudicetur (1). Sin vero civitatis vel Dioeceseos nomen hac ratione apponatur: *concedimus tibi ut*

---

(1) Ut verum fateamur, hoc etiam in casu, plurimum dubitandum foret, an locutio: *tibi Dioecesis N.*, debeat potius explicari: tibi, qui es illius Dioecesis subditus, et quatenus talis, indultum in eadem Dioecesi exoptas, etc. Ast regulam sequamur: favores sunt ampliandi.

in privato domus tuae habitationis in civitate vel Dioecesi N. existentis Oratorio etc., quisnam autumaret, quin a recto propositionis sensu aberret, nomen civitatis vel Dioecesis ibi apponi ad personam potius determinandam quam locum? Etenim si in primo casu, cuius formula erat: *tibi Dioecesis N.*, nomen Dioecesis afficere personam praesumitur, in hoc similiter, cum civitatis vel Dioecesis nomen *habitationi* referatur, locum afficere dicendum est, ad eum circumscribendum ac determinandum, nequaquam personam. Arroges, si res iuxta praelaudatorum auctorum sentiendi modum se haberet, cum S. Sedi supplices libelli mittuntur, orator non peteret profecto indultum, pro sola civitate aut villa, sed simpliciter privilegium Oratorii domestici; e contrario non ita fit. Praeterea novimus, quod, quanto magis ad diversa loca petitio extenditur, eo minus faciliter gratia obtinetur. Consequitur, ut patet, intentionem esse Summi Pontificis, indultum concedendi pro determinatis locis. Opus ergo est concludere, nomen civitatis vel Dioecesis locum afficere, et privilegium Oratorii domestici, non esse simpliciter personale, sed et locale. Demum sententia haec robur accipit ex praxi, quae nunc etiam servatur, Summi Pontificis, qui, cum concedere vult indultum pro civitate tantum, vel pro tota Dioecesi, sive etiam extra eam, id solet exprimere, ut videre est apud idem Gatticum, *C. 20 n. 20 de Orat. domest.*: ubi addit celebrem Diana, cum interrogasset de hac re Maraldum tunc temporis Secretarium Brevium, habuisse responsum: pro iis qui habitationem transferunt extra civitatem vel Dioecesim esse necessarium aliud in-

dultum (Cf. eumdem Diana *Tom. 4 Tract. 2 Resol. 32)*.

His praemissis, facilis responsio questioni: an privilegium Oratorii domestici transferri valeat extra civitatem vel Dioecesim privilegiati. Observandum potissimum quomodo verba *civitatis, Dioecesis* sint disposita: quum nomini personae apponuntur, indultum, si Gatticum sequi velimus, est personale simpliciter, ideoque persona, quocumque ierit, eo uti potest, dummodo aliae clausulae et consuetae normae serventur: quum autem habitationi apponuntur, non licet uti extra civitatem vel Dioecesim. Si nihilominus nomen tantum Dioecesis invenitur, uti valet etiam extra civitatem infra Dioecesis ambitum, sit domus urbana vel ruralis nil refert, servatis de cetero servandis, ut supra.

II. Altero loco inquiritur, num duobus privilegiatis in eodem privato Oratorio Sacrum facere liceat, sive sint eiusdem, sive diversae Dioecesis, civitatis vel habitationis?

Excepto casu specialissimi privilegii, vi indulti, prout communiter conceditur, non plures, sed unica Missa, celebrari possunt in eodem privato Oratorio: et si in eadem domo duo vel plures privilegiati versentur, ille tantum cui primum facultas concessa fuit, uti valet indulto: ceteri vero, quamquam semper ius habent ad privilegium, donec prior non cesset, sive abeat e domo, sive abrenuntiet privilegio, sive moriatur, ab usu interdicuntur. De his nulla oriri potest dubitatio, cum in formula ipsa concessionis clariora verba desiderari nequeant; sic autem sonant: *unam Missam pro unoquoque die;* et: *dummodo*

in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri ~~non~~ fuerit concessa. Idcirco duo privilegiati, sive eiusdem civitatis, Dioecesis vel habitationis, sive diversae civitatis, Dioecesis vel habitationis, ratione habita huius clausulae, nunquam melioris evadunt conditionis; nullimode ergo celebrare licet duas vel plures Missas in eodem privato Oratorio. Opportunum videtur adnotare, consequentiam non debere applicari casui, quo inveniantur duo privilegiati privilegio diverso, nempe unus gaudens indulto privati Oratorii, alter Arae viatoriae; tunc enim duae Missae celebrari in eodem Oratorio impune valent: primus videlicet utitur privilegio Oratorii, secundus vero maioris commodi gratia ibidem celebrat; potest enim id perficere in cubiculo quocumque, et non debet profecto dici, ipsum tunc uti altero privilegio Oratorii privati, quod non habet, sed alio ampliori, nullis limitibus obstricto.

III. Quaeritur tandem: utrum agendi modus Aloisii ac Iosephi, de quo in casu, sit nec ne probandus et in praxi adhibendus?

Respondere haud ambigimus nec probandam, nec in praxi adhibendam utriusque agendi rationem. Non illam Aloisii, qui, cum celebrasset in domo consanguineorum, penes quos *hospitabatur,* clausulam non adimplevit: *in privato Oratorio domus habitationis tuae.* Nec magis illi ratio aegrae valetudinis, aut saevientis tempestatis suffragatur, ut in casu, nemo enim unquam id admisit; si ergo his de causis ad Ecclesiam accedere prohibetur, nec illi ulla incumbit obligatio celebrandi, aut Sacro adstandi. Et quamvis fines Dioeceseos non excessisset, intra quos forte privilegio Oratorii gaudebat, quod a

concessionis formula erui deberet, iuxta regulas superius traditas; semper foret redarguendus, nunquam enim clausulam habitationis suae adimplesset, nullum quippe, nec usus, dominium in domo affirmare poterat. Ioseph vero, duplici saltem de causa, male se gessit. Nam, ut praetereamus circumstantiam celebrationis extra propriam Dioecesim, ad quod ut ius haberet, ex concessionis ipsius facultatis verbis innotescere opus fuisset, prout supra, in primae quaestionis resolutione traditum est; 1° celebravit in Oratorio domus non suae habitationis, sed avunculi Aloisii, ideoque patenter contra clausulam: *in domo habitationis tuae;* 2° celebravit eodem die eodemque in Oratorio, in quo antea Aloisius celebraverat, contra aliam clausulam: *unam Missam pro unoquoque die.*

EPHEMERIDES LITURGICAE et LE CANONISTE CONTEMPORAIN

EXPLICATIO

1. Primo praesentis anni mense Ephemeris *Le Canoniste Contemporain (pag. 53 et seq.)* duo retulit Monita ex iis, quae in ultimo nostrarum Ephemeridum elapsi anni 1895 vulgavimus. Quod primum attinet, respiciens Communionem ante aut post Missam, aliquid coniectura infert circa originem falsae notitiae, quae tot molestias in Gallia provocavit. Eiusmodi origo, ait, esse potuisset quaedam a nonnullis Parochis statuta norma, vi cuius Communio nunquam daretur in

Missa iis diebus, quibus frequentior esset populus: ne fideles, qui communione reficiendi non essent, diutius detinerentur in Ecclesia. Haec norma iure fuisset ab aliis vituperata, ac facta mentio de Communione fidelium regulariter *intra Missam* agenda; cum quae fit extra Missam, si liturgice sit loquendum, exceptionem constituat: ut quantum fieri possit, generalis norma sit servanda. Concludit, dicens: Nonne huiusmodi solutio, plena foret aequitate, cum tamen primam praebuisset originem falsae interpretationi, quia severa nimis? Ita Ephemeris Gallica.

At, si res ita se haberet, difficile foret explicatu quod vulgavit altera Ephemeris «La Vérité», iusti ac veri confinia ultra modum excedens. Ex eo namque, quod praefata norma statui voluisset, Communionem nempe non distribuendi intra Missam quando gravius derivaret fidelibus non communicandis incommodum, et ex eiusdem normae vituperatione, quomodo *La Vérité* consuetudinem communicandi ante vel post Missam appellare potuisset *abusum non tolerandum*, et recenti S. R. Congñis *(fictitio tamen)* Decreto oppositum?

Sed non insistimus: utcumque se negotium habuerit, prudenti Gallicae Ephemeridis agendi rationi gratulari nos volumus, et gratulamur; aptum enim modum adinvenisset inconveniens explicandi; qui, nisi verus, perpulcher profecto est, ut non ultimum quidem consectarium, quod reprobandum, sed eius causam, aut melius occasionem, sufficienti excusatione dignam reddat.

Interim hic notare prosit, vituperatam agendi rationem super denegatione Communionis fidelibus ante et post Missam, non solum invenisse

quosdam asseclas in Gallia, sed etiam in Italia, extra tamen, et non prope Urbem. Ipsimet, sex vel septem abhinc annis, legimus prolixiorem, non absolutam dissertationem, quae vehementer animadvertebat in communicantes ante vel post Missam. Italae erat Ephemeridis cuiusdam dicta dissertatio, quam dum in eo eramus, ut confutaremus, diem supremum obiisse rescivimus. Neque mirandum, vix enim triginta vel quadraginta circiter abhinc annis, commune erat in ore Sacerdotum effatum, communionem in Missa esse distribuendam fidelibus « raro in fine, semper in medio, nunquam initio ». Hinc vulgati moniti utilitas, non solum in Gallia, sed etiam alibi.

Quidquid sit, disciplina iam mutata, impraesenti omnino tenenda est. Ecclesia iudicanda, uti revera est, tamquam pia sapiensque mater, quae exoptans optimum in filiis suis, contenta nihilominus esse non desinit de meliori, vel etiam de simplici bono. Optimum autem indubie est communio in Missa postquam communicaverit Sacerdos: melius considerari potest communio in fine Missae: simplex bonum illa, quae ante Missam a Celebrante distribuitur. Hinc maxime commendandi Sacerdotes, qui adhortantur fideles, ut, quantum fieri possit, intra Missam communicent, ex notis rationibus. Sed maxime quoque iis cavendum, ne eosdem removeant a communione, si aliqua de causa prudenti communicare post Missam velint. Denique patienter fideles sustineant, si ante Missam, ob aliquam rationabilem causam communionem quoque postulent, iisque satisfaciant. Pro optimo vel meliori, bonum deserendum non est, ne utrumque amittatur.

2. Alterum quod spectat monitum, optimae Ephemeridi Gallicae non satis adhuc perspicua videtur, potestas facta Parochis vel Ecclesiarum Rectoribus exponendi cum pyxide SS. Sacramentum, et in fine cum eodem benedicendi populo. Ratio, quam affert, est, quia expositio Sacramenti cum pyxide, in praesenti disciplina, notabiliter videtur mutasse naturam; cum non sit amplius simplex Sacramenti adoratio, sed etiam benedictio, quae potiorem illius partem nunc constituit. Verum, ait Ephemeris, *pro impartienda benedictione cum Sacramento, permissio requiritur Ordinarii.*

Sed optima Ephemeris distinguat oportet inter benedictionem *cum Ostensorio,* et benedictionem *cum pyxide:* in illa autem facultatem requiri Ordinarii omnes admittunt, in ista eamdem requiri non constat; imo simpliciter negari potest, et negatur.

In 12 elapsi anni Ephemeridum Liturgicarum numero dictum fuit, expositionem *privatam* differre a *solemni,* quod illa fit *cum pyxide,* ista *cum Ostensorio;* et addidimus, utramque institutam esse *ad bonum publicum,* nullo pacto *privatae personae (pag. 709 et 710).* Optima Ephemeris Gallica asserit hanc doctrinam esse contrariam alteri, quam tradidimus anno 1893 *(pag. 564)* dicentes, expositionem esse duplicem: alteram *publicam,* seu *ex causa publica:* alteram *privatam,* seu *ex causa privata.*

At ubi contradictio? Adeo intelligenti oculo, ut videamus cum praefata Ephemeride in dictis contradictionem, non sumus praediti. Fieri potest, ut contradictio, quam illa videt, in eo con-

sistat, quod expositionem publicam et privatam diximus institutam *ad bonum publicum:* cum antea dixerimus, expositionem privatam fieri *ex causa privata.* Si aliter res se habet, optandum ut censoria Ephemeris explicare se velit: si vero ita, ut censuimus, se negotium habet, satis mirandum foret. Etenim causam formalem, rationem videlicet rei, confudisset plane optima Ephemeris cum causa finali illius. Ratio expositionis esse potest publica vel privata; sed finis nonnisi publicus esse debet: finis autem expositionis est bonum, bonum proinde publicum, nunquam vero tantummodo privatum. Hinc licet causa sufficiens pro privata expositione esse possit ex. gr. privatae alicuius personae infirmitas, eadem nihilominus expositio in utilitatem *tantum* illius fieri nec potest nec debet, sed in *bonum commune.* Adeo ut, si nullus esset in Ecclesia populus, fieri non posset expositio, neque cum Ostensorio, neque etiam cum pyxide.

Satis intelligimus, fideles adorantes in templo et accipientes benedictionem, posse etiam considerari tamquam conditionem, sine qua expositio non permittitur. Sed nil nostra interest, dummodo pro certo habeatur, in illorum quoque utilitatem functionem peragi, cui causam praecipuam dedit persona privata. Quod et almi Sacramenti dignitatem vel maxime decere, facillime considerantibus patet.

Laude ceterum iudicamus dignam Ephemeridem Gallicam, quae optasset, ut permisisset S. R. C. benedictionem, post privatam expositionem, tantum *cum consensu Ordinarii:* signum, citra controversiam, eius dependentiae maximae

ab auctoritate. Sed ad nos quod attinet, sapientissimam iudicamus Sacri Tribunalis dispositionem: quae solemniorem expositionem in prudentia Ordinarii, ut antea, relinquit; minus vero solemnem committit prudentiae Parochi aut Rectoris Ecclesiae: idque ex momentis, quae facile intelliguntur. Cum autem expositionem dicimus, de actu loquimur, cuius complementum et perfectio est benedictio.

Concludimus: 1. nullam, post Decretum novissimum, d. d. 30 Nov. 1895 ad III *(Congreg. Presbyteror. Ss. Sacram.)* existere rationem in oppositum pro deneganda Parochis aut Rectoribus Ecclesiarum facultate benedicendi populo, post privatam expositionem, cum Sacramento in pyxide clauso. 2. Vanum esse dicere dictam benedictionem dari posse, donec S. R. C. se ulterius declaret, eo quod magis explicite se declarare non potest. Sane audias iterum quaesitum et relativum responsum, quibus nil posset esse clarius: « An post expositionem privatam SSmi Sacramenti, scilicet, aperto ostiolo tabernaculi, dari possit benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in pyxide recondito? ». Quid clarius? En autem responsio: « Affirmative ». Fortasse, si hoc Decretum retulisset optima Ephemeris, alio modo articulum suum conclusisset. 3. Causam huiusce expositionis et benedictionis esse posse personalem et privatam, contra id quod Gallica Ephemeris exponit; sed nihilominus in publicam utilitatem redundare debet, seu in bonum fidelium, qui sufficienti saltem numero debent esse praesentes.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Dioecesi Briocensi.* **De tempore praeintonandi antiphonas.** In Vesperis dominicalibus, ubi non adest organum, tenentur ne Cantores antiphonam sequentis psalmi, non praeintonare nisi finito praecedentis antiphonae cantu, neque discedere, nisi repetita antiphona?

Resp. Affirmative. Id facile probatur ex generali lege, vi cuius actus unus alium sequi debet, ut non plures simul fiant, sed unus post alium. Hinc Caeremoniale Episc. praescribit, primam antiphonam non praeintonari Episcopo, nisi *dicto per chorum versiculo* **Sicut erat,** *et* **Alleluia** *vel* **Laus Tibi Domine** *etc.* (*Lib. II, cap. 1 n. 7*) ». Quae autem de prima statuuntur, *eadem omnia etiam in praeintonatione aliarum antiphonarum observantur,* idem ait Caeremoniale Episc. (*Loc. cit. n. 10*). Id circa ordinem; sed de non discedendo a cantoribus, nisi postquam intonata fuerit antiphona, perspicua quoque lex est circa primam. Scribit enim Codex: « Donec per Episcopum non fuerit praeintonatio repetita, Caeremoniarius et Subdiaconus praeintonator expectant (*Loc. cit. n. 7*) ». Ergo idem in aliis quoque servandum, ut superius legem praescribentem vidimus.

II. *E Sabaudia.* **De Missa exequiali impedita, an remitti possit nunc uti antea.** Missa exequialis cum cantu, si dici nequiverit praesente cadavere, nec

etiam intra biduum ab obitu (quia v. g. feria V, in Coena Domini peractae fuerunt ad vesperum exequiae), potestne celebrari prima die non impedita festo de praecepto, dup. 1 vel 2 cl. aut Dominica, quemadmodum ex pluribus Decretis poterat ante Decretum 13 Febr. 1892?

Resp. Quaesitum ad hoc reducitur: utrum Decreta, quae dictam Missam, die obitus impeditam, transferri posse antiquitus indulgebant in aliam, ut supra dictum est, sint nec ne revocata, aut uti revocata censenda sint? Credimus responderi posse negative hac saltem de causa, quia S. R. C. recentiori Decreto voluit in levamen animarum piacularibus flammis addictarum mitior esse, non severior. Hoc autem comprobaretur, si praefata Decreta, revocata censenda essent. Dari enim casus possunt, in quibus Missa exequialis maneat impedita die obitus et duobus sequentibus diebus, imo etiam quarta die, quae III privilegiata esse posset, sicque exequialis Missa nonnisi tardius caneretur in defuncti gravamen. Ita si mors accideret feria IV, in vespera, vel V, vel VI maioris hebdomadae, vi recentiorum Decretorum, uti saltem nunc referuntur, Missa exequialis cani nequiret, nisi post Dominicam in Albis: quod profecto admitti nec potest nec debet: ut si antea permittebatur, eodem iure, imo etiam potiori, impraesenti permissum esse dicendum sit.

III. *Ex eodem loco.* **De intelligentia Rubricae octavas prohibentis.** Decretum in *Quebecen.* 13 Dec. 1895 ad I, declarat, Titularium festa a die 31 Dec. ad 5 Ianuarii occurrentia, ius habere ad octavam iuxta Rubricas. At Rubrica post Tabellam occurrentiae docet: « De aliis octavis, quae non sunt

in Calendario, nihil fit... a die 17 Dec. usque ad Epiphaniam ». Quomodo ergo intelligenda est?

Resp. Rubrica octavas prohibens intelligenda est sequenti modo: « Octava festi ius habentis ad illam, si incidat in tempus vetitum, manet suspensa; impedimento cessante, resumitur. » Adeo ut: 1. si festum cum octava occurrat tempore vetito, et intra illud absolvatur, integre omittenda sit octava, quia impedita per totum. 2. Si autem dictum festum tempore quidem vetito occurrat, sed post aliquot dies cesset impedimentum, octava resumenda erit. 3. Si denique festum cum octava tempore non vetito occurrat, et infra eam tempus vetitum superveniat, eo ipso cessat octava, evadit enim impedita. Neque aliud erui legitime potest, seu ex citata Rubrica post occurrentiae Tabellam inscripta, seu ex alia generali Tit. VII, n, 1, seu ex illa quae inscribitur Titulo X, num. 1, uti apprime perpendenti palam fiet.

Difficultas, quod secundam ex triplici hypothesi pertinet, ex eo derivat, quod festum cum octava in tempus vetitum incidens, cum videatur initium non habere, neque videtur posse continuari, etiam post sublatum impedimentum. Sed hoc nulla gaudet certitudine; imo, negotio penitius considerato, oppositum potius resultat. Namque Rubricae docentes, tempore vetito *de aliis octavis, quae non sunt in Calendario, nihil fieri,* aut de octavis intra tempus vetitum occurrentibus neque officium neque commemorationem esse faciendam, non auferunt ius, quod aliquibus festis inest, ut cum octava celebrentur; sed tantum praedicant, nihil de octavis praefatis intra eiusmodi

tempus esse agendum. Quin imo implicite praedicant, octavas, partim intra vetitum, partim intra permissum tempus occurrentes, toto iure posse ac debere celebrari, quod attinet non impeditam partem. Equidem de parte quae incidit in tempus permissum, quam alia pars subsequitur intra vetitum tempus, perspicua Rubrica est, et dubitandi locum non relinquit (*Tit. VII, n. 1*). De altera parte, quae subsequitur tempus vetitum, in quod prima pars incidit, tacent quidem Rubricae, unde hucusque incertitudo, sed ratiocinatio supplere potest, iisdem Rubricis freta.

Porro Rubricae exigunt, ut, *si festum habens octavam transfertur, non ideo dies octava transferatur*, sed dies ipsa sit, quae fuisset, si festum non passum esset translationem (*Tit. X, n. 1*). Hinc palam sequitur, octavam eodem die incipere quo incipit festum, sive hoc die suo recolatur, uti accidere potest in casu nostro, sive recolatur diebus subsequentibus, uti accidit in hebdomada maiori, atque intra octavas Paschae et Pentecostes. In utroque autem casu, neque officium neque com. de octava fieri potest; quia tempus vetitum, quamvis permittere possit officium festi, nihilominus non permittit officium aut commemorationem octavae. Indubium vero semper est, octavam habuisse initium a die festo, sive de eo factum sit, sive non, officium; hoc enim nunquam octava sequitur, sed idem festum. Qua ergo de causa, si impedimentum finem habeat, octava ex sua natura incepta continuari non possit, non intelligitur.

Ponas, ex. gr. S. Gregorium Nazianzenum in sua Ecclesia occurrere feria IV, V, VI Penteco-

stes, vel etiam in Sabbato, imo in ipsa Dom. Trinitatis: cuiusnam vi legis festum illius reliquis octavae diebus a feria II libera sequenti destituetur? Certe non vi Rubricarum, quae hoc non dicunt, imo oppositum innuunt; sed neque vi Decretorum, quae de hoc plane silent. Aliunde octava incepta est, quia cum festo incepit; ergo, impedimento desinente, iure continuatur. Sed oppones, occurrisse quidem festum, non tamen celebratum ex impedimento fuisse; ergo neque octavam cum illo incepisse. At negatur consequens, quamvis admittamus, non tamen semper, neque in casu nostro, principium; quia, secus octava sequeretur officium translatum, non festum diei suo affixum: quod tamen falsum est ex Rubricis. Occurrit ergo festum et incepit, et celebratum quoque fuit, licet potuisset non celebrari ob tempus vetitum: incepit etiam octava, quae festo semper adhaeret, quamvis de ea officium aut com. fieri non potuit ex eadem ratione; si ergo desinit impedimentum, quid aliud agendum, nisi octavam resumere?

Non diffitemur tamen, auctores aliquos ita Rubricam Tit. VII, n. 1, intellexisse, apparenter iis suffragante alia post occurrentiae Tabellam, ut octavis incidentibus intra tempus vetitum, omne ius abstulerint, ut post impedimentum cum reliquis octavae diebus celebrarentur. Haec fuit sentiendi ratio cl. De Herdt, quem etiam secutus fuit Doct. Piacenza, uti videre est in *Ephemeridibus* nostris (*Vol. VIII, pag. 140 et 141*). Animadvertendum est nihilominus, id cl. auctorem non tradidisse uti doctrinam certam, sed probabilem tantum, quemadmodum se exprimendi modus ostendit: « Ru-

bricae hoc titulo VII, n. 1, generaliter *videntur denegare octavas* illis festis, quae tempore prohibito celebrantur». Hinc nulla de hac interpretatione affertur intima ratio, sed tantum auctoritas Romsée Tom. 3, art. XXI, §§ III ad VI: contra quem stat nihilominus Mel. Théol. ser. 6, fol. 162, n. 20. Cum autem impraesenti habeamus Decretum edicens, festa Titularium, quae ius habent ad octavam, a die 31 Dec. ad 5 Ianuarii, hoc est in tempus vetitum incidentia, habere octavam; iam patet, oppositam sententiam amplius sustineri non posse, et esse emendandam. Habere autem octavam idem est ac ius habere ad illam, de qua nihilominus tantum fieri potest, quantum tempus vetitum sinit. Hinc S. Silvester Titularis habebit tantum, praeter festum, diem octavam: Sanctus titularis occurrens die 2 Ianuarii habebit de octava tres dies ultimos etc. Quod intelligas, nisi S. R. C. dictos Titulares consultius iudicaverit transferendos, ne tam praeclara festa universalis Ecclesiae perpetuo a die sua deturbentur.

IV. *E Subalpinis.* **De tertia Oratione in Missa votiva Imm. Concept.** Die 31 Octobris, quae hoc anno cadit in Sabbatum, si dicatur Missa respondens officio votivo de Imm. Conceptione, tertia Oratio debet ne esse de Spiritu Sancto, uti in Missali notatur, an *A cunctis*, iuxta Decretum in una *Capuccinorum* 21 Iun. 1710 ad 1?

Resp. Post Orationem Missae, et alteram de vigilia Omn. Sanctorum, tertia dicenda est de Spiritu Sancto, iuxta Rubricam specialem Missalis, non autem *A cunctis*. Decretum citatum bene perpendat adm. rev. Consulens, et facile perspiciet, ibi verba non fieri de Missa votiva Deipa-

rae, sed de Missa festi occurrentis semiduplicis, in qua tres Orationes quoque dici debent, et tertia in casu esse debet *A cunctis.*

Quod si eadem Missa esset choralis, Rubrica Gen. Missalis servanda, quae iubet: « In Sabbato, quando de ea (*B. Maria*) factum est officium, secunda Oratio erit de Spiritu Sancto: tertia, *Ecclesiae tuae,* vel pro Papa (*Tit. IX, n. 15*) ».

Nota 1. Quod attinet alterum Dubium, adm. Rev. Consulens videat, oramus, *Ephemerides Liturgicas* an. 1889, pag. 149, I.

Nota 2. Dubitationi non subiacet, officium chorale, quamvis non canatur, sed tantum recitetur, ita esse dicendum, ut voces una simul procedant, sicut in pronuntiatione verborum, ita etiam quoad acuitatem, aut depressionem toni. Chorales enim tenentur aedificationi esse fidelibus, eosque ad devotionem excitare, haudquaquam ad risum. Idque ut nil dicamus de iure, quod Deus habet ut decenter eius laudes celebrentur, quod et chorales cognoscere debent, ut digne proprio muneri faciant satis. Eapropter idem sit omnium, quantum fieri potest, tonus vocis; et externae devotionis manifestationi, quae uniformitati opponitur, et in casu dedecet, suppleat devotio interna, ut in toto recitationis decursu omnes uniformes esse valeant, uti debent.

V. *E Gallia.* **De festo S. Marci in Dom. in Albis occurrente.** Insequenti anno 1897 festum S. Marci occurrit in Dom. in Albis, et transferendum erit in primam diem liberam. Quomodo autem ordinandae Litaniae maiores, ac relativa Missa, in Ecclesiis, in quibus unicus Sacerdos Missam iterandi facultate gaudet, atque in aliis quibuscumque?

Resp. Nota lex est, in Rubrica speciali Missalis pro dicto die contenta, quae ait: «Ad processionem dicitur Missa de Rogationibus... Et si contingat transferri festum S. Marci, non tamen transfertur Processio, nisi quando praedictum festum occurreret in die Paschatis etc.». Ergo in Dom. in Albis fiet in casu Processio, more solito, perinde ac si festum S. Marci alia die libera occurrisset; et festum hoc transferetur, cum talis Dom. quodcumque festum excludat, in primam diem liberam iuxta Rubricas. — Quod Missam vero attinet, aut fit processio, aut non: si fiat, Missa Rogationum dicenda est, uti prostrat in Missali ante vigiliam Ascensionis: si non fiat, Missa erit de Dom. in Albis cum com. Rogationum. — Si plures fiant Missae in Ecclesia, quae habet Processionem, una tantum erit de Rogationibus, reliquae de Dom. in Albis, cum com. Rogationum, conventuali Missa excepta, in qua omittitur. Si autem una tantum in dicta Ecclesia fiat Missa, aut parochialis est dicta Ecclesia, aut non. In hac secunda hypothesi extra controversiam est, Missam dicendam esse de Rogationibus cum commemoratione Dominicae, ac tertia Oratione, quae secundo loco eâdem in Missa dicenda foret. In prima vero hypothesi dicendum videretur, Missam pro populo applicandam esse debere de festo, seu de occurrente officio, est enim parochialis. Sed ratio deficit, cum oppositum sit definitum: adeo ut Missa etiam dicenda sit de Rogationibus, *quocumque occurrente festo,* patronali solum excepto, etsi applicari debeat pro populo, et unica sit in Ecclesia parochiali, ut supra dictum est in alia hypothesi. Color erit violaceus, nec *Gloria* habebit

per consequens, neque *Credo,* quamvis sit Dominica: dicetur *Benedicamus Domino* et Evangelium S. Ioannis in fine. Praefatio tamen, sine *Hanc igitur,* erit paschalis, sed cantus ferialis, si cantetur. Haec ex Decretis.

VI. *E Massilia:* **De Benedictione cryptae pro sepeliendis cadaveribus Episcoporum.** Subtus Cathedralem Ecclesiam crypta constructa est pro cadaveribus Episcoporum: quaeritur, quanam formula benedictionis sit pro illa utendum?

Resp. Rituale Romanum loquitur de sepulchris Sacerdotum, optans ut separata sint a laicorum *(Tit. VII, Cap. 1, n. 10).* Episcopi (de quorum speciali sepultura tacet Rituale, et Caeremoniale Episcoporum innuit in Ecclesia Cathedrali esse sitam) ad Sacerdotes pertinent, et quidem praecipue, quippe Sacerdotii plenitudinem habent, ac proinde sepultura Sacerdotum est peculiariter ipsorum propria. At quaevis sepultura, uti etiam Sacerdotum, est pars coemeterii, quod quibusvis Catholicis iure potest esse commune. Ea propter, inter coemeterium Episcoporum proprium, uti etiam Canonicorum, vel Confraternitatum, si extent, et alia, nequit admitti discrimen. Hinc benedictio est una eademque pro omnibus coemeteriis, et prostat in Rituali Romano *(Tit. VIII, Cap. 29);* eiusmodi ergo adhibenda est benedictio, sicut pro omnibus Coemeteriis, ita et pro Episcoporum.

VII. *E Mantua.* **De ritu festorum Dioecesis, ad quae tenentur Regulares.** Regulares teneri ad festa localia, quae feriatione gaudent, si ibi degant, Decreta declarant; sed quaeritur, quonam ritu ea celebrare debeant, an proprio, qui in calendario

eorum inscriptus est, an ritu quo in Dioecesi recoluntur?

Resp. Festa, quae in locis cum feriatione celebrantur, generaliter loquendo, nonnisi patronalia sunt, quae proinde eodem ritu maximo a Clero quoque regulari celebrari debent. Quod autem Regulares in proprio calendario ea habeant, per accidens est: adeo ut, non illa celebrare debeant, quia in proprio eorum sunt, sed quia propria sunt loci. Hinc, etsi in proprio calendario ea inscripta non habeant, celebrare tamen debent. Ergo ratio eiusmodi festorum celebrationis unica, est quia in loco celebrantur. Quod si in proprio calendario non habeant, quonam ea ritu celebrabunt, nisi ritu loci, cum ex arbitrio talis ritus esse nequeat? Ergo sive dicta festa descripta habeant in proprio calendario, sive non, sub ritu Dioecesis ea celebrare tenentur. Suffragatur exemplum Urbis, quae celebrat festum S. Philippi Neri (Compatroni) sub ritu dup. II cl. cum feriatione, et ad illud celebrandum cum feriatione et sub eodem ritu etiam Regulares tenentur. Optima quoque ratio est, quam affert ipse adm. Rev. Consulens; quia nempe, si ad ritum Dioecesis non tenerentur Regulares, sed ad inferiorem, quem calendarium ferre posset, facile sequeretur, quandoque pro iis haec festa reducenda esse ad ritum simplicem, vel etiam penitus omitti, et nihilominus agere deberent feriationem pro dictis iisdem festis, quod profecto ridiculum sapit.

Nota. Negotium circa S. Margaritam non satis clarescit: de eo rursum dicemus.

VIII. *Ex Urbe.* **De officii votivi recitandi libertate pro Canonicis ad chorum quotidianum non adstrictis.**

Canonici, qui in solis Dominicis et festis tenentur ad choralem recitationem officii, possunt ne, uti alii de clero, officia votiva recitare loco ferialium, quae dicere privatim debent?

Resp. Alias egimus de obligatione Canonicorum a choro absentibus, recitandi officia ferialia, loco votivorum, quae recitandi iis non est facultas, nisi acceptata fuerint et dicantur in choro (*Vol. III, pag. 41, 42*). Alia nunc proponitur controversia, magis fortasse implicata, quam tamen insolutam relinquere nequimus; cumque super ea ius positivum desit, ratiocinio utemur, notis principiis admissis, ut solutionem attingamus. Supponitur Collegium Canonicorum, quod solis diebus dominicis et festis, inclusis indubie aliquibus feriis et diebus privilegiatis, teneatur ad chorum; et de his quaeritur, an possint, an non, officia votiva recitare, quando permissum est aliis de clero. Quantum videmus, nos reponimus affirmative, salvo meliori iudicio. Quia eiusmodi Canonici, ad hoc quod attinet negotium, in ipsissima conditione versantur, atque alii de clero, quibus choralis officii onus nullum incumbit. Atqui isti officia votiva citra omne dubium recitare possunt; ergo et illi. Minorem relinquimus, uti nulli discussioni obnoxiam: *maior* probanda est, ad quod sic procedimus. Inter Canonicos et simplices Sacerdotes hoc adest discrimen, quod hi possunt officia votiva recitare quin ea acceptent, quia indulta eis sunt: illi vero nequeunt eadem recitare nisi acceptaverint, ab iisque semel acceptatis recedere amplius nequeunt, et praeceptiva fiunt diebus, quibus recitari possunt. Hoc exploratum est, quia verba Indulti « *quoad privatam vero recitationem*

ad libitum singulorum de clero» intelligenda sunt *de iis tantum, qui nullo canonico titulo ad chorum tenentur.* Statuta autem de consensu Capituli... recitatione officii votivi, amplius **non** *licet ab ea quandocumque recedere* (Decr. **Quum nonnulla** 10 Nov. 1883). Atqui Canonici, de quibus agimus, Officia votiva indulta acceptare nullo pacto tenentur, sicut alii de clero, qui non sunt Canonici. Ratio est, quia eiusmodi Canonici ad actum prorsus inutilem obligari nequeunt, nec supponi potest ad illum ex voluntate Pontificis teneri. Porro actum acceptationis esse omnino inutilem patet; quia illius obiectum non est recitatio privata, sed choralis, quae illis inservire nunquam posset. Choralis enim recitatio pro dictis Canonicis obtinet tantum diebus dominicis et festis, aliisque privilegiatis, in quibus officia votiva nequeunt recitari. Ergo aliis de clero hi Canonici sunt pares, cum dicta officia votiva acceptare nequeant.

Oppones forte superius relata verba Decreti **Quum nonnulla**, quae declarant, *privatam recitationem ad libitum singulorum de clero* iis tantum favere, *qui nullo canonico titulo ad chorum tenentur,* ac proinde non comprehendere Canonicos nostros, qui ad illum adiguntur. Sed reponimus distinguendo: adiguntur quando recitari officia votiva prohibitum est, *concedo:* adiguntur quando illa recitari permissum est, *nego.* Ergo de his Canonicis concludendum est, eos, in casu, nullo canonico titulo ad chorum teneri; proindeque eorum conditio eadem prorsus est atque alia, qua simplices Presbyteri versantur. Sed hi libere uti possunt indulto officiorum votivorum; ergo etiam illi.

Opponere etiam poteris obligationem, ex qua tenentur Canonici ad idem calendarium. Sed haec ratio nulla est; quia aliquod calendarium sequi omnes de clero tenentur. Verum, quando nulla est obligatio chori pro Corpore, nulla est etiam singulis obligatio standi calendario, si feria aliqua libera occurrat pro officio votivo. Igitur concludimus, Canonicos praefatos libere ac licite recitare posse officia votiva.

SUPER

PRAENOTANDA CALENDARIIS LOCORUM PRAEMITTENDA

DECLARATIONES

I

Postrema vulgata, post *Praenotanda*, animadversione, plures Consociati literas ad nos dederunt, in quibus aliquid dictis Praenotandis addendum proponunt. Eis dum gratias referimus, de eiusmodi additionibus perlibenter hic agimus, ut dicta praenotanda, utpote omnibus Calendariorum Redactoribus inservientia, omnium quoque de consensu absolutiora evadant.

1. Ad I. addendus proponitur alius numerus (7), quo dicatur, *Missam de requie tantum esse impeditam ratione Expositionis solemnis SS. Eucharistiae, excepto die Commemorationis Omn. Fid. Defunct. quo casu dicenda est in colore violaceo.* At prima pars huius additionis nobis videtur inutilis; quia si Expos. solemn. Euch. impedit Missam de re-

quie praesente cadavere, a fortiori impedit eamdem Missam privatam. Altera pars utilis videtur, et addi potest, opportunius post verba aliis typis impressa, sequenti modo: « *Eadem Missa in Com. Omn. Fidel. Defunct. dici etiam potest, Eucharistia pro Oratione 40 Horarum ex praecepto solemniter exposita, sed in colore violaceo* ». Dicimus pro Oratione 40 Horarum *ex praecepto:* secus tali die nullo pacto convenit ut dicta Expositio fiat.

2. Pariter ad I. addi citra controversiam debet post verba *atque etiam* (lin. 4): «Paschae et», cuius omissio incuriae typographicae tribuenda.

3. Addere quis optaret dies, quibus prohibetur Missa de festo transferendo, quod ad Titulum pertinet vel cum concursu populi celebratur. Si placeat, et utile iudicetur, cum palam ex Missali sit, hoc Praenotandum ante omnia poni potest vel post secundum aut tertium, sequenti modo: « ... **Missam solemnem de Titulari, vel de alio festo cum concursu populi celebrando, si occurrant et transferri debeant, impediunt:** 1. Dominica prima Adventus et Quadragesimae, et Dominica Palmarum: 2. Feria IV Cinerum: 3. Integra hebdomada maior: 4. Dominicae Resurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus: 5. Festa Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini ».

Ne tamen lectores mirentur, si aliquo post tempore in Tit. VI Rubricarum Gen. Missalis additam fortasse viderint inter Dominicas praefatam Missam impedientia, etiam Dominicam Passionis, cuius omissionis ratio difficilis intellectu est, nisi forte errori iamdudum elapso sit tribuenda.

4. Ad III. addenda proponuntur: *Dies Rogationum, festum S. Marci, feria IV Cinerum, et Com.*

Omn. Fidel. Defunctorum in Ecclesiis parochialibus, in quibus una tantum dici potest Missa. Quid dicendum? Animadvertere hic fas est primo, festum S. Marci esse dup. II classis, ergo comprehenditur in 1. num. huius Praenotandi. Secundo, feria IV Cinerum pertinet ad tempus *clausum,* ergo hic non potest habere locum. Insuper comprehenditur in num. 5, excludit enim duplicia I classis. Quod, tertio, attinet dies Rogationum, et Com. Omn. Fid. Defunctorum, locum hi habere possent, sed sub quodam limite: secus in incertum, nisi forte in errorem, vagari periclitamur. Namque non est verum, quemcumque Parochum teneri ad processionem Rogationum; ergo neque dici potest eum teneri semper ad Missam de iisdem: quae praeceptiva est si habeatur Processio: secus, negative. Si itaque Missa diei non semper est in praecepto, quomodo prohiberi potest Missa pro sponsis? Circa alterum, neque certum est, ita ad Missam de requie, die 2 Nov., teneri Parochum, ut aliam pro sponsis teneatur omittere. Nam definitum est, in genere, tali die Missam pro sponsis esse permissam (*Veronen. 7 Sept. 1850 ad 4*). Si autem in paroecia nonnisi una habeatur Missa, certo ne ea de requie facienda est? Affirmative respondemus, si subsequi debeat officium defunctorum: secus, negative. Quomodo ergo generaliter prohibitam dicere possumus tali die Missam pro sponsis? Quibus perpensis, consultius iudicamus hos dies omittere in Praenotandis. Si nihilominus alicui eos addere placeat, sequenti modo ad summum in hoc Praenotando addi posset alius numerus: « 6. **In Ecclesiis parochialibus, ubi una tantum Missa habetur:** Dies etiam festi suppressi; nec non dies Rogationum,

si habeatur Processio, et dies 2 Nov. si dicatur officium Defunctorum ».

5. Item, quibusdam clara non apparent ultima verba, diverso charactere posita. Hinc, loco verborum *sub distincta conclusione,* dicatur « *et nunquam sub eadem conclusione cum prima Oratione* ».

6. Ad IV. addendi proponuntur: Dies Dominici vel festa de praecepto, feria IV Cinerum, dies Rogationum et S. Marci, vigilia Pentecostes, et Com. Omn. Fid. Def. in Eccl. parochialibus unam Missam habentibus. Hic animadvertimus, vere numerum 6 huius Praenotandi defectu laborare; et praefatos dies, aliqua exceptione facta, addendos esse. Exceptio respicit dies S. Marci, et Rogationum, atque etiam diem 2 Nov. Quod attinet festum S. Marci et dies Rogationum animadvertimus, Decretum *Quebecen.* 3 Iul. 1869 prohibere Missam exequialem praefatis diebus, praesente etiam cadavere. Verum ratio vetiti est, quia Missa de festo aut de Rogationibus est dicenda. Iam nunc ex Decreto in una *Marsorum,* 12 Nov. 1831 ad 37, dicta Missa non obligat, nisi habeatur Processio. Ubi consequenter solus est Parochus celebrans, quare Missam de requie canere nequibit, non extante Processione? Dices, iuxta Decretum *Marsorum* supercitatum, si Missa non dicitur, saltem com. exigitur, quae in Missa de requie fieri non potest; ergo. Sed respondemus, hoc quid nimis esse; et si Missa pro sponsis non est prohibita in casu, a fortiori permissa dicenda est Missa praesente cadavere.

Quoad alterum, seu diem 2 Nov. certe applicatio Missae, hac die, libera est unicuique Sacerdotum. Non ergo adest ratio prohibendi Parocho,

quominus applicet Missam pro defuncto, cuius cadaver est aut censetur *praesens* in Ecclesia: alia vetiti ratio non supponitur, cum ritus Missam de requie permittat, nisi exigat. His perpensis, arbitramur numerum 6 huius Praenotandi esse renovandum sequenti ratione: « 6. **Pro Ecclesiis parochialibus unam tantum habentibus Missam**: Dies omnes festi, suppressis non exceptis, quibus Parochus debet applicare pro populo, feria IV Cinerum et vigilia Pentecostes; atque etiam dies S. Marci et Rogationum, si fiat Processio ». Ratio est, quia Missa pro populo a Parocho applicanda, esse debet de officio currenti, sicut conventualis, ad cuius instar parochialis est.

7. Insuper ad eumdem Praenotandum IV. sequens proponeretur additio in fine: *Sed corpore sine Missa pridie sepulto, vel ad vesperum ob rationabilem causam, vel in die, qua Missa exequialis praesente corpore non permittitur, Missa solemnis de requie prohibetur tantum in dup. I et II classis, Dominicis et festis de praecepto.* Huiusmodi additionem reformandam credimus, et in dicto Praenotando apponendam. Reformandam credimus, quia *corpore pridie sine Missa sepulto,* vel ex rationabili causa, vel etiam die qua exequialis Missa praesente corpore non permittitur, cadaver duobus sequentibus diebus (1) tamquam praesens censen-

---

(1) Dicimus *duobus sequentibus diebus*, quia cum Decretum dicat, *dummodo non ultra biduum ab obitu*, iam patet, diem obitus in hoc biduo non esse inclusum: secus dixisset, *non ultra sequentem diem*. Quod confirmatur ex alia dispositione Decreti 2 Dec. 1891, ex qua dies III privilegiata, *tam a die obitus, quam a de-*

dum est, in quibus proinde Missa non solum permissa est diebus liberis a dup. I et II classis et a Dominicis festisque de praecepto, sed etiam diebus eiusmodi festis impeditis, nisi solemniora sint. Cum nihilominus accidere possit casus, quo neque die obitus, neque duobus diebus sequentibus dici possit, neque die quarta, quae dies III privilegiata insufficienter foret; hinc sequenti modo dictam additionem reformatam addendam iudicamus in IV Praenotando, post verba diversis typis impressa: « *Secus, Missa exequialis praefatis diebus impedita, cantari potest et debet prima die libera a die Dominico vel festo, vel dup. I et II classis* »(1).

8. Ad V. proponitur additio ut in IV Praenotando, quam admittimus sequenti tamen ratione accommodatam: « 8. **Pro Ecclesiis parochialibus unam tantum habentibus Missam:** Omnes etiam dies festi suppressi, quibus Parochus debet applicare pro populo; atque Rogationum, si fiat Processio ».

---

positionis, seu sepulturae, *computari potest*: quod ideo factum est, ne Missa pro die obitus et diei III in eamdem diem inciderent, quod esset inconveniens. Huiusmodi intelligentiam acceptent oramus ven. Consociati nostri, cum certa et authentica sit. Hanc nacti occasionem animadvertimus, plures a nobis exquiisisse, num Decretum istud 2 Dec. 1891 sit vere authenticum, et in casu affirmativo, quare authentice non evulgetur. Ad primum reponimus, *affirmative*, quocumque excluso dubio: ad alterum respondere non possumus, cum a nobis non dependeat. Interim, cum publici iuris iam evaserit, uti ex *Caeremoniali Romano Seraphico* et etiam ex nostris Ephemeridibus constat, omnes Ecclesiae uti eo libere possunt et licite, in levamen animarum flammis piacularibus addictarum, et in proprium solamen.

(1) Certo constat ex Decreto in *Tuden.* 7 Sept. 1816 ad 43, quod, nisi in recentiori Generali contineatur, adhuc vim habere censendum est (*V. Dubior. Solut. n. 1*).

9. Praenotandum VI. sequenti modo consultius et clarius renovandum: « **Missa in aliena Ecclesia, aut Oratorio publico:** semper convenire debet cum officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii publici, nisi de semiduplici aut simplici in iis fiat. Quo in casu Missae votivae, de requie, et etiam de occurrente feria, fieri possunt iuxta Rubricas: si tamen Missa conveniat cum officio Ecclesiae vel Celebrantis, ea non debet esse votiva, sed festiva iuxta Rubricas. In Oratoriis autem privatis Missa debet semper convenire cum officio Celebrantis.

Nota. Si Praenotanda, hac ratione accommodata, ita Consociatis arrideant, ut nil amplius super iis animadvertendum habeant, in sequenti numero iterum ea extendemus: secus libere verba faciant, exoramus.

Necrologium.

Cl. Dom. Dom. **Augustinum Caprara** Sanctae Fidei Promotorem e vivis nuper sublatum lugemus: nunc autem etiam cl. Dom. **Marianum Armellini,** christianae Archaeologiae cultorem et Professorem eximium. Utrumque Consociatorum precibus commendamus.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896.

SACRORUM RITUUM CONGREGATIO

I.

DUBIUM.

Sacra Rituum Congregatio ad Decreta, quibus indulget Missam solemnem vel etiam Missas lectas in aliqua extrinseca festivitate, solet adiicere clausulam: « *dummodo non omittatur Missa Conventualis vel Parochialis, Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio* ». Porro nonnulli Ecclesiarum Rectores huiusmodi clausulae declarationem ab eadem Sacra Congregatione humillime rogarunt; et ipsa Sacrorum Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, re accurate perpensa, declaravit obligationem in casu quoad Missam Conventualem, Officio diei respondentem, adesse pro Ecclesiis, in quibus ea die fit Officiatura Choralis, iuxta Decretum 6 Iunii 1888 ad II; quoad vero Missam Parochialem, eam Officio diei conformem esse debere, quando peragenda sit cum applicatione pro populo.

Atque ita rescripsit. Die 21 Februarii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius*

II.

PLATIEN.

R̃mus D̃nus Marianus Palermo, Episcopus Platien., a Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime flagitavit; nimirum:

I. An in accessu Episcopi Ordinarii ad Ecclesiam Cathedralem, rei divinae peragendae causa, sive ipse celebraturus sit sive alter, aera turris campanariae pulsari debeant?

II. Utrum in casu teneantur Canonici Episcopum, cappa vel habitu chorali indutum, comitari et deducere?

III. An in expositione privata, quando populus benedicitur cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, pyxide clauso, ipsa pyxis cooperienda sit velo humerali?

IV. Utrum, benedicto Coemeterio, censeri debeat benedicta etiam Ecclesia, eidem adnexa, et viceversa?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, Dubiis accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad normam Caeremonialis Episcoporum ».

Ad II. « Stetur Caeremoniali et Decretis ».

Ad III. « Affirmative, iuxta Decretum in una *Meliten.* 23 Februarii 1839 ».

Ad IV. « Negative ad utrumque ».
Atque ita rescripsit. Die 21 Februarii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

A. Tripepi *Secretarius*

L. ✠ S.

III.

DECRETUM.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, communia vota Emorum et Rmorum Patrum Sacris tuendis Ritibus praepositorum libenter excipiens, Festum Sancti Thomae Episcopi Cantuariensis et Martyris ad ritum duplicem minorem pro Universa Ecclesia evehere dignatus est; illudque sub praedicto ritu in Calendario Universali et in novis editionibus Breviarii Romani deinceps inscribi decrevit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Februarii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

IV.

QUEBECEN.

Rmus Dnus Nazarius Begin, Archiepiscopus Cyrenensis, Administrator Dioecesis Quebecensis, Sacram Rituum Congregationem pro sequentium Dubiorum solutione humiliter rogavit; nempe:

I. Ex peculiaribus Indultis Dioecesi Quebecensi concessis, solemnitas quorundam festorum de praecepto transfertur in Dominicam proximam sequentem, vel, ea impedita, in Dominicam proximam antecedentem; atque ita, ut in Ecclesiis, ubi fit officiatura cum cantu, Missa et Vesperae solemnes de hisce festis, additis Commemorationibus iuxta Rubricas, peragantur; in aliis vero unica Missa lecta celebretur. Hinc quaeritur: « An subsistat die, qua celebratur Officium transferendae vel translatae solemnitatis:

1. prohibitio celebrandi Missam in Oratoriis mere privatis, et Missam exequialem praesente corpore?

2. obligatio Parochorum Missam applicandi pro populo?

3. facultas Episcopo concessa conferendi Ordines Sacros diebus festivis de praecepto?

II. Utrum eaedem solemnitates celebrari possint in festis Circumcisionis Domini et Ssmae Trinitatis, die octava Epiphaniae, Dominica Passionis et Dominica in Albis, quae festa quaelibet alia, etiam Duplicia primae classis, excludunt?

III. An, pluribus occurrentibus solemnitatibus transferendis, una vel altera possit ad libitum omitti vel saltem simplificari per Commemorationem sub unica conclusione, cum oratione Dominicae primae classis vel festi, aut solemnitatis ritu, aut privilegio superioris?

IV. Utrum in parochiali Ecclesia, cuius titulare festum ipsa die fuit a populo ex devotione celebratum, solemnitas debeat nihilominus die Dominica peragi?

V. An Indultum speciale, 13 Maii 1855, quo solemnitates transferendae in Dominicam sequen-

tem, eaque impedita, in Dominicam proximam praecedentem, ad hanc solam Dominicam restringatur?

VI. Utrum in Ecclesiis, ubi ex Indulto 13 Martii 1819 solemnitas translata peragitur cum Missa et Vesperis solemnibus, hi qui iisdem Vesperis assistunt, Divini Officii recitationi satisfaciant?

VII. An idem Indultum pro Ecclesiis concessum comprehendat etiam Oratoria tum publica tum privata? et quatenus Negative ad secundam partem, imploratur gratia extensionis ad Oratoria privata Collegiorum, Hospitiorum et aliarum Communitatum, iuxta prudens Ordinarii iudicium in singulis casibus.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, exquisitoque voto Commissionis Liturgicae, ita propositis Dubiis respondendum censuit, videlicet:

Ad I. « *Negative quoad 1um. Affirmative quoad 2um et 3um* ».

Ad II. « *Negative* ».

Ad III. « *Fiat de solemnitate digniori et minus digna transferatur in proximiorem Dominicam liberam* ».

Ad IV. « *Affirmative* ».

Ad V. « *Affirmative* ».

Ad VI. « *Ad S. Congregationem Concilii* ».

Ad VII. « *Quoad quaestionem: Indultum comprehendere tantum Oratoria publica; quoad postulatum: Non expedire* ».

Atque ita rescripsit, Die 6 Martii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius*.

V.

ROMANA.

A Sacra Rituum Congregatione postulaverunt plurimi: «An intonationes Hymni angelici ac Symboli, necnon singulae modulationes a Celebrante in Missa cantata exequendae, videlicet Orationum, Praefationis, Orationis Dominicae et cum relativis responsionibus ad chorum pertinentibus, ex praecepto servari debeant prout iacent in Missali, an mutari potius valeant iuxta consuetudinem quarundam Ecclesiarum?

Et eadem Sacra Rituum Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, censuit rescribendum: «Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam, et quamcumque contrariam consuetudinem esse eliminandam iuxta Decretum 21 Aprilis 1873». Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 14 Martii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. + S. A. Tripepi *Secretarius.*

VI.

BASILEEN.

R. D. E Iobix, Sacerdos et Moderator Kalendarii ad usum Cleri Dioeceseos Basileensis in Helvetia, de consensu sui Rm̃i Ordinarii, sequentia

Dubia pro opportuna solutione Sacrorum Rituum Congregationi humillime proposuit; nimirum:

I. Utrum in festis SS. Petri Damiani (*23 Februarii*) et Alphonsi M. de Ligorio (*2 Augusti*) mutandus sit tertius versus in Hymno: *Iste Confessor?*

II. In Dioecesi Basileensi die 22 Martii sub ritu duplici minori celebratur festum Beati Nicolai de Flüe, qui obiit die 21 Martii 1487 et huiusmodi festum, concurrens cum festo Sancti Benedicti Abbatis, sub ritu duplici maiori recolendo, tantum Commemorationem habet in primis Vesperis. Quod si incidat in Feriam secundam post aliquam Dominicam Quadragesimae vel Dominicam Passionis, et de illo recitandus sit Hymnus: *Iste Confessor*, in primis Vesperis, quaeritur: debetne mutari tertius versus in Hymno, et haec mutatio indicari in novis editionibus Proprii Dioecesani, a S. Rituum Congregatione die 30 Septembris 1869 approbati?

III. Kalendarium Dioecesanum, a S. Rituum Congregatione approbatum, indicat pro Dominica secunda post Pascha festum SS. Sigismundi Regis et Soc. Mm. sub ritu duplici minori. Sive ante sive post approbationem Kalendarii, praedictum festum omissum fuit, quotiescumque aliud festum duplex enunciata Dominica occurrebat, prouti fit hoc anno, quo celebratur festum Sancti Leonis IX. Papae sub ritu duplici II[ae] classis, festo SS. Sigismundi et Soc. penitus omisso. Quaeritur, utrum hac in re bene ordinatum sit Kalendarium?

IV. In Dioecesi Basileensi festum Sacrarum Reliquiarum peragitur sub ritu duplici maiori,

Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum. Porro quotiescumque littera dominicalis est « d » saltem pro mense Novembri, deest praedicta Dominica. Etenim festum Omnium Sanctorum celebratur die prima mensis, et Dominica sequens est dies octava eiusdem festi. Quaeritur, utrum hoc in casu omitti debeat festum Sacrarum Reliquiarum, ut hucusque factum est, an potius ad primam diem liberam, id est diem 19 Decembris transferendum sit?

V. In editione typica Breviarii Romani legitur sequens Rubrica die XVI Septembris: *Si festum SS. Cornelii et Cypriani venerit in Dominica, fit Officium de Dominica cum Commemoratione eorundem in utrisque Vesperis et Laudibus et IX Lectione historica* (ex tribus una) *atque commemoratione SS. Euphemiae, Luciae et Geminiani Mm. in I Vesperis et Laudibus, omissa Lectione.* Porro, quum in praedicto casu, ubique terrarum recolatur festum VII Dolorum B. M. V. pro Dominica III Septembris adsignatum, videtur esse corrigenda haec Rubrica in novis editionibus Breviarii. Hinc quaeritur, utrum et quomodo haec correctio fieri debeat?

VI. Ex S. R. C. Decreto die 8 Decembris 1895 circa celebrationem Missae in Ecclesia aliena, videtur Sacerdos habens festum duplex I Classis non posse celebrare, nisi more votivo Missam conformem suo Officio, quando ritus alienae Ecclesiae permittit Missas *de Requie* et votivas. Quid agendum in casu? Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, propositis Dubiis rite expensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, iuxta Editionem typicam et Martyrologium Romanum ».

Ad II. « Affirmative, ut in festo Sancti Hyacinthi Conf. die 16 Augusti ».

Ad III. « Affirmative et festum SS. Sigismundi et Soc., quoties impeditur, penitus omittatur ».

Ad IV. « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, nisi obtineatur Indultum pro translatione ».

Ad V. « Detur Decretum in *Aretina*, 18 Iunii 1885 ad VI ».

Ad VI. « Missa Officio conformis, sive de semiduplici sive de quocumque duplici, et in casu, est festiva: proinde non est votiva, nec more votivo dicenda. Atque ita rescripsit.

Die 14 Martii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi *Secretarius.*

SUPER DECRETO *QUEBECEN.* ADNOTATIONES

1. Dubium primum quaestionis I, respiciens partialiter Missam exequialem praesente corpore, quaerit: utrum die, quo celebratur *officium* solemnitatis, sive transferendae sive translatae, subsistat adhuc prohibitio Missae exequialis in Ecclesiis, praesente licet corpore; et respondetur: *Negative.*

Nunc autem opportune notandum credimus, ad hoc quod attinet negotium per Decretum praesens disciplinam mutari. Aliud namque Decretum pariter *Quebecen.* d. d. 31 Aug. 1872 declaraverat, Missam dictam esse vetitam tam in diebus fe-

stis solemnioribus universalis Ecclesiae et Ecclesiarum particularium, quam in diebus translatarum eorumdem festorum solemnitatum. Eadem disciplina praescribebatur servanda in Decreto *Sancti Deodati* d. d. 20 Mart. 1880, nec non in altero (saltem ex illatione) *Lunen. Sarzanen. et Brugnaten.* ad II, d. d. 18 Aug. 1884. Haec praefata Decreta iam vi sua destituuntur, uti alia forte, si quae sint; et in praesenti, ubi indulta est translatio solemnitatum, de quibus dictum est superius, Missa prohibetur tantum illa die, qua celebratur solemnitas, non vero alia die, qua celebratur tantum solemnitatis officium.

Idem dicas de Missa in Oratoriis privatis: quae nunc vetita censenda est tantum in die translatae solemnitatis, non vero in die festo.

2. In quaestione II postulatur utrum dictae solemnitates celebrari possint in festis Circumcisionis, Trinitatis, die octava Epiphaniae, Dominica Passionis et Dominica in Albis: responsum est autem: Negative.

Et hic nota, disciplinam hucusque fortasse servatam, licet non certam, esse mutandam. Hoc loquendi modo utimur, quia cl. De Herdt, quo nemo melius disseruit super hac materia, partim Decretis, partim ratiocinationi innixus, docet, solemnitatem translatam posse celebrari in Dominica Passionis, in Dom. in Albis et Trinitatis, nisi Missam celebrando, commemorationem tamen addendo Missae de Dominica aut festo sub unica conclusione. Quinimo inferius docet, posse etiam dictis Dominicis Missam votivam cani de solemnitate translata etc. (*Pars 4, n. 297, R. 4*). Sed praesens Decretum incertitudinem aufert, statuitque, praefatis Dominicis, sicut etiam in festo Circumcisionis ac die octava Epiphaniae, festorum solemnitatem celebrari non posse, et per consequens, si in illis occurrat, esse transferendam.

ARCHAEOLOGIA SACRA

XII.

De Coemeteriis veterum christianorum quae Romae extant.

(*Confer dissertationem mensis Februarii*).

Coemeterium Callixti.

Spatiosum valde implicatumque admodum, magno terrarum spatio, via Appia, regina olim viarum, explicatur. Variis constat regionibus diversi nominis, quae uno sepulcreto maximo uniuntur quibusdam ordinibus superpositis distinctae. Cryptae cubiculique antiquiores nobilis foeminae Lucinae impensa primitus effossi sunt, probabiliter ab ipsa Apostolorum aetate. Aliae eiusdem nominis Lucinae extiterunt, quarum una *collegit et sepelivit via Appia in praedio suo* Cornelium Pontificem, iuxta Librum Pontificalem. Regiones alias effoderunt vel ampliaverunt Fabianus Papa aliique Pontifices, nec non familia Caeciliorum, cum saeculo secundo ad fidem conversa est. His extat iunctum et coemeterium sanctae Soteris, Hyppoliti ac regio quam Callixtus ampliorem reddidit, a quo coemeterium deinde nuncupatum est (1). Alia regio Liberiana dicitur, eo quod Liberii tempore adaucta

(1) Hoc nomen datum illi fuisse probatur ex lapidis testimonio a De Rossi relato, in quo legitur Iovinam sibi comparasse *arcosolium in Callisti.*

fuerit. Per quatuor igitur circiter saecula, christianorum exuvias coemeterium hoc suo sinu excepit, ubi magnus episcoporum ac clericorum numerus, viri clarissimi, nobiles matronae, omniumque ordinum fideles innumeri quievere. Sepulcretum insuper plurimorum martyrum depositione nobilitatum est, ac praecipue divae Caeciliae martyris ac ex eius familia descendentium, cum non pauca Caeciliorum epitaphia prope hypogeum martyris reperta sint, inter quae illud Septimii Praetextati Caeciliani graece sculptum, qui *servus Dei* in inscriptione nuncupabatur.

Illic pariter depositi sunt Pontifices Romani, scilicet Zephyrinus, Antherotes (Antherus), Fabianus, Lucius, Sixtus II, Eutychianus, Caius, aliique a Zephyrino ad Miltiadem (Melchiadem) Callixto excepto, Tarsicius acolytus puer, quem Damasus carmine laudavit (1), S. Optatus Episcopus Visceritanus in Numidia, qui divi Augustini aetate vixit, S. Cornelius Papa, longe a crypta papali, seu in area Corneliorum cum hoc epitaphio (2):

CORNELIVS MARTYR EP ·

Insuper S. Eusebius Papa in crypta seu *in antro,* iuxta itinerarium Salisburgense, cui Damasus carmen posuit, in quo fit mentio de schismate propter lapsos orto, seu propter eos qui ad communionem Ecclesiae admittendi erant, post-

---

(1) V. fasciculum harum *Ephemeridum* mensis Augusti anni 1895.

(2) In crypta duo imagines more Bizantinorum depictae sunt, probabiliter saeculo IX, quae Cornelium et Cyprianum exhibent. Quamvis postremus in Africa martyr occubuisset, cum eodem die passus sit quo Romae Cornelius, ideo ex antiquis Kalendariis in Callixti de utroque, die 16 Septem., commemoratio fiebat: quod adhuc servatur in Missali et Breviario romano.

quam a fide defecissent tempore persecutionum (1). In carmine titulus martyris Eusebio datus exhibetur, nempe:

DAMASVS EPISCOPVS FECIT — EVSEBIO EPISCOPO ET MARTYRI.

In aerario pariter sepulti iacebant Hyppolitus aliique

.... *confessores sancti quos Graecia misit* (2)

fere omnes eiusdem familiae, scilicet Paulina, Marius, Neon, Adria, Eusebius Praesbyter, Marcellus Diaconus, qui e Graecia Romam petiere; qua in Urbe ad fidem conversi, sub Claudio, Gothico nuncupato, martyrio coronati sunt (3). Item, inter pene innumeros, Iulianus, Calocerus et Parthenius martyres, qui postremi curatores fuerunt Anatholiae, filiae Fulvii Petronii Aemiliani, iterum consulis anno 249 cum L. Naevio Aquilino.

Perpulchre poeta ac laudator eximius Martyrum Damasus, versibus his loci sanctitatem ac veneranda omnium ordinum sepulcra expressit.

Hic congesta iacent quaeris si turba piorum,
Corpora sanctorum retinent veneranda sepulcra:
Sublimes animas rapuit sibi regia coeli:

(1) Lapsi in tres classes distributi considerabantur: *sacrificati*, qui diis immolaverunt, *thurificati*, qui thus tantummodo his concremaverunt, *libellatici*, qui pecunia a magistratibus libellum obtinuerunt, quo declarabatur eos sacrificasse, quamvis minime id fecissent.

(2) Iuxta carmen Damasi.

(3) V. De Rossi *Rom. Sotter.*, Tom. III, p. 194 et *Boll. d'arch., crist.* Eorum nomina legi etiam possunt in carminibus codicum Götwei et Closkernemburg.

Hic comites Xysti portant qui ex hoste tropaea,
Hic numerus procerum servat qui altaria Christi,
Hic positus longa vixit qui in pace sacerdos,
Hic confessores sancti quos Graecia misit,
Hic iuvenes, puerique senes, castique nepotes,
Quis (1) *mage virgineum placuit retinere pudorem.*
Hic fateor Damasus volui mea condere membra,
Sed cineres timui sanctos vexare piorum.

Carmen feritate temporum in centum viginti quinque frustula redactum, nunc restitutum invenies in crypta papali ad extremitatem contra aditum. Huic contiguum est cubiculum divae Caeciliae cum arcosolio, ubi iacuit. Eius imago depicta cernitur in pariete orans brachiis extentis inter flores ac plantas, quae paradisum significant; pauloque inferius effigies, inscripto nomine, *S. Urban* (*us*). Urbanus hic, de quo fit mentio in actis beatae Caeciliae, non pontifex seu Papa censendus est, prouti habetur in Breviario romano, cum martyr non fuerit, sed alius Urbanus episcopus, ad quem debent referri quae de Caecilia narrantur; sed de his alio loco dicemus harum *Ephemeridum.*

Supra cryptam papalem, saeculo III, aedificatum est oratorium, seu *ecclesia B. Xisti*, nomine etiam *S. Caeciliae* nuncupata, quam meminit Gregorius Magnus, qua iacuerunt, saeculo VII, corpora SS. Zephirini ac Tarsicii *in uno tumulo.* Huic proximum extabat *oratorium Sanctae Soteris.* Et alia oratoria hac in area aedificata sunt, inter quae memoria, quam Leo Magnus extruxerat supra hypogeum S. Cornelii Papae. (Lib. Pont.).

Ad latus dexterum cryptae papalis sequuntur *cubicula a Sacramentis* nuncupata, propter symbola ac imagines, quae

(1) Queis seu quibus.

inibi de sacramentis reperiuntur depictae. In primo cubiculo, Salvatoris convivium cernitur, qui cum septem discipulis sedet in mensa ad formam semicirculi, in qua panes ac piscis superpositi sunt cum sportis panum plenis; quod quidem ad miraculum multiplicationis panis refertur. Pictura huiusmodi et in aliis cubiculis exhibetur (1). Panis igitur et piscis in mensa symbolum sunt Eucharistiae, cum sciamus piscem Christum significare; nam *piscis assus Christus est passus,* iuxta Patrum testimonia. Aliunde Christum etiam denotat panis, qui fit corpus eius, cum de se ipso dixerit: *panis quem ego dabo caro mea est.* Illic pariter inspicitur depictus Moyses, qui rupem percutit, symbolum Petri, ductor christianae plebis, qui aqua baptismi Dei populum liberat, quae a Christo fluit; *petra autem erat Christus.* Ideo in quarto cubiculo piscem hamo captum intuemur, qui virum christianum significat: *nos* enim, iuxta Tertullianum de Baptismo, *pisciculi secundum* ΙΧΘΩΝ *nostrum Iesum Christum in aqua renascimur.* In ipso primo cubiculo, Ionas repraesentatur sub pergula, ipseque in mare demissus ac a cete magno ad littus reiectus, qui est figura resurrectionis Christi, uti alio loco innuimus. Alias imagines in altero cubiculo videre datum est ac in tertio, cuius pavimentum opere sectili elaboratum cernitur. In quarto conspicimus cyclum Ionae, pastorem bonum cum ove super humeros, Iesum cum Samaritana, convivium, quod supra retulimus, sacrificium Isaac, cuius pater ad modum orantis est affictus (adest et hircus cum lignis), virum qui puerum baptizat, paralyticum sanatum cum grabato suo, nec non piscem et panem in tripode positos, apud quem mulier orans adstat ac vir qui, pallio indutus, manum dexteram ponit in mensa. Perspicuum est id

---

(1) Pictura refert factum quod Iohannes narrat in Cap. XXI Evangelii.

velle Eucharistiam significare, in qua Ἰχθύς sumitur, seu *Iesus Christus Dei Filius Salvator:* mulier Ecclesia est, vir Christus ad coenam suam invitans, seu sacerdos panem consecrans, qui Ἰχθύς efficitur.

In ultimo cubiculo, fere easdem picturas cernimus una cum Lazaro, quem Iesus a mortuis revocat per virgam, quae est signum divinae virtutis ac potestatis. Illic extat expressus puer nudus et usque ad genua demersus in aqua, super quem palliatus vir aquam infundit. Quod denotat baptismum etiam primis temporibus administratum fuisse per infusionem, praeterquam per immersionem. Cubicula igitur nos de tribus sacramentis erudiunt, nempe de baptismo, Eucharistia ac remissione peccatorum significata per paralyticum sanatum, cui Salvator dixerat: *remittuntur tibi peccata tua.*

Multas alias picturas, brevitatis gratia, non adnotamus, inter quas B. Virginem cum puero Iesu super genua sua, cui dona offerunt reges Magi. Multa item forent dicenda de magno ac percelebri hoc coemeterio, quod papale constitum est saeculo II, ac proinde directe a Pontificibus administratum, cuius cura primo Ecclesiae Romanae Diacono demandabatur.

(*Continuabitur*).

IOSEPH Canonicus CASCIOLI.

In fasciculo praecedentis mensis ad paginam 140, ubi legitur IRETNE, legatur IRE$^{\mathrm{T}}$NE, idest cum cruce ad formam Tau.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

IV.

Ioannes Sacerdos, aegra valetudine habitualiter affectus, a S. Sede privilegio Oratorii privati benigne ditatus fuit. Biennio a privilegii concessione transacto, ingravescentibus cum aetate incommodis, Ecclesiamque petere diebus in indulto exceptis pro Sacro faciendo sibi nimis grave compertus, privilegium ad ipsos vetitos sibi indulgens extendit; ratus id sibi licere e vulgari axiomate, favores late interpretandos et ampliandos; seque diebus solemnioribus tam divina consolatione privari mentem esse Summi Pontificis haudquaquam suspicari posse. Praeterea a concessione privilegii usque nunc famulum assidue sibi inservientem, ne patiatur eum e domo nimium abesse, ad sacram Synaxim quandoque admittit, cum eoque saepe saepius mulierem variis vexatam infirmitatibus, alterius familiae, licet in eadem domo degentem; dicit enim, adstantes Missae sacrificio ius habere ad Eucharistiam sumendam, quod insuper a sacrosancta Tridentina Synodo vehementer exoptatur.

Quaeritur:

1. *Num ex veteri Ecclesiae disciplina erui possit, diebus festis solemnioribus vetitum fuisse Sacrum facere in Oratoriis privatis?*

2. *Quaenam hodie solemnitates in indultis plerumque excipiantur, quaque de causa: et num absque novo indulto, aliqua interiecta epikeia vel interpretatione, privilegio illis in diebus uti aliquando fas sit?*

3. *Utrum sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae administrare in privato Oratorio interdum liceat: et in casu negativo, num saltem ab Ordinario loci id permitti queat?*

4. *Quid ergo sentiendum de Ioannis agendi ratione, omnibus inspectis circumstantiis et rationum momentis in casu propositis?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Georgii Mundelein Pontificii Collegii Urbani de Propaganda Fide alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis, die 30 Ianuar. 1895: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Ioannem Bapt. Menghini Caerem. Apost. Magistrum.

I. Num ex veteri Ecclesiae disciplina, erui possit, diebus festis solemnioribus vetitum fuisse Sacrum facere in Oratoriis privatis? — Si ab initio necessitate coacti in privatis domibus Christifideles Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrabant, ut legimus de S. Petro, qui in domo Pudentis Senatoris Romani Sacrum faciebat, de S. Saturnino in domo Octavii; postmodum, pace Ecclesiae donata, Templis aedificatis, in his coeptum est haberi conventus ad Sacrum publice litandum, et usum aboleri privatorum Oratoriorum. Concilium Laodicense statuit: « quod non oportet in domibus fieri oblationes ab Episcopis et Presbyteris ». Quod si S. Ambrosius, S. Paulinus Episcopus Nolanus

et alii in privatis domibus celebrarunt, censendum est eos raro id fecisse, et gravissimis de causis, nunquam ex consuetudine. Non tamen prohibebantur Reges, Principes nobilesque familiae usu domestici Oratorii ad Missas celebrandas et sacras laudes persolvendas. Id Sozomenus testatur de Constantino Magno, qui « in Palatio construxit Oratorium, in quo deberent Deum laudibus efferre et Sacra Mysteria percipere ». Requirebatur autem omnino Episcopi consensus ad Sacrificium celebrandum, sicuti novimus a Capitulari Regum Galliae: « Qui in domo sua Oratorium habet non potest in eo sacras facere Missas sine permissu Episcopi ». Insuper limitatio semper fiebat quoad festa solemniora, ut mos servaretur, quod populus, sine ulla exceptione aut distinctione personarum, publice conveniret ad divina mysteria celebranda iis diebus. Plurima habemus testimonia SS. Patrum et veteres Canones, ex quibus hoc innotescit. Imo quibusdam in locis celebrandi facultas pro diebus ferialibus tantum concedebatur: testis est Capitulare Aquisgranense anni 1789 sub Carolo Magno, in quo (*Num. 9*) praescribitur ut « Comites in diebus festis vel Dominicis omnes ad Ecclesiam veniant, et non invitent Presbyteros ad domos suas ad Missas faciendas ».

Verum generalis regula eadem erat quae nostra aetate. Iis tantum in locis, ubi abusus irrepserant in celebratione Missarum in privatis domibus, prohibitio ad Dominicos et alios festos dies extendebatur; dum alibi ampliori facultate nobiles aliique, si qui erant privilegiati, gaudebant, ita ut fere eaedem limitationes inveniantur, quae in recentioribus indultis. Primum documentum,

quod absolute de hac prohibitione in festis solemnioribus celebrandi loquitur, est Decretum Concilii Agathensis anni 506, his verbis exaratum: « Si quis extra Parochias in quibus est legitimus ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere soluerit, reliquis festivitatibus ut ibi Missas teneat propter fatigationem familiae, recta ordinatione permittimus: Pascha vero, Nativitatem Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten et Nativitatem S. Ioannis Baptistae etc. qui maximi dies in festivitatibus habentur, nonnisi in Civitatibus aut Parochiis teneant. Clerici vero eo quod in festivitatibus, quas supra diximus in Oratoriis, nisi iubente aut permittente Episcopo, Missas facere aut tenere soluerint, a communione pellantur ». Ergo manifestum fit iam ab antiqua priorum saeculorum disciplina statutam hanc dierum solemniorum limitationem, quoad Missarum celebrationem in privatis locis. Idem repetitur a Synodo Avernense anni 525 (*Can. 18*): « Si quis ex Presbyteris aut Diaconis, qui neque in Civitate neque in Parochiis esse dignoscitur, sed in Villibus habita in Oratoriis Officio Sancto deserviens celebrat divina Mysteria, Festivitates praecipuas, Domini Natalem, Pascha, Pentecosten et si quae principales sunt reliquae solemnitates nullatenus alibi nisi cum Episcopo suo in Civitate teneat. Quicumque etiam sunt cives natu maiores pari modo in Urbibus ad Pontifices suos in Festivitatibus veniant. Quod si improba temeritate contempserint iisdem Festivitatibus, quibus in Civitatibus adesse despiciunt, communione pellantur ». Haec autem lex prohibitiva, in sequentibus Conciliis aut Synodis, saepe confirmatur; Conci-

lium Parisiense Sextum, ann. 829, damnat « quod plerique Presbyteri neglectis Basilicis Deo dicatis, in domibus et hortis Missarum celebrationes, *contra divinam auctoritatem, et canonicam institutionem* facere praesumunt »; additque, quod haec prohibitio « Ecclesiasticae antiquae traditioni videtur reniti ». Concludere ergo oportet eam fuisse absque dubio legem universalem, ut Gratianus eam in suo celebri Decreto retulerit. Non una tamen fuit ubique lex, sed maior vel minor dierum vetitorum numerus iuxta locorum diversitatem inveniebatur. Ita v. gr. in aliquibus Galliae Dioecesibus excipiebantur, ut vidimus, etiam Dominicae; in Italia vero solemniores tantum dies. Concilium Ticinense saec. IX loquens de domesticis Oratoriis, nullam mentionem facit de festis ita exceptis, quia, ut Decretum eiusdem Concilii testatur, in Italia discrete ac prudenter agebatur. At negotium ab Ordinarii voluntate dirigebatur, qui facultatem praebens, conditiones, clausulas et limitationes apponebat, prout expedire iudicabat. Id testatur Hugo Guidardius Episcopus Beneventanus, qui in sua Synodo Provinciali anni 1374 decrevit: « ne in festis praecipuis celebraretur in Oratoriis privatis, sed in aliis diebus et hoc debet continere licentia quando conceditur a Dioecesano ». Et quemadmodum hodie Summus Pontifex, cui soli haec facultas reservatur, quamcumque apponere valet restrictionem, vel pro quocumque anni die indulgere celebrationem potest, ita antiquitus Episcopi iuxta proprium beneplacitum, et iuxta rerum adiuncta se diversimode gerebant. Potest tamen affirmari legem ordina-

riam fuisse, privilegium celebrandi in privatis Oratoriis concedere eodem fere modo, quo nunc a Summo Pontifice conceditur.

II. At tempus est arripiamus alteram, potioremque quaestionis partem. In hac tria diversa inquiruntur: 1.° Quaenam hodie sunt solemnitates in indultis exceptae, in quibus nempe vetitum est Missam in privatis Oratoriis celebrare; 2.° quanam de causa hanc Ecclesia prohibitionem faciat; 3.° an causae excusantes dari possint, ex quibus, in alicuius favorem privilegium extendi valeat ad dies aliunde prohibitos, absque nova speciali concessione. Et quoad primum, notandum est quaestionem agitari de Oratoriis ex rescripto concessis sive Sacerdotibus, sive saecularibus personis, nobilibus familiis etc. in forma ordinaria; namque in iis, quae conceduntur v. gr. infirmitatis causa, nullae exceptiones apponuntur, ita ut celebrare vel celebrationi adstare liceat quocumque anni die, etiam ex solemnioribus. Ergo facultas in forma communi celebrandi in domesticis Oratoriis quibusdam clausulis et conditionibus subiacet, inter quas illa dierum solemniorum limitativa, excerpta ex antiquioribus decretis, necnon Constitutione Clementis XI, diei 15 Dec. 1703, decernente: « nullo modo licere in Oratoriis celebrare in diebus Paschatis SS. Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis D. N. I. C. aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis ». At quaenam sunt haec alia *festa solemniora,* quibus prohibetur Missae celebratio in Oratorio privato? Praenotamus cum pluribus liturgistis et canonistis, quos inter doctissimus Pasqualigo, quod « spectat

ad Ordinarium declarare quinam sunt isti dies solemniores, quia sicut ipsi committitur visitatio et approbatio Oratorii, ita etiam videtur commissa declaratio horum festorum, et ideo dum approbant Oratoria deberent in scriptis declarare hos festos dies, ut relinquerent regulam privilegiatis, quam sequantur ». Ordinarius vero imprimis ante oculos habebit S. Sedis Constitutiones et Decreta, ad quorum normam suam informabit sententiam. Non tamen videtur S. R. C. taxative omnino declarasse dies limitatos formula: *aliis solemnioribus anni festivitatibus;* et sane in Decr. 17 Nov. 1607 in Calaguritana deest festum Pentecostes, certe solemnius inter solemniora, quod in Constitutione Clementis XI, ut vidimus inseritur; recentius Decretum 11 April. 1840 *Barchinonen.* ad 3, addit festum Patroni loci. Proderit utrumque referre; Decretum primum: « Dubitatum fuit, quaenam sint et intelligantur, praeter diem Paschatis, aliae solemniores festivitates: et propterea ad omnem dubitandi rationem tollendam, petiit (Ioannes Lopez) illas declarari a S. R. C. — Eadem S. R. C. solemnes festivitates esse et intelligi censuit, praeter festum Paschatis Resurrectionis D. N. I. C., feriam V in Coena Domini, festum Ascensionis D. N. I. C., festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, festum Annunciationis et festum Assumptionis B. M. V., festum omnium Sanctorum, festum Nativitatis, ac festum Epiphaniae Domini ». Decretum alterum: « Prohibitum est (in Oratoriis privatis Sacrum facere) tantum in festo Patroni Civitatis vel Dioecesis, non in festo Titularis, quod non inducit praeceptum audiendi Sacrum et ab-

stinendi a servilibus ». Ex hoc Decreto deducitur, quod, si festum Patroni loci celebratur absque praecepto, non debet inter exceptos recenseri. Nunc alia sese offert quaestio: utrum praecepto sublato, inhibitio celebrandi in privato Oratorio perseveret? In Americae Septentrionalis Dioecesibus, ex. gr., festa Epiphaniae et Annuntiationis ex Apostolico indulto inter festa praeceptiva non sunt recensenda; videntur ergo non comprehendi in numero solemniorum festorum, ac proinde iudicari posset facultatem celebrandi his diebus in privato Oratorio integram remanere. Ex eo confirmatur opinio, quod Apostolica Sedes prohibendo privatam celebrationem diebus solemnioribus, fideles Ecclesiam frequentare exoptat, cum praecepto Sacrum audiendi adiguntur; hoc itaque sublato, finis cessare putatur. At in praxi secus se res habet, finis namque legis non cadit sub lege; omnem autem dubitationem sequens adimit Decretum Lunen. Sarzanen. et Brugnaten. 18 Augusti 1884: « Dubium II. An vigeat adhuc prohibitio celebrandi Missam in Oratoriis privatis die festo Annuntiationis B. M. V., itemque etc. qui dies in albo festorum per Breve Apostolicum suppressi sunt?... Affirmative ». Ita pariter pro casu translationis festivitatis seu praecepti ad diem Dominicum, exquisitum fuit a S. R. C.: « Nonnullis festis quorum solemnitas differtur in Dominicam sequentem interdicuntur Sacra in Sacellis domesticis, quaeritur an illud interdictum intelligendum sit de die festivitatis, vel de Dominica, in qua fit solemnitas? » Et responsio data est: « In die festi » (Namurcen. *23 Maii 1835*

ad 14 q. 8) (1). Casus translationis solius Officii, praecepto remanente die impedita, prohibitionem non inducit die Officii translati; v. gr. festum Annuntiationis B. M. V. infra octavam Paschatis occurrens transfertur in feriam 2 post Dom. in Albis, quoad Officium tantum; prohibitio celebrandi in privato Oratorio illa die Octavae Paschatis habebitur, non autem feria 2 post Dominicam in Albis.

Quid autem dicendum de festis Immaculatae Conceptionis B. M. V. et S. Ioseph nuper ad supremum solemnitatis gradum elatis? Certum est ea inter solemniora recenseri debere; utrum vero et conditionem sequi debeant eorum quae eiusdem gradus dignoscuntur, quod attinet privilegium Missas prohibendi in privatis Oratoriis omni cum certidine asseri nequit, et rem cogimur in suo dubio relinquere.

Haec tamen dicta sint, quod hodierna attinet indulta, tantum historice, namque dubitandi locus amplius non datur, cum eliminata fuerit dictio: *aliisque anni festis solemnioribus,* et numerentur taxative, ac nominatim dies prohibiti qui sunt duodecim, nempe: festum Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis et Ascensionis D. N. I. C., Pentecostes, SSmae Trinitatis, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V., S. Ioannis Baptistae, SS. Ap. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum et

(1) Post Decr. in *Quebecen.* (*V. superius pag. 196, et 197*) ad 1um haec duo Decreta, cum aliis tenoris eiusdem, revocata fuere; primum saltem ex illatione, ut diximus in Adnotat. super dictum Decretum (pag. 202).

(*Redactio*).

S. Patroni loci. (Ita ex notitia directe sumpta in Secretaria Brevium, a qua nimirum indulta huiusmodi promanant). Quod si aliqua appareat incohaerentia haec inter et S. R. C. Decreta, facile evanescet, si pensemus, de indulto agi, cuius limites legitima novit auctoritas et imponit, alias altera ratione, nunc altera (1).

Quaestio inter nonnullos liturgicos auctores agitatur, an tres postremi dies maioris hebdomadae inter *solemniores festivitates* sint recensendi; at perperam, prohibiti enim certo sunt, sed ratio prohibitionis non est tam solemnitas, quae praeceptum non inducit, quam vetitum generale celebrandi Missas privatas, omnibus satis notum, saepiusque Decretis confirmatum. Ita, data occasione, Emus Card. Paraccianus, Clementis XI Vicarius Gen., Monitu die 3 Aprilis 1719 vulgato, Clerum Urbis alloquutus est: « La Santità di Nostro Signore, inerendo ai replicati Decreti della S. C. dei Riti, strettamente incarica a tutti i Reverendi Sacerdoti di non celebrare Messe private non solo nel Venerdì, ma anche nel Giovedì e Sabbato della Settimana Santa, tanto negli Oratorii privati che nelle Chiese pubbliche, secolari e regolari, in qualsivoglia modo privilegiati, non ostante qualsivoglia privilegio, o consuetudine in contrario ».

Perpendamus modo rationes, quibus permota Ecclesia tales exceperit solemnitates. Cultus ex-

(1) In sacras Romanas Congregationes honor iisque debita reverentia hanc loquendi rationem nobis imponunt. Nihilominus confidimus, fore ut quaecumque incohaerentiae species quamprimum per competentem auctoritatem eliminetur.

terioris exercitium S. Ecclesia, iure naturae impositum, suis quoque legibus sancivit, eiusmodi autem cultus praecipuum exercitium est *publica* Missarum celebratio, eique relativa fidelium assistentia diebus Dominicis et festis de praecepto. Verum ex speciali Apostolicae Sedis indulgentia, sive nobilibus personis, sive aliis, iurisdictionis causa, sive alia eidem probata, celebratio aut assistentia Missae Sacrificio in propriis domibus permittitur, ea quoque mente ut praecepto satisfiat. Sunt porro nonnullae ex festivitatibus quibus semper Ecclesia maximam exhibuit venerationem, atque a fideli populo maxima solemnitate celebrantur, in quibus Ecclesia omnes Christifideles, sine personarum distinctione, vult una simul convenire, ad publice Missae Sacrificium offerendum, et Deum laudandum eique gratias agendas pro universis beneficiis, quae de sua largitate sumpserunt, occasione Mysteriorum illorum quae commemorantur. Pasqualigus his verbis ea de re loquitur: « Attamen in his festis assignandis, non est habita ratio tam solemnitatis quoad ritum, quam solemnitatis quam fideles tenentur ostendere ratione commemorationis beneficii quod perceperunt, et ratione cuius mediante cultu tenentur se ostendere gratos erga Deum, et proinde tenentur publice convenire ad Sacrificium quod Deo offertur. Commemorantur autem in dictis festis beneficia specialissima. Nam in Annunciatione commemoratur initium redemptionis, in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli promulgatio Evangelii atque fundatio Romanae Ecclesiae. In festo omnium Sanctorum recoluntur omnia beneficia, quae nobis ex omnium Sanctorum interces-

sione proveniunt. In festo Assumptionis B. M. V. commemoratur beneficium advocationis, quam coepit interponere pro nobis apud Deum (*Qu. 639*)». Quod si Ecclesia nullam posuisset limitationem, et privilegiatis indulsisset quotidianam et perpetuam privati Sacrificii faciendi facultatem, plures nunquam ad Ecclesiam accederent cum ceteris fidelibus, dum ex opposito, *convenientibus in unum*, fides incrementum obtinet. Id animadvertit S. Carolus Borromaeus (*Conc. Mediolanen. I*), commendans privilegiatis ut indulto « rarius utantur, ne distracti homines illa commoditate, Ecclesiam Dei minus frequentent, quod exemplo etiam noceat aliis ». Insuper maxime decet diebus solemnioribus, Ecclesias maiori Missarum numero ditari, ad pompam augendam et fidelium utilitatem.

Tandem respondemus nullimode facultatem posse sibi quempiam arrogare, indultum ampliandi, in casibus quibuscumque, sed cum opus fuerit recurrendum, ad eundem concedentem. Ratio aliunde ex se clara evadit; cum enim hi dies solemniores excipiuntur, nullum pro eis privilegium datum intelligitur, caduntque sub lege communi celebrationem Missarum prohibente in privatis Oratoriis. Consequenter in suo robore manet obligatio Sacro adstandi in Ecclesia vel publico Oratorio, ad praeceptum implendum, quod locum debitum requirit, qui profecto non est Oratorium privatum privilegio non ditatum. Ratio ergo infirmitatis, seu gravis incommodi absolute excusare poterit ab audiendo Sacro, nunquam vero efficere potest ut licitus evadat usus privilegii praeter Superioris voluntatem, imo expresse contra legem. Confirmatur ratio ex ipsa Summi Pontificis praxi, qui,

cum quaestio est de personae indultum exposcentis infirmitate, illud formula et clausulis omnino specialibus concedit, quae plerumque haec sunt: «Tibi ut etiam diebus ut praefertur exceptis, si in illis ob infirmitatem egredi non poteris, in dicto Oratorio praedictam unicam Missam celebrari facere, ac illam cum una persona servitiis tuis necessaria dumtaxat audire licite et libere valeas».

III. Quaeritur 1.° utrum Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae administrare in privato Oratorio interdum liceat? — Ex pluribus Summorum Pontificum Rescriptis ac Brevibus constat eos solitos fuisse concedere quasi ex privilegio facultatem Confessionem peragendi et S. Communionem accipiendi in privato Oratorio; non tamen aeque constat utrum Summus Pontifex, talia concedendo, egerit de re sibi uni reservata, an sine praeiudicio iurium Episcoporum. Communiter Ordinariis tribuitur, et sane plures perlegimus Episcoporum dispositiones etiam recentes, quibus facultates huiusmodi sibi reservant, et ad instar privilegii interdum concedunt. Ad melius rem explanandam, distinguamus oportet quod Poenitentiae Sacramentum respicit et quod Communionem. Et quoad primum, Rituale Romanum (*Tit. de Sacram. Poenit.*) haec habet: «In Ecclesia non autem in privatis aedibus Confessiones audiat nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare». Ex his apprehendimus Ecclesiam in genere velle hoc Sacramentum in sacris aedibus administrari, non tamen excludit ex causa rationabili alia loca, multoque minus Oratoria quamvis privata. Rationabilis causa profecto, non esset

simplex commodum personae, idcirco male se gererent qui citra legitimam causam hanc sequerentur praxim: dicimus tamen Episcopos concedere posse ex arbitrio hanc facultatem; cum enim de iure suo ordinario iurisdictionem Sacerdotibus concedunt plus minusve extensam, ita et loca apta vel minus declarare valent ad id munus exercendum: non est autem dubitandum de loci idoneitate quoad Oratoria privata, quae sunt quodammodo et ipsa loca sacra. Ceterum nulla extat iuris dispositio, quae hac super re Episcoporum limitet auctoritatem.

Quoad autem Communionis administrationem, quaestio difficilis evadit, ius enim certum non habemus. De Communione Paschali nulla quaestio, non enim adimpleri valet praeceptum nisi in Ecclesia Parochiali. De sacro Viatico pariter non est quaerendum an possit e privato Oratorio deferri, est et hic casus a nostra quaestione extraneus. Opinantur nonnulli in qualibet Missa ubicumque celebrata, etiam in privatis Oratoriis, posse S. Communionem administrari, et argumentum sumunt 1.° ex verbis Tridentinae Synodi: « optaret quidem sacra Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spiritali affectu, sed sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent »; 2.° ex noto principio: « concesso principali, censetur concessum etiam accessorium »; atqui Eucharistiae distributio est quid accessorium, ad ipsum enim Missae sacrificium pertinet; ergo cum privilegium conceditur Missam celebrandi in privato Oratorio, conceditur pariter posse S. Eucharistiam adstantibus administrari. Sententia tamen opposita non modo probabilior

sed certa omnino habenda est, et in praxi retinenda. Et re sane vera obiectionem, seu e verbis Tridentini desumptam seu e consideratione Communionis tanquam Missae accessorium nihili esse faciendam probatur ex S. Congr. Concilii Decreto d. d. 12 Febr. 1679, quo iubetur: « Episcopi et Parochi seu Confessarii doceant in *Oratoriis privatis ex dispensatione, seu privilegio Pontificis,* de manu Sacerdotis sumendam SS. Eucharistiam ». Quod scite explicat Cavalerius his verbis: « Sensus est quod in Oratoriis privatis, quae lato modo dicuntur Ecclesiae, sumi non potest SS. Eucharistia nisi ex dispensatione, seu privilegio Pontificis... Haec autem ubertim designant, quod ex concessione Oratorii privati pro Missa, non continuo inferri potest concessio pro administratione Eucharistiae, sed ad hanc requiritur novum et distinctum privilegium; cum enim privilegia, quae communiter emanant super Oratoriis privatis, unice sistant in facultate inibi faciendi Missae sacrificium, nec minimum verbum teneant super administratione SS. Sacramenti, neque ex identitate, aut ex maioritate rationis extendi valent ad distributionem Eucharistiae, quam cum probe noverint, si voluissent, utique expressissent... Ex instituto itaque Ecclesiae sacra quidem Communio administrari debet intra Missam, et Tridentinum optat, administretur in Missis singulis, *sed servato loco et tempore.* (*Lib. IV, cap. IV, Decr. I*) ».

Quaeritur 2° num saltem ab Ordinario loci permitti queat dicta Sacramenta in privatis Oratoriis administrari. — Quoad Sacramentum Poenitentiae iam affirmativa sententia respondimus: quoad Eucharistiam, negativam tenemus, quidquid

enim a nonnullis dicatur in oppositum, praesertim Benedicti XIV auctoritate suffultis (Decr. ad Prim. et Episc. Poloniae *7 Ian. 1741* et Constit. *Magno cum animi*) Decretum S. C. Conc. nuper relatum, ut verbis utar Cl. Cavalerii, « dum dispensationem seu privilegium Pontificis ponit, facultatem eiusmodi neque ab Ordinariis locorum tradi posse aperte declarat, et scite dixeris, quaecumque causa interveniat, ne quidem excluso infirmitatis casu (*loc. cit*). ». Nec valet opponere Benedictum XIV novum ius induxisse, edocti namque fuimus in ipsa *Brevium* Secretaria, a qua praecipue eiusmodi facultates conceduntur, mentem esse Summi Pontificis talem facultatem Apostolicae Sedi reservari, nullo iure Ordinaris locorum collato: et in praxi quicumque hoc cupiunt gaudere privilegio ad Secretariam *Brevium* vel *Memorialium* recursum habent.

IV. Hucusque dictis inhaerentes, videamus nunc quid sentiendum sit de Ioannis agendi ratione, omnibus inspectis circumstantiis et rationum momentis in casu propositis. Circumstantiae sunt: extensio privilegii, et distributio S. Eucharistiae famulo inservienti ac mulieri infirmae alterius familiae. Quoad privilegii extensionem haec sunt consideranda: cum agatur de Sacerdote privilegium exposcente, et quidem infirmitatis causa, videretur illud obtinuisse pro omnibus diebus, quibus e domo egredi prohiberetur aegra valetudine, nullo, etiamsi solemniori, excepto. Hoc enim casu verba concessionis sunt plerumque tenoris huius (formulam sumimus ex S. R. C.): « Sacra Rituum Congregatio attentis expositis, preces remisit prudenti arbitrio ipsius Revm̃i Ordinarii,

ut postquam per se vel per Sacerdotem a se ad hoc apposite deputandum, locum destinatum ad erigendum Oratorium privatum visitaverit, deque illius decentia iudicaverit, suprascripto oratori, nomine et auctoritate S. Sedis expeditum indultum Oratorii domestici concedat pro singulis anni diebus non exceptis solemnioribus, in quibus egredi nequeat absque gravi suae valetudinis incommodo». Dicendum ergo foret, extendendo privilegium ad dies solemniores, non egisse contra concedentis voluntatem, extendere enim valebat, quando egredi nequibat *absque gravi suae valetudinis incommodo.* At rem aliter exponit casus: Ioannes obtinuisse videtur indultum more ordinario, et extensionem sibi indulsisse, axiomati innixus: late favores interpretandi et ampliandi; et mentem Summi Pontificis benigniorem excogitatus. Quae tamen rationes nihili valere uno intuitu dignoscuntur, favores enim ampliandi sunt quantum fieri potest, nempe sine praeiudicio legis; at cum hic agatur de privilegio, quod legi vulnus infigit, strictae intelligitur interpretationis. Mens autem Pontificis nisi exprimatur, nemini eam veram fingere impune dabitur.

Quoad Communionem famuli et mulieris obstat lex, quam superius ad examen revocavimus; quanti autem faciendae rationes a Ioanne allatae iam vidimus in responsione ad III quaestionem, ad quam, ne bis eadem dicamus, lectorem remittimus.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(*Contin. V. n. 11, anni 1895, pag. 657*).

CAPUT XVI.

De Visitatione ipsius Ecclesiae.

Antequam Visitator ad alia divertat, res quae in Ecclesia ipsa continentur singillatim invisat, ac primum:

120. Sedes pro populo. Circa sedes et genuflexoria quae in Ecclesiis ut plurimum inveniuntur, sciat Visitator consuetudines et leges locales, quia non ubique eaedem semper sunt, et alicubi civiles quoque potestates circa ius sedes in Ecclesiis retinendi nonnullas leges ediderunt.

Nihilominus ex iure canonico, haec prae oculis sumimus in servitium Visitatorum.

Sedilia seu scamna propria in Ecclesia ponere nemo potest absque facultate Rectoris Ecclesiae atque invito Episcopo; et si ab aliquibus apponantur, possunt a Rectore et Episcopo removeri, maxime quando sunt causa dissidii et impediunt functiones et celebrantes, ut pluries decrevit S. Congregatio Episcoporum *(D. in Ianuens. 7 Apr. 1583, in Camerin. 12 Ianuarii 1588, in Verulana 9 Septemb. 1698*). Ex tolerantia tamen vel licentia Episcopi seu Rectoris Ecclesiae, possunt laici acquirere ius retinendi sedilia, non quoad

dominium vel proprietatem, sed solum usum revocabilem ad libitum Rectoris et Episcopi (Monacellus *p. 1, tit. 5, form. 8, n. 4.* Fuscus *de Visitatione l. 1. c. 26*). Hinc non possunt laici praedicta sedilia seu scamna aut eorum partem sive eorundem usum locum aut situm aliis cedere, donare, nisi Episcopi consensus accedat (*S. Congr. Concilii 5. Sept. 1665 in Anagnina*).

Consensus Episcopi non requiritur expressus sed sufficit tacitus; unde non potest Episcopus, sicut nec Rector Ecclesiae, auferre huiusmodi ius si ab initio passus est, eos habere vel retinere sedile in aliquo Ecclesiae loco: nisi sic exposceret servitium vel commodum Ecclesiae pro functionibus liberius peragendis; et nisi laicus praetenderet habere illud ius quoad proprietatem, quia tunc non censetur ius irrevocabile, cûm usus sedilium, quem laici habent in Ecclesia, proveniat ex benignitate, ac tolerantia Ecclesiae (*S. Rit. Congr. in* Fundana *5 Oct. 1697,* Monacellus *ib. n. 5*).

Quando lis inter privatos oritur super competentia loci sedilium, qui sunt in possessione sunt manutenendi absque novitate (*S. Cong. Episc. 6 Martii 1692 in Imol.*). Locus autem in Ecclesia possessus videntibus et patientibus Rectore, Clero et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita praescribitur per immemorabilem (*Decisio* Rotae *781 n. 7, a* Ferraris *citata*).

Ideo nemini permittitur in praeiudicium huiusmodi iuris quaesiti ponere novam sedem ante veterem (*S. Cong. Episc. in* Tarentina *8 Dec. 1645*).

Neque potest nova sedes ante veterem poni, etiamsi vetus a suo loco non amoveatur. Neque hoc casu praevalet oblatio facta per assignatarium Ecclesiae pauperi; quia licet eius indigentia sit causa sùfficiens ut in ea laico concedatur locus pro sede, cum tamen

Ecclesia sit altrix iustitiae, huiusmodi assignationes non permittit cum alterius praeiudicio (*Decisio* Rotae *cit. 19 et 20*).

Si antiqua forma Ecclesiae immutetur in aliam structuram, sedilia seu scamna laicorum in illa existentia reponi debent eodem ordine, quo reperiebantur ante immutationem fabricae, vel in loco aeque digno (*Card. Petra tom. 2, n. 11. a* Ferraris *voce Ecclesia art. V citatus*).

Ius habendi sedilia in Ecclesia concessum alicui familiae vel descendentibus, extincta familia transit ad haeredes extraneos sicut et iuspatronatus gentilitium in tali casu ad extraneos haeredes transiret, nisi taxative concessum fuisset illis de familia dumtaxat, vel solis descendentibus (Ferraris *ibid. n. 26*).

Sedilia non possunt in Ecclesia ita collocari ut sedentes terga vertant ad Ss. Sacramentum aut alia indecora oriantur (*S. Pius V, Constit.* Cum primum).

Quaestio est, ait Ferraris (*voce* Sedes *n.* 25), an concesso iure scamnorum laicis ab eo qui hac potestate pollet, ius aliquod acquiratur ab ipsis laicis pro tuitione huius usus. Distinguendum est, num controversia sit cum altero laico an cum Rectore Ecclesiae. Priori casu, convenit inter omnes, posse laicos se tueri in usu illo; posteriori vero casu rursus distingui debet, cum Episcopus vel Rector Ecclesiae amovere scamna intendat sine ulla causa, vel ut illorum usus aliis concedat; an ita exigente necessitate Ecclesiae. Amovere enim nequit scamna sine ulla causa vel ut aliis concedat usum eorum; potest vero amovere ex necessitate Ecclesiae, sed debet, si fieri potest, eorum usum alio in loco illis ipsis concedere.

Sedes laicorum numquam in presbyterio sunt locandae (*S. R. C. 10 Iunii 1602 in Egitanien*).

Sedes pro audienda concione ita aptari debent ut aliis retro stantibus ad visum praedicatoris non officiant (*S. R. C. 11 Apr. 1601 in Faventina*).

Sedes possunt a Dominis et divitibus ornari, et eis inscriptio vel signum apponi (*S. Congr. Ep. 14 Ian. 1603*).

Est removenda Sedes adeo altari vicina ut celebrantem impediat (*S. Cong. Ep. 10 Nov. 1623*).

In Ecclesia iurispatronatus laicorum non potest Episcopus concedere ius retinendi sedilia invito patrono (Rota, *citata a* Ferraris *ib. n. 71*).

Iuxta praescriptum S. Caroli (*Act. Eccl. Mediol. Pars. IV, Instructiones variae*): " Nullus Rector Ecclesiae in eo patiatur novas sellas aut scamna collocari, nisi ex Episcoporum licentia.... Eae porro sellae, seu scamna ab his quorum fuerint iuxta datam mensuram reformentur; alias amoveantur et Ecclesiae donentur significato Episcopis si quid occurrerit impedimento ". Maxime enim decet ut omnia sedilia et genuflexoria Ecclesiae iuxta unicam et eamdem formam sint constructa.

Videat ergo Visitator utrum sedilia et scamna Ecclesiae decora sint et munda ut decet domum Dei; si aliquae sedes nimis propinquae sint altaribus vel impediant functiones Ecclesiae, iuxta supra allatas sanctiones quid sit faciendum decernat.

Si huiusmodi sedes seu scamna laicorum, non ad fabricam Ecclesiae pertineant, sed ad familias ipsas, numerus earum, ac locus in regesto inscribi iubeat Visitator, ad lites eventuales melius dirimendas.

121. Vasa aquae benedictae. Labrum sive vas aquae benedictae habeatur apud unamquamque Ecclesiae portam; lapideum aut aeneum, affabre elaboratum. De eo haec tradit S. Carolus (*Instr. Fab. Eccl.*): " e

marmore sit lapideve solido non spongioso ac sine rimis, columellaeque scapo decenter elaborato suffulciatur. Collocetur non foris, sed intus in Ecclesia, ita ut e conspectu ingredientium sit a latere dextro ubi potest. Alterumque collocetur qua ingrediuntur viri, alterum qua mulieres „.

Aqua benedicta saltem octavo quoque die renovanda est uti decernit Caeremoniale Episcoporum *(lib. 1, c. 6, n. 2)*. In triduo mortis Domini removeri debet ab Ecclesia iuxta locorum consuetudinem (*S. R. C. 12 Nov. 1831. N. 4669*).

Omnibus Dominicis diebus, iuxta praescriptum Missalis, aspergendus est populus aqua benedicta, a celebrante, in omnibus collegialibus Ecclesiis, ante Missam conventualem et laudabiliter fit in Ecclesiis parochialibus. Id Synodales constitutiones passim disponunt, et nonnulla S. R. C. Decreta.

122. Capsulae pro eleemosynis. Circa has capsulas quae in Ecclesiis inveniuntur pro corrogandis eleemosynis fidelium, non una nec eadem est lex ubique, sed variae sunt consuetudines et constitutiones locorum, quas Visitator probe noscere debet.

Generatim tamen, haec, a S. Carolo ordinata fere ubique vigent:

Scilicet: " Ne in Ecclesia aut pro foribus eius, neve in oratoriis alioque sacro loco, colligendae eleemosynae causa ne ipsius quidem Ecclesiae aut fabricae Rectorisve nomine, capsula, vasculum, mensa aliudve apponatur, aut iam collocatum in posterum permittatur, nisi Episcopi concessu litteris exarato: tuncque ei capsulae vel rei aliae ad id paratae duae claves apponantur, diverso fabrili opere fabricatae, quarum altera teneatur ab eo quem Episcopus nominarit, altera ab iis quorum nomine eleemosyna colligetur. Si

contra fiet poena sit arbitratu Episcopi; tum eleemosyna collecta locis piis addicatur, illius arbitrio.

„ Si quae capsae Episcopi concessu in Ecclesia constituentur aut collocabuntur, in quas a fidelibus ut plerisque in locis, pietatis studio, fit vel frumentum vel legumina vel alia quaevis eleemosynae nomine coniiciantur, eae ne intra cappellae, altarisve, quo fidelium eiusmodi res offerentium concursus fit, cancellos aut clathra ferrea ita ponantur, ut ipsis fidelibus eleemosynas collaturis necesse sit cancellos ingredi *(Syn. Prov. IV)*.

„ Capsulae autem eleemosynariae confectae sint ad praescriptum formulae nostrae ac praeterea a deputato nostro obsignatae signo S. Ambrosii *(Syn. dioeces. S. Caroli, XI)* „.

Fere omnes dioecesanae Synodi prohibent ne pro animabus purgantibus, aliqua apponatur capsula eleemosynaria, nisi in Ecclesiis parochialibus. Tam huiusmodi capsulae, in templis constitutae, quam crumenae seu bursae pro colligendis fidelium oblationibus, sera et clavi tute clausae sint oportet, et si una tantum clavi instructae sunt, haec unica clavis, in alia capsa trium clavium custodiatur, ita ut aperiri nequeant capsulae eleemosynariae, nisi presentibus Parocho, vel eius deputato, et aliis duabus personis iuxta locorum leges vel usus designandis.

Quotiescumque aperiuntur capsulae, vel crumenae, semper tres (alicubi duo) praesentes sint, qui simul pecuniam extractam numerant et conferunt; et sic numeratam ac collatam, thesaurario Ecclesiae tradatur, si agitur de oblationibus pro fabrica, Parocho vero si agitur de oblationibus pro animabus purgantibus, vel pro alio opere ab Episcopo imperatis.

Prius tamen in regesto perspicue oblationes describantur, et a praesentibus deputatis ad eas extrahendas et numerandas proprio nomine obsignentur, ut facilius suo tempore a Visitatore comprobari possint.

Scimus communem esse apud Canonistas (Ferraris *voce* oblationes *n. 13*) sententiam, omnes oblationes intra Ecclesiam parochialem, seu extra ipsam in quocumque loco sito intra limites parochiae, spectare ad Parochum loci. Hoc tamen intelligendum est nisi aliud loci legitima consuetudo habeat, aut aliter constet de offerentium intentione, uti decrevit Rota (*citata* a Ferraris *ib. n. 25*). Ceterum Parochi sciant Synodum Tridentinam (*Sess. 22, c. 8*) non reprobare homines laicos in partem administrationis Fabricae Ecclesiarum vocari.

Et licet id non fuerit introductum quod laicis aliquod competat ius in bonorum Ecclesiae administrationem, sed quia, cum laicis fidelibus onus incumbat ex propriis oblationibus supplendi, si quid desit ad Ecclesiae conservationem et mysteriorum Dei celebrationem, valde decet ut ipsi suis oculis videant quid habeat Ecclesia, et quas expensas facere possit.

Praeterea cum Parochus oblationes extrahit a capsulis, praesentibus duobus testibus, isti vades sunt rectae earum administrationis, et maiori ratione populum suum ad oblationes faciendas pro Ecclesia invitare potest.

(Continuabitur)

P. Vicarius Foraneus S. Florentii.

DISSERTATIO

SUPER QUODAM CASU OCCURRENTIAE

In Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum Festum B. Mariae V. de Bono Consilio, primum quibusdam Provinciis eiusdem Ordinis a S. Sede concessum, dein ad totum memoratum Ordinem extensum fuit per duo Decreta Apostolica, sub die scilicet 27 Augusti 1893 et 4 Decembris 1894, quibus Ss. D. N. Leo Pp. XIII successive approbavit Calendarium perpetuum et novum Breviarium istius Ordinis. Ex hoc accidit in illo Ordine hoc anno (1896) sequens casus occurrentiae: memoratum Festum B. M. V., diei 26 Aprilis affixum, occurrit hocce anno in Dominica III post Pascha, cui assignatum est pro Ecclesia universali Festum Patrocinii S. Ioseph Sponsi B. M. V. Haec duo Festa sunt ambo *secundaria* et *ritus duplicis 2. classis;* in hoc solummodo differunt quod in Ordine memorato Festum Patrocinii S. Ioseph *cum Octava* celebretur. Quaeritur itaque, quodnam ex istis duobus Festis praelationem habere debeat?

Quum casus similis in aliis Ordinibus seu Ecclesiis accidere queat, et regulae in occurrentia servandae, praesertim hodiedum a liturgicis diversimode ponantur, opus utile mihi visum fuit fructum investigationum mearum lectoribus *Ephemeridum Liturgicarum* proponere.

Non est dubium quin duae primae regulae praelationis, in *occurrentia* pro Officiis non privilegiatis servandae, nimirum alia quae respicit *ritum superiorem* et alia quae ad qualitatem *Festi primarii* seu *secundarii* respectum habet, ad casum praesentem applicari nequeant, quum utraque Festa sint *secundaria* et *eiusdem ritus*.

Tertia vero regula, quam auctores iuxta Rubricas et Decreta S. R. C. communiter afferunt, considerat *dignitatem excellentiorem personae*, in cuius honorem Festum celebratur. Nihilominus, antequam haec regula applicari possit, primo videndum esse dicunt quidam Rubricistae (uti inter alios Cl. De Herdt), utrum inter Festa celebranda unum non sit *facultativum* et *praeceptivum* alterum. Hi auctores nituntur sequentibus verbis Gardellini (*edit. III in nota ad dub. 1 Decreti n. 4579*).

« Re maturius discussa (inquit Gardell.)... S. C... » Rubricarum praescripto et spiritui magis con- » gruere cognovit, ut tam in occurrentia quam » in concurrentia cum festis aequalis ritus... *fa-* » *cultativa praeceptivis* cedere deberent ».

Ex quo Cl. De Herdt (*Sacrae Liturgiae Praxis, edit. IX, tom. II, n. 268, 5ª Regula*) sequentem regulam deducit: « In aequalitate ritus Officia » *facultativa, licet particularia et digniora,* officiis » *praeceptivis* cedere debent, saltem in sequenti- » bus ». Idem auctor (*not. in fine 5ª Regul.*) rationem exhibet ob quam ipse addit *saltem in sequentibus:* « Quia etsi conveniat, ut festa facul- » tativa praeceptivis cedant, haec tamen regula » nondum videtur generaliter applicanda, tum » quia S. R. C. hic necdum generalem regulam » dedit, tum quia sic fere corrueret regula ter-

» tia (1), cum festa particularia ut plurimum sint » facultativa ».

Si itaque verba Gardellini supra relata, in sensu a Cl. De Herdt intellecta, ad casum nostrum applicanda essent, solutio eiusdem nullam difficultatem praeseferret; nam quum Festum Patrocinii S. Ioseph sit *de praecepto* pro Ecclesia universali, hoc praeferentia pollere oportet prae illo B. M. V. de Bono Consilio quod ad totum Ordinem Capuccinorum dumtaxat extensum est *vi indulti specialis.*

Mea autem sententia quaestio sic poni videtur: quomodo intelligenda sit memorata regula, in nota Gardellini (*ut supra*) relata? Seu aliis verbis: An Gardellini per festa *praeceptiva* et *facultativa* (seu ex indulto) unam eamdemque rem intelligat ac Cl. De Herdt?

In quantum hanc quaestionem intelligere arbitror, Cl. De Herdt (loc. cit.) sensum verborum Gardellini, quae supra referimus, non recte percepisse mihi videtur; ex quo laudatus auctor novam Regulam confecit, veteribus Rubricistis incognitam et nulla solida ratione fundatam. Hoc probare conabor, respondendo in hoc articulo ad quaestiones sequentes:

1° Quid iuxta Decreta S. R. C. et veteres Rubricistas intelligatur per Festum *praeceptivum* et *facultativum* (seu *ex indulto*)?

2° Quaenam sit doctrina Gardellini in nota supra relata?

---

(1) In hac regula agitur de praelatione danda festis particularibus prae illis quae sunt universalia.

3° In quo differat Cl. De Herdt a doctrina Gardellini?

4° Utrum Festum B. M. V. de Bono Consilio sit Festum *facultativum*, an *praeceptivum?*

I. Ante omnia scire necesse est, quibusnam formulis S. Sedes concedendo aliquod Officium habitualiter utatur. Cavalieri (*Opera omnia Liturgica tom. II, c. 23, n. 1*) de hac quaestione *ex professo* agens, ait tria genera esse formularum, quas S. Sedes adhibet, quando aliquod Officium concedat (*et hic addi licet:* vel quando Officium antea concessum ad altiorem ritum elevet):

« Multiplici licet formula reperiantur expressa » Officiorum indulta, reapse tamen dumtaxat triplex est, ad quam reliquae vel spectant, vel facile reducuntur: *a*) Sunt, quae *praeceptivis* terminis constant, puta *recitari debere censuit, fieri debeant, recitare teneantur, celebrari mandavit, agant* etc., et cum verba, quibus sunt expressa, praeceptum ac mandatum importent in concedente, obligationem et debitum in iis, quibus Officia committuntur, dubium non est, quod designant Officia *de praecepto,* ad quorum recitationem in proprio die, vel hoc impedito, in primo non impedito Clerus manet adstrictus (1). » -- *b*) Alia sunt, quae terminis *facultativis* sunt concepta, et insuper adnexam habent notulam *ad libitum,* videlicet *indulsit fieri ad libitum*

(1) Post Breve Ss. D. N. Leonis Pp. XIII. « *Nullo umquam* » diei 28 Iulii 1882, haec verba laudati auctoris et illa quae infra sequuntur, quoad translationem *accidentalem* istorum Officiorum, paululum modificanda sunt.

» *Cleri, celebrari posse ad libitum concessit* etc.,
» et cum huiusmodi expressio indulgentiam deno-
» tet in concedente, et libitum seu placitum in
» Clero, habeaturque in ea diserte notula *ad libi-*
» *tum*, quis umquam ambigeret, sic concessa Offi-
» cia ad classem festorum *ad libitum* non esse
» revocanda? — *c*) Sunt denique quae per verba
» quidem dumtaxat *facultativa* exarata inveniun-
» tur, sed sine additione notulae *ad libitum*, cuius-
» modi sunt v. gr. *fieri posse concessit, recitari*
» *posse censuit*, et de his dubitatio procedit, ad
» quam classem festorum attineant, *ad libitumne*,
» an *de praecepto*, an vero tertiam quamdam con-
» stituant speciem, quae mediet inter festa *de*
» *praecepto*, et *ad libitum* ».

Et laudatus auctor (*loc. cit. decr. 3 n. 6 et 7*) inquit eiusmodi Officia tertiam quamdam constituere speciem, quae Officia *de non praecepto* seu *ex privilegio* inscribit:

« Quae Officia *ex privilegio* quid medium sunt
» inter Officia *ad libitum*, et Officia *de praecepto*,
» et cum medium participet de extremis, ita et
» praefata Officia participant et de Officiis ad
» libitum et de Officiis de praecepto, et quid in
» se habent, per quod ab utrisque discrimen de-
» promunt. Participant de Officiis *ad libitum*, qua-
» tenus eorumdem celebratio a Cleri pendet arbi-
» trio, cum nemo uti suo privilegio cogatur, sed
» privilegiis utamur, si, et quando volumus (1);
» ab iisdem vero discrimen habent, quatenus in

---

(1) Quatenus eiusmodi Officia *ad libitum* considerari queant, infra videbimus.

» *occurrentia* cum festis *de praecepto* celebrari vel » *transferri* possunt, ubi illa necesse est omitti (1)».

Iuxta Cavalieri itaque Officia concessa sunt, vel 1. *praeceptiva*, vel 2. *facultativa ad libitum*, vel 3. Officia *ex privilegio*, seu *de non praecepto*.

Sed, quaenam Officia tamquam Officia *ex privilegio* (seu *ex indulto*) consideranda sunt tum quoad eorum recitationem, tum quoad eorum ritum?

Officia concessa sub clausula *recitari posse, fieri posse*, vel sub alia simili notula sine additione *ad libitum* olim considerata fuerunt tamquam Officia *facultativa ad libitum*, uti constat ex decreto sequenti S. R. C. sub die 20 Novembris 1683 (*Gardell. edit. III n. 3040*).

« 2. Utrum, quando ex indultis SSmi Domini » Nostri Papae, et Decretis S. R. C. super con- » cessione Officiorum Sanctorum leguntur ea verba: » *recitari posse: fieri posse:* sint intelligenda tam- » quam de Officiis *ad libitum* concessis, vel sit » facultativum recitantibus horas canonicas ea ce- » lebrare vel non; ita ut quod non sint de sfera » *ad libitum*, nec eis competat Decretum pro San- » ctis ad libitum emanatum die 24 Ianuarii 1682? » — S. R. C. respondit: «Verbum *posse* significare » Officia *ad libitum*, et eis competere praefatum » Decretum ».

Ab anno autem 1730 eiusmodi Officia, *semel acceptata vel usu recepta*, tamquam Officia *de prae-*

---

(1) Vide quoque Ephemerides *Mélanges Théologiques*, 4.° Série pag. 414.

cepto censenda sunt (1): S. R. C. ita pluries declaravit:

« 6. Similiter supplicat declarari: an sub no-
» mine Sanctorum *ad libitum* comprehendantur
» Officia duplicia et semiduplicia Sanctorum re-
» citari concessa aliquibus Regnis, Provinciis, Ci-
» vitatibus, et alicui particulari Ordini, absque
» expressa notula (*ad libitum*), sed tantum cum
» sequenti clausula, nimirum *recitari possint, et*
» *valeant*, vel *recitari posse censuit.* Asseritur enim
» emanatam fuisse quandam declarationem ab hac
» S. R. C. tenoris sequentis, videlicet ex Voto
» S. R. C., ut constat ex responso Illm̃i et Rm̃i
» Archiepiscopi Apameni eiusdem S. C. Secreta-
» rii: sub nomine Sanctorum *ad libitum* non com-
» prehenduntur Officia duplicia Sanctorum aliqui-
» bus Regnis et Provinciis recitari concessa, ideo-
» que occurrentia in Dominicis non debent omitti,
» uti etiam si cadant in diebus impeditis, iuxta
» Rubricas transferantur? » — S. R. C. sub die 16 Septembris 1730 (*Gardell. n. 3991*) respondit: « *Negative* ».

« Em̃i Dñi: Fr. Michael Angelus a Gallipoli
» Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Fran-
» cisci Reformatorum, orator humillimus EE. VV.
» suppliciter exponit, quatenus recenter a S. R. C.
» concessa sunt quaedam Sanctorum Officia, alia
» *Urbis et Orbis* (2), alia aliquibus Regnis, Ditio-

(1) Iuxta Merati (*Sect. III, c. X, n. 11*) et Cavalieri (*tom. I c. 8, Decr. 2, n. 14, et tom. II, c. 23, Decr. 3, n. 2 et 14*) quidam auctores istam opinionem iam ante 1730 sustinuerunt.

(2) Haec verba in characteribus *italicis* ponuntur, quia habentur auctores, inter alios Caval. (*tom. II, c. 23, Decr. 3, n. 8 et sqq.*)

» nibus, Statibusque peculiaribus recitanda tum » a saecularibus, tum a regularibus, qui ad horas » canonicas tenentur, quae concessiones exprimun- » tur his verbis: *recitari posse, fieri posse:* et cum » ex Rubricis nostri novi Breviari Franciscani » approbatis a S. M. Innocentio Pp. XII per Bul- » lam quae incipit: *Exponi nobis* etc.. statuatur, » ut quotiescumque fit haec expressio: *recitari* » *posse, fieri posse;* nihil aliud intelligantur nisi » Officia *ad libitum;* hinc humiliter petit ab EE. » VV., ut dignentur declarare: an praedicta Of- » ficia cum tali expressione expressa, si occurrant » in die impedita ab aliis Officiis *de praecepto* » Breviarii praedicti, non obstantibus Decretis » S. R. C. de non transferendis Officiis Sanctorum » *ad libitum,* a nobis possint transferri ad aliam » diem, vel debeant omitti? — S. R. C. ad preces » P. Fr. Michaelis Angeli a Gallipoli, Procurato- » ris Generalis Ordinis Minorum Observantium » Reformatorum S. Francisci, audito prius voto » Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, decla- » ravit: Praedicta Officia *acceptata,* si occurrant » in diebus impeditis, non reputari debere tam- » quam mera Officia *ad libitum,* sed *de praecepto,* » adeoque esse omnino transferenda ». Die 6 Septembris 1738 (*V. Gardellini n. 4078*) (1).

---

et Tetamo (*Diar. Liturg. etc., notand. in 19 Ianuarii n. 2*), qui affirmant Officia *Ecclesiae universali concessa sub clausula facultativa,* per eorum acceptationem *praeceptiva* non evadere, sed tamquam Officia *ad libitum* censenda et habenda esse. Vide pariter *Ephemerides, Mélanges Théologiques, 4e Série p. 418.*

(1) Hic impraesentiarum addendum est: si nempe haec Officia sint ex iis, quae, iuxta Breve Leonis XIII d. 28 Iulii 1882, iure

En quoque responsum S. R. C. ad dubium sequens, a Fratribus Minoribus de Observantia in Hispania propositum:

« Paucis abhinc annis in Missali, ac Brevia» rio Hispano videtur Festum duplex S. Prudentii » Episcopi, quod a pluribus non celebratur, forte » quia eius Decretum non est in dictis libris exa» ratum: at certo autem circumfertur saltem ca» lamo exaratum Decretum diei 3 Decembris ad » instantias Regis Catholici datum, concedens » praedictum Festum, de quo quaeritur: An ce» lebrari debeat, seu potius, an liceat, quin ob» stet, quod sit de privilegio praedicto Regi con» cesso, cum sit vere privilegium cum aliorum » Festorum detrimento, et alias plurimum, post» quam decem annos in usum non adductum? » S. R. C, respondit: « Si concessio *praeceptiva* est, » vel *quatenus permissiva, usu tamen recepta, Af-* » *firmative,* et in casu occurrentiae, servandas esse » Rubricas, et Sacrae huius Congregationis De» creta ». Die 2 Martii 1801 (*Gardell. n. 4474 ad 5*).

Ab anno ergo 1730 Officia *ex privilegio,* Ecclesiis seu Ordinibus particularibus concessa, non amplius Officia *ad libitum* censeri possunt, nisi hoc sensu quod Episcopi et Superiores Ordinum liberi sint in iis acceptandis vel non acceptandis; sed *semel acceptata, sive explicite, sive implicite*

---

translationis gaudeant. Insuper hic quoque excipienda sunt Officia, locis et Ecclesiis particularibus ad eorumdem instantiam concessa in terminis *facultativis* et cuidam Dominicae seu Feriae assignata (*Cfr. Caval. tom. II, c. 25 in decr. 10, et Tetamo, notand. in 19 Ian. n. 2. Vide etiam infra*).

(v. gr. ea inserendo in Calendario seu Directorio), eiusmodi Officia ipso facto *de praecepto* evadant in Dioecesi seu Ordine, ita ut eorum subditi respectivi iis renuntiare vel ea omittere non amplius valeant, excepto forte casu, quo S. Sedes in indulto concessionis aliter statuisset (*Cfr. pariter decreta S. R. C. 14 Iun. 1845 n. 5023, et 23 Maii 1846 n. 5051*) (1).

Et quod de recitatione Officiorum *ex privilegio* dictum est, aequo iure applicari potest ad elevationem ritus eorumdem Officiorum, quippe cum rationes eaedem eo in casu militent.

Ex enuntiato principio sequentia deduci possunt:

1.° Quoad **occurrentiam**: quoad Officia *ex privilegio, licet facultativa* sint in eorum concessione seu ante acceptationem, sed *praeceptiva* facta quoad eorum recitationem eo ipso quando Episcopi seu Superiores Ordinum ea acceptent seu recitari faciant, regulae communes occurrentiae observandae sunt. Hoc manifeste sequitur ex Decretis S. R. C. 20 Martii 1683 ad 2, 4 et 5 n. 3019. — *V. Merati in Ind. Decretor. nn. 137, 138 et 139*

---

(1) Vide quoque Tetamo (*notand. 19 Ian. n. 2*); A. a Carpo (*Kalend. Perp. c. 4, n. 12, et Comp. Bibliolh. Liturg. P. II, n. 159*); De Herdt (*tom. II, n. 285*); *Mélanges Théologiques* (*4ᵉ Série pag. 416*). — Hae *Ephemerides* eodem tempore reiiciunt opinionem Caval. (*tom. II c. 23 decr. 3, n. 6*), opinantis Episcopum vel Superiorem Regularem, postquam eiusmodi Officium acceptaverit, in posterum isti iterum renuntiare posse, et suum Clerum respectivum in eiusdem Officio recitando dispensare. Insuper haec opinio Caval. post Decreta S. R. C. d. 10 Novembris 1883 n. 5895 et d. 24 Novembris 1883 n. 5896 ad 1 vix sustineri potest.

ac in 2 app. Decret. Brev. n. 522. — 12 Iulii 1704 *Urbis et Orbis* ad 3 n. 3700; 22 Augusti 1711 n. 3841; 23 Iulii 1736 ad 1 n. 4044 [bis]; 12 Iunii 1736 ad 1 n. 4049; 16 Februarii 1736 ad 1 n. 4056; 22 Aprilis 1741 ad 6 n. 4110; 29 Ianuarii 1746 n. 4180; 31 Maii 1817 ad 2 n. 4538, et 16 Aprilis 1853 ad dub. 2, q. 4 n. 5103. — Cfr. pariter Caval., *tom. I c. 8 decr. 2 n. 14, tom. II c. 25 decr. 7 et 10, in app. ad cap. 25 decr. 1 et cap. 26 per totum;* Tetamo, *notand. mense Novembr. in genere, P. I. n. 8;* A. a Carpo, *Kalend. Perp. c. IV n. 2 et 14;* Falise, *Cours abrégé de Liturgie, sect. I c. 2 n. 6 et sect. II c. 3 § 3 n. 1;* Mélanges Théologiques, *I[re] Série pag. 130 et 5[e] Série pag. 500,* etc.

Iuxta haec Decreta et auctores citatos Festa particularia, quibusdam Ecclesiis, locis, seu Ordinibus *vere propria*, in occurrentia praelationem etiam habere debent supra illis Officiis quae sunt Ecclesiae universali concessa, quando nempe haec Festa inter se aequalia sint quoad ritum, qualitatem (sive Festi primarii sive secundarii), dignitatem subiectivam (seu personae) et solemnitatem extrinsecam (1).

Nihilominus, quod attinet ad praefata Officia, quaedam exceptio facienda est, nimirum quando duo Festa *eiusdem Sancti* (aequalia quoad ritum, qualitatem, dignitatem subiectivam et solemnita-

---

(1) Advertendum est quod sub solemnitate *extrinseca feriationem*, quacum aliquod Festum celebratur, pariter comprehendam. Quod vero solemnitas *extrinseca* in *occursu* sit verus titulus praeferentiae, de eo omnes Rubricistae conveniunt; solummodo Cl. De Herdt (*edit. IX, tom. II n. 268, 7[a] Reg.*) de hoc dubitare videtur; sed de hoc puncto in altero articulo fusius loquar.

tem extrinsecam), quorum unum diei mensis affixum est, et alterum alicui Dominicae seu Feriae assignatum, tunc Festum diei mensis affixum alteri mobili praeferendum est (S. R. C. 22 Iulii 1848 n. 5135 ad 1; V. Caval. *tom. II c. 18 decr. 8;* Falise, *sect. I c. 2 n. 6 G.;* Academ. Liturg. Rom., *solut. cas. I an. 1893-94 ap. Ephemer. Liturg. vol. IX pag. 30*; De Herdt, *tom. II n. 268, 7ª Reg. 4° et n. 287 3°*).

Cl. De Herdt (*loc. cit.*) hanc exceptionem magis universalem reddit, eamque quoque applicat ad casum, quo haec duo Festa unum mobile et alterum immobile, *ad eumdem Sanctum non pertinent.* In altero articulo quaedam animadversiones super illa opinione exhibebo (1).

Alia exceptio hîc addi potest quoad *diem octavam* (non privilegiatam) occurrentem in Festo *eiusdem Sancti*, v. gr. B. M. V. seu alterius Sancti (2); eo in casu Officium recitandum est de Festo (etsi ritus duplicis maioris tantum), et nihil de Octava. (Ita Caval., *tom. II c. 18, decr. 8 et 12, ac c. 32, decr. 1;* Tetamo, ***notand.*** *in 8 Sept. art. 2, n. 18, et in 15 Sept. art. 1, n. 3;* A. a Carpo, *Kalend. Perp. c. IV n. 2, Iª* ***cum nota***). De Herdt (*tom. II, n. 267, R. 3°*) hanc exceptionem pro quibusdam Festis B. M. V. solummodo admittit.

---

(1) Opinio Cl. De Herdt tenenda omnino est, quippe quae confirmatur Decr. 21 Februar. huius anni 1896 *in Viglevanen.* ad 1 (*V. has Ephem., fascic. 3 huius an. pag. 134, 135*).

(*Redactio*).

(2) Plura Festa D. N. Iesu Christi praefatam regulam non sequuntur, vide Tetamo (*notand. in Dom. II post Epiphaniam c. 4, n. 2*).

2.° Quoad **translationem**: quod attinet ad Officia *particularia* regulae sequentes statui possunt:

a) Officia quibusdam Ecclesiis, locis seu Ordinibus concessa cum clausula *praeceptiva*, sine indulto speciali transferri possunt et debent, etiamsi alicui Dominicae seu Feriae affixa sint (*subintellige, si eorum ritus istam translationem permittat*).

b) Officia ad instantiam Regum seu Principum concessa, etiam in terminis *facultativis*, iure translationis quoque gaudent, si propriis eorum diebus impedita sint et iuxta Rubricas reformatas transferri queant (Ita Caval., *tom. II, c. 25, Decr. 10, n. 4,* et Tetamo, *notand. in mense Novemb. in gen. P. 1 n. 8*).

c) Officia ad instantiam Ecclesiarum, Dioecesum seu Ordinum particularium concessa, quamvis sint *facultativa* in eorum concessione, sed *praeceptiva* facta post eorum acceptationem (explicitam seu implicitam), privilegio translationis pariter fruuntur sine indulto speciali, *quando nempe diei mensis determinato affixa sint;* sed iure translationis carent, *quando eiusmodi Officia alicui Dominicae seu Feriae assignata sint*, nisi S. Sedes aliter indulserit (1). (N. 1^us^ et 3^us^ manifeste probantur sequentibus Decretis S. R. C.: 5 Maii 1736 *Alia dubia* ad 10, n. 4044: 11 Ian. 1749 ad 3, n. 4198;

---

(1) Quoad Officia Ecclesiae universali concessa, de istis hîc non loquor, quum ex eorum natura sint *praeceptiva* (Caval. *tom. II, c. 25, decr. 10 n. 2* et A. a Carpo *Kalend. Perp. c. IV, n. 14*). Insuper nullum dubium esse potest, quod eiusmodi Officia, si impedita sint et eorum ritus id permittat, transferri possunt et debent, etiamsi alicui Dominicae seu Feriae sint assignata.

12 Nov. 1831 ad 39, n. 4669; 29 Maii 1835 ad 2, n. 4745; 27 Aug. 1836 ad 11, n. 4782; 3 Aug. 1839 ad 1, 2 et 3, n. 4859; 13 Sept. 1840 ad dub. 3 n. 4910; 5 Sept. 1881 ad 1 n. 5826, etc. — Vide pariter Merati, *Sect. III, c. 10, n. 11, Sect. VI, c. 8, n. 1 et n. 139 in Ind. Decret.;* Tetamo, app. *c. 1 n. 20 in fine, notand. in 19 Ian. n. 2 et notand. in mense Novemb. in gen. P. I, n. 8;* A. a Carpo, *Kalend. Perp. c. IV, n. 14;* De Herdt, *tom. II, n. 287,* etc.)

Antequam huius primae quaestionis finem imponam, adhuc animadvertendum est inter festa *de praecepto* (seu *praeceptiva*) duo genera distinguenda esse; alia sunt tantummodo *de praecepto pro Clero,* ad horas canonicas adstricto, eaque ab auctoribus nuncupantur Festa *de praecepto quoad Chorum;* alia vero Officia sunt *de praecepto etiam pro populo,* et vocantur Festa *de praecepto quoad forum,* quibus annexa est obligatio audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus.

In Decretis S. R. C. haec ultima Festa quandoque simpliciter indicantur per verba: *Festa de praecepto.* Haec denominatio fuit sequentis dubii causa:

« 5.° Cum S. R. C. decreverit Festo duplici » minori et maiori, sed non *de praecepto* posse » cantari Missam de Requie, cum accipitur nun» tium de obitu alicuius in loco dissito etc., sub » die 4 Martii 1686, et anniversaria, quae, ex » dispositione testatorum, cum cantu quotannis » sunt celebranda, possint cantari etiamsi eorum » dies inciderit in Festum duplex maius, non ta» men *de praecepto,* sub die 20 Iulii 1669, annuente » SSmo Clemente IX; quaeritur: quomodo intelli» gendum duplex maius *de praecepto:* an quod sit

» celebre ad populum, seu festivum, seu alio modo? » Et S. eadem C., audito prius Voto unius ex Apo- » stolicarum Caeremoniarum Magistris... rescriben- » dum censuit: ad 5. Festum duplex maius *de* » *praecepto* est illud, in quo occurrit Officium re- » citandum sub ritu duplici maiori, *cuique a legi-* » *timo Superiore adnexum est praeceptum audiendi* » *Sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus* ». Die 11 Martii 1754 ad 5 (*n. 4244*) (1).

Haec Festa *de praecepto quoad forum*, quae in qualibet Dioecesi, etiam a Regularibus exemptis servanda sunt (*Conc. Trident. Sess. 25, c. 12*), in Constit. *Universa* Urbani VIII d. 13 Septembris 1642 (*V. Gardell. n. 1411*) continentur. Huic tamen catalogo addendum est Festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. (V. Benedict. XIV, *de Festis lib. II, c. 15, n. 22*).

Notandum est quod praefata Festa *de praecepto*, quamvis ea *quoad forum* in pluribus Dioecesibus numero redacta fuerunt, ita ut populus in pluribus ex iis non amplius obligatus sit ad audiendum Sacrum et ad abstinendum ab operibus servilibus, nihilominus, ista Festa, inquam, omnibus privilegiis *feriationis quoad Chorum*, seu *quoad ordinem, ritum et ecclesiasticas functiones* perfrui continuant (Vide inter alia Encycl. « *Amantissimi Redemptoris* » Pii IX sub die 3 Maii 1858 apud *Revue Théologique*, 3.ᵉ Série pag. 351).

---

(1) « In Indulto (*concesso Ecclesiae B. M. V. in Apricolle in Belgio*), inquit De Herdt (*tom. I, n. 32*), excipiuntur Festa *de praecepto* servanda, qualia sunt omnes Dominicae et omnia Festa, in quibus Parochus Missam *pro populo* applicare debet ». — Vide etiam *Mélanges Théologiques*, 5.ᵉ Série pag. 501.

Porro iuxta S. R. C. Decreta et Rubricistas, Festa *de praecepto quoad forum* in *occurrentia* praeferenda sunt Festis particularibus (quae alicui Ecclesiae, Dioecesi seu Ordini vere sunt *propria*), nisi haec sint superiora in ritu, seu *maioris dignitatis* (S. R. C. 5 Maii 1736, tit. X ad 5, n. 4040; 26 Martii 1859 n. 5284 et 28 Aprilis 1866 ad 4, n. 5365. — Vide etiam Caval. *tom. II, c. 13, decr. 4;* Tetamo, *app. c. VII, n. 16 et 44;* A. a Carpo, *Kalend. Perp. c. IV, n. 2, IV^a^;* Falise *P. II, Sect. I, c. 2, § 1, n. 6 E; Mélanges Théologiques, 1.^e^ Série pag. 130 et 5.^e^ Série pag. 501;* De Herdt, *tom. II, n. 268, 6^a^ Reg.* etc).

Nota. Per haec verba *maioris dignitatis* intelligenda est iuxta Caval. (*loc. cit. et decr. 5*) et Tetamo (*loc. cit.*) non solum dignitas subiectiva seu personalis Festorum, quae reperitur in Festis a Rubr. de Concurr. tit. IX, n. 2 recensitis, sed etiam ea quae petitur a *solemnitate extrinseca,* quae nempe est titulus praeferentiae etiam in *concurrentia.*

II. Quaenam sit doctrina Gardellini circa Festa *praeceptiva* et *facultativa* (aut *ex indulto*)?

Laudatus auctor de hac quaestione non aliter loquitur, ut mihi videtur, quam quod Rubricae et S. R. C. Decreta ea de re statuunt.

Revera 1.° Ipse dicit (*not. 1 ad dub. 1 n. 4579*) quod Festa *solemniora* Ecclesiae universalis, v. gr. Festa Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., Festa S. Ioseph (1), Ss. Apostolorum

(1) Hoc loco quoque addidimus Festa Immaculatae Conceptionis B. M. V. et S. Ioseph Sponsi B. M. V., quum impraesentiarum haec etiam inter Festa *solemniora* recensentur.

Petri et Pauli et Nativitatis S. Ioannis Baptistae, nulli Festo cedant, quando sunt in occurrentia cum aliquo Festo locali, seu particulari eiusdem ritus, licet maioris dignitatis subiectivae. Item tria festa solemniora, quae sunt *localia,* nimirum Patroni principalis loci, Dedicationis et Titularis *propriae* Ecclesiae, pariter nulli Festo cedunt, nisi memoratis Festis solemnioribus Ecclesiae universalis (*V. Rubr. gen. Brev. tit. IV, VII et IX, Tabell. Occurr. notand. et S. R. C. 11 Maii 1743, n. 4143 ad 5, et 29 Mart. 1851, n. 5155 ad 1*).

2.° Idem auctor docet memorata Festa *solemniora Ecclesiae universalis* praeferenda esse Festis particularibus eiusdem ritus, non solum quia sunt Festa per Rubricas privilegiata, sed etiam quum sint Festa *primaria* et *de praecepto pro Ecclesia universali*, dum alterum Festum occurrens, de quo est quaestio in dubio, nimirum Festum Ss. Cordis Iesu, tantummodo sit Festum *secundarium,* et *particulare,* vel eiusdem ritus *vi indulti specialis* (tempore scilicet quo Gardellini hanc notam scripsit). Manifestum ergo est quod Gardellini hoc in loco per Festa *praeceptiva* intelligat ea quae sunt *de praecepto quoad forum,* seu illa quae in Constit. « *Universa* » Urbani VIII continentur (addito Festo Immaculatae Conceptionis B. M. V), et per Festa *facultativa* (aut *ex indulto*) Festa *particularia*. Hoc magis confirmatur per id quod invenitur in Voto R̃mi D̃ni Fornici, ex Officio S. Rit. Congregationi oblato occasione huius Decreti (1).

(1) Vide hoc Votum in extenso in illo, quod R̃mus D. A. Caprara S. Fidei Promotor ex Officio S. R. C. exhibuit super quaestione *de Festis primariis et secundariis, n. VI.*

In hoc voto Consultor sequentia dicit:

« Haec duo Festa Nativitatis nempe S. Ioannis » Baptistae et Sanctorum Apostolorum Petri et » Pauli; haec duo Festa a primis Ecclesiae sae- » culis tanta devotione celebrata; haec duo Festa » inter solemniora per totum Christianum orbem » enumerata; haec duo Festa, quae in diebus quo- » que privilegiatis, in quibus transferri debent » Festa occurrentia, a Rubrica non excluduntur, » haec duo Festa, quae a memorato huius Con- » gregationis Decreto (1) excludunt omnia alia » Festa in illis occurrentia, excepta solemnitate » Corporis Christi, transferendane erunt, occur- » rente eadem die Festo SSmi Cordis Iesu, ubi » gaudet Ritu primae classis, et Octava? Festum » recentissime institutum (2), ad universalem Ec- » clesiam non extensum, in aliquibus *praeceptive,* » *facultative tantum et ex indulto in aliis celebra-* » *tum, ex speciali gratia ad Ritum elevatum primae* » *classis cum Octava,* e propria sede depellet *Festa* » *haec duo solemniora universali praecepto, et sub* » *gravi obligatione a primis Christi fidelibus maxima* » *solemnitate celebrata?* » — Et auctor concludit: « Etiam in occurrentia aliquorum Festorum Do- » mini, quae in aliquibus locis peculiariter inci- » dunt, semper servandum esse ordinem Festorum » solemniorum, prout recensentur in Tabella ex » Rubricis generalibus excerpta, et *praecedentiam* » *dandam esse Festis, quae praeceptive sub obliga-*

(1) Diei 11 Maii 1743 *in Senen.*

(2) Auctor loqnitur anno 1821.

» *tione gravi ab omnibus totius Christiani Orbis* » *Ecclesiis diebus propriis celebrari debent* ».

3.° Demum Gardellini explicite inquit Festa particularia, quae quibusdam Ecclesiis, locis seu Ordinibus sunt *vere propria*, in occurrentia praeferenda esse illis quae sunt Ecclesiae universalis (*Vide not. 3 ante dub. 1, n. 4579 et not. 1 ad dub. 3, n. 4581*). — Porro, si iuxta laudatum auctorem Festa *praeceptiva* praeferenda essent Festis *facultativis*, et si per Festa *praeceptiva* ipse (*in nota ad dub. I n. 4579*) intellexisset quaelibet Festa, quae iuxta S. R. C. Decreta et Rubricistas (ut supra vidimus) *de praecepto* vocantur, etiam illa nempe, quae non sunt *de praecepto quoad forum*, eo in casu laudatus auctor sibimetipsi contradixisset; quippe, quomodo tunc ipse dicere potuisset Festa *particularia*, respectum localem habentia, *reliquis paribus*, praecedere debere Festis Ecclesiae universalis, quae natura sua Festa *praeceptiva* censentur?

III. Videamus nunc quid Cl. De Herdt circa hanc quaestionem doceat, seu in quo hic auctor a Cl. Gardellini differat?

De Herdt (*tom. II, n. 268, 5ª Reg.*) de Festis *praeceptivis* et *facultativis* sequentem tradit definitionem: « *Facultativa* sunt ea quae ex speciali indulto aut privilegio concessa sunt, et *praeceptiva*, quorum recitatio ex praecepto imposita sunt ». Hic auctor ergo per Festa *praeceptiva* intelligit non solum ea Festa quae sunt *de praecepto quoad forum*, sed etiam quaelibet Festa quorum recitatio imposita seu concessa est sub clausula *praeceptiva*, sive haec concessio facta sit Ecclesiae universali, sive alicui Ecclesiae, Dioe-

cesi seu Ordini particulari (1). Et hoc per se sequitur, quod laudatus auctor, in oppositione cum Festis *praeceptivis,* per Festa *facultativa* intelligere debeat illa, quae ex indulto speciali Ecclesiis, locis seu Ordinibus particularibus concessa sunt sub clausula *facultativa,* seu illa, quae a Cavalieri Officia *ex privilegio* nuncupantur, ut supra vidimus. Quod a Cl. De Herdt Festa *facultativa* ita concipiantur, hoc pariter manifestum est ex eo quod ipse (*loc. cit. not. 1*) addit: *Festa particularia ut plurimum sunt facultativa.*

Quidquid sit, definitio a Cl. De Herdt de Festis *praeceptivis* et *facultativis* tradita, accurata et completa censeri non posse mihi videtur. Enimvero laudatus auctor Festum *facultativum* vocat *quodlibet Festum ex indulto speciali concessum.* Porro eiusmodi Festum est concessum vel sub clausula *facultativa* tantum, vel sub notula *praeceptiva.* Si auctor intelligat per Festum *facultativum* quodlibet Festum ex indulto concessum sub clausula *facultativa,* tunc eius definitio de Festis *facultativis* non est completa, cum plura Festa particularia inveniantur ex indulto concessa sub clausula *praeceptiva.* In 2.° vero casu, si auctor nomine Festi *facultativi* intelligat etiam quodlibet Festum ex indulto concessum sub clausula *praeceptiva,* tunc eius definitio Festi *praeceptivi* non est amplius accurata,

---

(1) Auctoris definitionem de Festis *praeceptivis* ita restringo, quia, si sub ea etiam complectar Festa quae sunt *facultativa* in eorum concessione, sed *praeceptiva* facta post eorum acceptationem quoad recitationem, definitio auctoris de Festis *facultativis* tunc alia officia non comprehenderet nisi Officia *ad libitum* et *votiva,* quod supponere nequeo.

quippe cum haec tunc excludit Festa *praeceptiva ex indulto.*

Insuper Cl. De Herdt (*loc. cit.*) hanc regulam ponit: « In aequalitate ritus officia *facultativa*, licet *particularia* et *digniora*, Officiis *praeceptivis* cedere debent saltem in sequentibus ». Et idem auctor hanc regulam applicat ad casus sequentes:

a) « Ita Festum S. Ioseph, 19 Martii, praeferendum est Festo Septem Dolorum B. M. V. ubi hoc sub eodem ritu celebratur (*S. R. C. 4 Sept. 1875, n. 5626*) ». — Hîc advertendum est Festum S. Ioseph esse Festum *primarium* et *de praecepto quoad forum* (iuxta Const. *Universa* Urbani VIII), dum alterum Festum VII Dolorum B. M. V. sit Festum *secundarium* cui praeceptum *feriationis* non est annexum.

b) « Dedicatio Ecclesiae Cathedralis a regularibus praeferenda est Festis Ordinis 2 classis (*S. R. C. 27 Mart. 1779 ad 8, n. 4393*) »; item Dedicatio Ecclesiae Cathedralis a Congregatione SS. Redemptoris praeponenda est Officio SS. Redemptoris Titularis Congregationis (*S. R. C. 31 Mart. 1821 ad 2, n. 4581*). — Nota haec S. R. C. decreta sufficienter revocata censenda esse per illud diei 14 Maii 1856 ad 3 (n. 5223), in quo statuitur: « Festum Dedicationis Ecclesiae *non* » *propriae*, utpote *secundarium*, in paritate ritus » est omnibus Festis etiam *secundariis* Christi Do- » mini, et *primariis* B. M. Virginis ac Sanctorum » in *occurrentia* postponendum » (1).

---

(1) Recentissimum Decr. Gen. 4 Febr. 1896 ad III ait: « Anniversarium vero Dedicationis Ecclesiae non propriae, uti secun-

c) « Item Patrocinium S. Ioseph ubi celebratur sub ritu duplici 1 classis cedere debet Dedicationi, Patrono loci et Titulo Ecclesiae, non tantum quia est festum secundarium, sed etiam quia ritus 1 cl. dicto Patrocinio tantum convenit ex indulto et privilegio (*S. R. C. 14 Maii 1803 ad 5, n. 4487*) ». — NOTA. Supra iam vidimus quod iuxta Rubricas Breviarii et Decreta S. R. C. Festa solemnia *localia*, nimirum Patroni principalis loci, Dedicationis et Titularis *propriae* Ecclesiae, in occurrentia nulli Festo cedant, nisi Festis *solemnioribus Ecclesiae universalis*, quae in Rubricis et S. R. C. Decretis recensentur. — Eadem ratio militat pro reliquis casibus a laudato auctore allatis.

Demum idem auctor addit (*loc. cit.*): « Etsi conveniat, ut festa *facultativa praeceptivis* cedant, haec tamen regula nondum videtur generaliter applicanda, tum quia S. R. C. hîc necdum generalem regulam dedit, tum quia sic fere corrueret regula tertia, cum Festa perticularia ut plurimum sint facultativa ». Haec 5ª igitur Regula occurrentiae (*ordine stricto 3ª Regula, v.* De Herdt *l. c. not. 3 ante 4ª Reg.*), quam Cl. De Herdt nobis tradit, non solum refragatur doctrinae Gardellini, sed etiam omnino inutilis est, uti recte docent Ephemerides *Mélanges Théologiques* (*5ᵉ Série, p. 500*).

IV. Hanc 4ᵃᵐ quaestionem, nimirum utrum Festum B. M. V. de Bono Consilio sit Festum *prae-*

---

darium habendum esse et si cum aliis quibuscumque Festis *occurrat* vel *concurrat* servandas esse Rubricas et Decretum Gen. super primariis et secundariis Festis ».

(*Redactio*).

ceptivum, an *facultativum*, paucis verbis absolvere possum.

1.° Per insertionem Festi B. M. V. de Bono Consilio in Calendario perpetuo Ordinis Capuccinorum, quod primum approbatum fuit a SS. D. N. Leone Pp. XIII sub die 27 Augusti 1893, et dein pro toto eorumdem Ordine obligatorium redditum ab eodem SS. Pontifice, sub die 4 Decembris 1894 (hoc est per Decretum Apostolicum approbans novum eiusdem Ordinis Breviarium), ex eo manifestum est memoratum Festum B. M. V., diei 26 Aprilis affixum, censendum esse Festum *praeceptivum* iuxta S. R. C. Decreta et melioris notae Rubricistas. Hinc Fratres Minores Capuccini, ad Horas Canonicas adstricti, Officium memorati Festi *sub gravi* recitare tenentur; et casu quo illud Festum alio Officio occurrenti impediretur, in primam diem liberam istud transferre debent.

2.° Insuper, Festum B. M. V. de Bono Consilio ad totum Ordinem Capuccinorum solummodo extensum fuisse ob titulum voluntarium pietatis et devotionis, nullamque relationem particularem cum memorato Ordine habere, non minus apertum est. Hoc Festum itaque tamquam *vere proprium* istius Ordinis considerari nequit, et consequenter illud titulo speciali praeferentiae in occurrentia supra Festis Ecclesiae universalis non gaudet.

3.° Demum, omnibus supradictis consideratis, quum utraque Festa simul occurrentia, nimirum Festum B. M. V. de Bono Consilio et alterum Patrocinii S. Ioseph Sponsi B. M. V., sint Festa *praeceptiva, secundaria* et *eiusdem ritus;* sed quum

Festum B. M. V. de Bono Consilio videatur esse *subiective dignius* et *diei mensis affixum,* dum alterum Patrocinii S. Ioseph tamquam *minus dignum* et insuper utpote Dominicae assignatum, ut Festum *mobile* considerari possit, ex hoc quis forsan concludet Festum B. M. V. de Bono Consilio in casu esse praeferendum, et alterum Patrocinii S. Ioseph transferendum in primam diem liberam.

Antequam autem de hac quaestione sententiam meam proferam, tres alias quaestiones, ad hunc casum spectantes, in alio articulo examinare cupio. Illae quaestiones sunt sequentes:

1.° An in Festis *secundariis* dignitas *subiectiva* (aut personalis) in *occurrentia* consideranda sit ceu titulus praeferentiae, etiam ante illum qui a *solemnitate extrinseca* Festorum petitur?

2.° An Festa *mobilia,* in *paritate ritus et qualitatis* (sive Festi primarii sive secundarii), in *occurrentia* cedere debeant Festis *immobilibus,* etsi priora *extrinsece solemnius* celebrentur?

3.° An Festum Patrocinii S. Ioseph in casu praesenti gaudeat titulo sufficienti *solemnitatis extrinsecae* ad praelationem obtinendam in occurrentia supra Festo B. M. V. de Bono Consilio. Ad has quaestiones in sequenti articulo respondere conabor.

(*Continuabitur.*)

BATAVUS *Ord. Min. Capuc.*

DUBIUM LITURGICO-CANONICUM

Quivis actus liturgicus Episcopi, in quo pontificalibus utatur indumentis, iure ne venit sub nomine Pontificalium?

RESPONSIO.

I. Praemittimus, pro actu liturgico nos intelligere quemvis actum cultus publici, in liturgicis codicibus inscriptum: puta, Missam, Officium, Matrimonii celebrationem, processionem, etc. nec non Ordinum collationem, confirmationem, consecrationem, etc. etc.

Hoc supposito, fatendum imprimis nobis est, auctores quamplures sustinere, actus quosque liturgicos, in quibus Episcopus indumenta adhibet pontificalia, modo nihilominus qui auctoritatem significet, nomen *Pontificalium* appellari.

II. Nonnullos ex.gr. referimus. *Barbosa* quaerens quid sub nomine Pontificalium veniat, docet cum *Diana*, suspensionem a Pontificalibus illam esse; per quam directe et per se *prohibetur usus Insignium episcopalium, videlicet mitrae, baculi et pallii: per accidens vero et consecutive omnia episcopalia solemnia officia, quae sine huiusmodi Insignibus exerceri non debent, qualia sunt Ordines conferre, confirmare, Ecclesias, Altaria, Virgines consecrare etc.* (*Pars II, Alleg. VI, n. 3 et 4*). Inde

addit, Pontificalia Insignia, quibus Episcopi uti possunt, esse mitram, chirothecas, baculum, dalmaticas et sandalia; nonnullos etiam adiungere mozzettam, cappam pontificalem, galerum (*Loc. cit. n. 8.*).

Giraldi docet, sub nomine Pontificalium venire Ordinum collationem, et etiam primam Tonsuram, consecrationem etc. nec non omnes actus sacerdotales exercendos cum apparatu pontificali, mitra, videlicet, et baculo pastorali (*Pars II, Sect. XXI*). Si nihilominus prima Tonsura daretur privatim in aliena dioecesi, docet cum *Van-Espen* et *De Luca*, non incurri suspensionem a Tridentino inflictam, quia et dari potest sine Pontificalibus, et non est proprie Ordo (*Loc. cit. not. II.*).

Benedictus XIV ait: « Licet enim aegerrime defendi possit, ipsis (*Episcopis Titularibus*) licere in aliena dioecesi benedictionem vestibus impertiri, altaria ac vasa sacrare, pro quibus chrismatis unctio necessaria est, eo quod pro re gerenda *pontificiis insignibus uti debeant*, baculo scilicet ac mitra, quod quidem Tridentina Synodus apertissime cuilibet Episcopo interdicit, cum in aliena dioecesi versatur, nisi Ordinarii facultas accesserit; tamen etc. (*De Sacrif. Miss. Append. II sub fin.*). » Hic obiter nota, Tridentini citati locum esse Sess. VI, cap. V, De Reformatione.

Bonacina similiter notat, Episcopum a Pontificalibus suspensum non posse uti mitra, baculo pastorali et pallio, consequenter prohiberi ab actibus Ordinis episcopalis, qui cum praefatis Insignibus fieri consueverunt (*De Censur. Disput. III, q. II, p. XII, n. 2*).

His paucis adde alios plures, sive antiquos sive recentiores, eodem sensu plus minusve loquentes: adeo ut saltem actus liturgicos episcopales, qui cum mitra et baculo pastorali, aut cum pallio, dalmaticis etiam et chirothecis, peraguntur, sub nomine Pontificalium venire, omnes communiter docere videantur.

III. Hisce haud obstantibus, cum de re agatur, quae non apparet omnino certa, nec explicite ab auctoritate definita, ut discussioni subiaceat, sicuti ex dicendis satis abunde patebit; lectores exoramus, ut nos ratiocinio utentes, quod principiis communiter admissis innitimur, aliasque auctoritates in medium afferentes, audire patienter velint.

Pontificalia cum dicimus, nomen exprimimus, a *Pontifice* derivatum. Hoc a gentibus acceptum nonnulli sustinent, primatum inter personas sacras gerentibus tributum. Quidquid sit, indubium est, Pontificis nomen Episcopo competere; et quemadmodum per Episcoporum significatur *Superintendens*, seu curam aliorum gerens, quibus praeest, ita per Pontificem intelligitur summus Sacerdos, simplicibus aliis Sacerdotibus longe excellens.

Excellit autem Episcopus Sacerdoti per potestatem. Haec duplex est, alia Ordinis, alia Iurisdictionis: illam a Deo immediate accipere per episcopalem consecrationem nemo ambigit: istam vero, quamvis a Christo credatur communiter instituta, quod personas attinet in quibus est exercenda, a Romano Pontifice immediate descendere tenendum est. Est enim hic Vicarius Christi, Ecclesiaeque universae supremus Pastor, utpote successor Petri, super quo principaliter, tamquam

Apostolorum summo, aedificata est Ecclesia (*Can.* Ita Dominus. *Dist. 19*).

Versatur potissimum potestas Ordinis in confirmando, in ordinando, in consecrando: qua profecto caret Episcopus nondum consecratus. Versatur potestas Iurisdictionis in regenda Ecclesia, in moribus corrigendis, causis decidendis, in disciplina sancienda, etc. eamque possidet Episcopus, quamvis non consecratus, modo electus confirmatusque, uti liquet ex cap. *Transmissam*, 15 de Elect.

IV. Quamvis Episcopatum dicas Ordinem a simplici Sacerdotio distinctum, nihilominus eum contineri sub generali ratione Sacerdotii fateri cogeris. Adeo ut S. Anacletus Papa scripserit Ordinem Sacerdotum esse *bipartitum*, in Episcopos videlicet et Presbyteros (*Epist. 3, cap. 1*). Hinc oriuntur diversi actus, quos persolvere valet Episcopus, vel uti simplex Sacerdos, vel proprie ut Episcopus: ex quibus illi exerceri quidem poterunt a Presbyteris, isti vero nunquam, saltem de iure.

Sed inter ipsos actus episcopales aliquid discriminis reperitur: ut si codices liturgicos consulere velimus, alii pontificales, alii episcopales sint dicendi. Quod probe intelligendum est; cum notum apprime sit, uti superius innuimus, Episcopum iure appellari et esse Pontificem. Ex. gr. si Caeremoniale Episcoporum aperias, variasque functiones legas in eo descriptas, passim perspicies, Episcopum semper hoc nomine *Episcopi* appellari. Si vero aperias Pontificale, vix Episcopi nomen reperies, et continuo in actibus, qui in eo describuntur, aliud nomen, hoc est *Pontifex*, leges.

Episcopales profecto illi, episcopales actus et isti sunt; sed discriminis ratio facile percipitur in potestate, a qua utrique procedunt. Habes enim in Caeremoniale Missam solemnem Episcopi, quae utpote a Pontifice facta, pontificalis quoque in dicto codice nuncupatur. Idem dicas de Vesperis, aliisque functionibus, quae cum pontificalibus Insignibus Episcopus persolvit iuxta idem Caeremoniale. At in Pontificali Romano habes alios actus, qui non tantum hoc modo solemni peraguntur, sed etiam a potestate Ordinis episcopalis derivant.

Eiusmodi sunt indubie consecratio Sacerdotum, consecratio electi in Episcopum, Confirmatio baptizatorum: quibus addi potest consecratio Ecclesiae, uti et altarium, calicum, nec non benedictio olei, confectio chrismatis, etc. Quos actus solus facere potest Episcopus, quatenus Summus Sacerdos, seu quatenus plenitudinem possidet Sacerdotii, verbo, quatenus *Pontifex.*

V. Iam grave conspicitur hos inter actus et illos discrimen: hi enim, aliquibus exceptis, eiusmodi sunt, ut ab aliis non Episcopis fieri absolute repugnet. Illi vero non ita; cum plures simplices Sacerdotes, ratione Ordinis, uti nonnulli Praelati et Abbates, eosdem peragant, quamvis ex privilegio, dum Episcopi ex plenitudine iuris. Hinc inducimur ad iudicandum, actus episcopales vi Ordinis aut Characteris peractos, severiori sensu esse pontificales, alios autem non esse eiusmodi, aut saltem latiori sensu. Quid autem per Pontificalia, nisi actus pontificales significantur?

Audias Schmalzgrueber, qui, inquirens quae sit poena Ordinantis et Ordinati in aliena dioe-

cesi sine consensu Ordinarii loci, sequenti ratione negotium explicat: « Resp. Ordinans *ab exercitio Pontificalium*, i. e. *omnium actuum, qui episcopalis Ordinis proprii sunt*, et sic ordinati ab executione Ordinum, ipso iure suspensi sunt (*Tom. I, p. alt. pars III, Tit. XI, Quaer. 5*) ».

Quod ex Synodo Tridentina, in qua praefata auctoritas fundatur, firmamentum sumit. Sessione enim 6, capite 5, de Reform. ita legitur: « Nulli Episcopo liceat... *Pontificalia* in aliena dioecesi *exercere*, nisi de Ordinarii expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum ». Ex quibus patet, Episcopum ut *Pontificalia exercere* possit, duplicem fas est purificare conditionem: 1. ut habeat Ordinarii licentiam, 2. ut eadem *exerceat Pontificalia* in subditos eiusdem Ordinarii. Quid ergo vult Sancta Synodus per exercitium Pontificalium significare, nisi Ordinationem, hoc est, actum potestatis Ordinis episcopalis? Id ceterum ex reliquis patet; namque prosequitur: « Si secus factum fuerit, Episcopus ab *exercitio Pontificalium*, et sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi ».

VI. Confirmatur plurium Theologorum, et maxime S. Doctoris de Ligorio auctoritate. Certum est, exercentem actum Ordinis, a quo suspensus est, nisi aliqua causa excusetur, irregularitatem incurrere. Verum, communior sententia docet, Episcopum suspensum a Pontificalibus, si Missam solemnem celebret in apparatu Pontificalium, irregularitatem non incurrere. Ita S. Alphonsus, post Laymann, Silvium, Avila, Diana etc. quos idem S. Doctor citat (*Lib. VII, Theol. Moral. Cap. III, Dub. I, n. 314, sub fin.*). Ratio est, *quia*

Episcopus sacrificando non exercet actum substantialem Ordinis episcopalis, sed actum Ordinis sacerdotalis, a quo non est suspensus. Porro, si Missa Pontificalis non est actus Ordinis episcopalis, alius eiusdem naturae non dignoscitur praeter Confirmationem, Ordinationem et Consecrationem, vel ad summum praeter alios, qui in Pontificali inscribuntur; Missa enim pontificalis est excellentior inter reliquos.

Eodem, nisi clariori modo, se exprimit cl. Marc ex recentioribus, scribens: « Suspensus ab Ordine superiore, non ideo suspenditur ab inferiore. Sic v. g. Episcopus suspensus *a Pontificalibus,* potest celebrare Missam; immo, si eam celebret solemniter cum Pontificalibus, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem, quia non exercet actum substantialem Ordinis episcopalis. Secus, si fideles confirmet, calicem consecret, etc. quia tunc *exercet proprie Pontificalia* (*Pars II. Sect. III, Tract. II, num. 1303, 2°*).

VII. Quod si rationem quaeras, ex qua Insignia pontificalia vix valeant influere in actus pontificales, responsio in promptu est; quia, scilicet, vestes pontificales ostendunt quidem Pontificem, sed eum nec efficiunt, nec possunt efficere. Id e suo contrario aperte patet; quis enim audet asserere, Episcopum invalide confirmare, consecrare, ordinare sine indumentis pontificalibus? Habitus non facit monachum, nec tonsura clericum. Hinc supercitatus Schmalzgrueber diserte docet: « Etsi collatio tonsurae aliquando sine Insignibus pontificalibus fiat, non tamen ideo desinit esse actus pontificalis, ut patet in benedictione Corporalium (*Pars III, Tit. XI, § II, n. 18, Dub. I.*) »

Principium velim accipias, non conclusionem, quam falsam credimus, vel saltem severam nimis.

Hinc Glossa (*Verb.* a Pontificalib., *in Extravag.* suscepti regiminis, *de elect.*, docet, suspensum a Pontificalibus prohiberi etiam ab his, quae sibi sunt alias uti Pontifici permissa, et dependentibus ab eis, velut ab Ordinum celebratione, frontis Confirmatione, Basilicarum, seu Virginum consecratione et similibus. Vera assertorum ratio esse haec videtur, quia hi actus vi Ordinis episcopalis a Pontifice fiunt, et ab aliis differunt, in quibus potiusquam Episcopus, Presbyter agnoscitur.

VIII. Post huscusque dicta, notare iuvet, scriptores omnes qui tenent, actus episcopales in genere exercitos cum indumentis pontificalibus, maxime cum mitra et baculo, aut etiam pallio, constituere *Pontificalia*, Tridentinae Synodo inniti (*Sess. VI, cap. V, De Reform.*). At animadvertas velim, praefatam Synodum id non dicere expresse, sed auctores ex illius verbis deducere. Hinc placeat, maxima quidem cum reverentia omnium ita sentientium, penitius verba Tridentini perpendere. En proinde iterum textus: « Nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegii praetextu, Pontificalia in alterius dioecesi exercere ». Haec, verba prima sunt, ex quibus auctores communiter inferunt conclusionem praedictam. Verum inquirimus: Exploratum ne est ex eodem textu, actus Episcopales quoscumque cum paramentis pontificalibus exercitos, Pontificalia constituere, de quibus Synodus in casu agit? Grave potest oriri dubium super hac interpretatione ex sequentibus momentis.

1. Conveniunt omnes, actus pontificales, severe uti tales, illos esse tantum, qui fiunt ex

prima potestate episcopali, id est vi characteris episcopalis, in quibus Episcopi ornamentis Pontificalibus utuntur.

Hinc generaliter docent prohibita esse Episcopis in casu, uti vidimus superius, Ordinationem, Confirmationem, Consecrationem altarium, ecclesiarum, virginum, vasorum etc. quos actus Episcopi vi dictae potestatis exercent. At alii sunt actus, quos cum indumentis pontificalibus peragere possunt Episcopi, et nihilominus a vi characteris episcopalis non procedunt. Ita ex. gr. ponamus, Episcopum de consensu Parochi benedicere Matrimonio. Pluviale induet, iuxta Martinuccium, praeter alia indumenta, mitram auriphrigiatam et baculum pastoralem. Erit ne actus Ordinis episcopalis? Et nihilominus cum pontificalibus Insignibus exercetur. Episcopus alicubi assistit processioni, eique primatus honoris tribuitur, puta Reliquiam deferendi, in qua pluviale induet, et mitram. Exercetne actum episcopalis Ordinis? Et tamen ornamento ex praecipuis utitur, quod mitra est. Episcopus agit cum pluviali et mitra benedictionis functionem cum Venerabili; vestcs pontificales illae sunt. Absolutionem ad tumulum persolvit, iisdemque utitur vestibus. Baptismum confert puero, eademque pariter indumenta adhibet, imo et baculum. Hi actus ab Ordine ne procedunt episcopali? Episcopus Missam privatim facere potest, concedunt omnes, licet suspensus ab Ordine episcopali; quia suspensus ab Ordine superiore, non ideo censetur ab inferiore Ordine suspensus. At Missa fit quoque solemniter; et si privata non fit vi Ordinis episcopalis sed sacerdotalis, evadit ne solemnis ex

Ordine episcopali, quia pontificalibus utitur indumentis? Si affirmative respondeas, tibi quoque admittendum erit, esse falsum, per actus pontificales intelligi illos tantum, qui ex charactere episcopali fiunt, sed quoscumque actus, in quibus ornamenta episcopalia adhibentur, ex quacumque potestate fiant: quod non conceditur, et ex verbis Tridentini non infertur.

2. Fere communiter admittitur, et iure, Episcopum posse in aliena dioecesi primam conferre Tonsuram, saltem suo subdito, dummodo privatim et sine indumentis pontificalibus. Optime; at potest inquiri: foret ne *ipso iure suspensus* Episcopus, qui ex hypothesi minores Ordines conferret, vel etiam maiores, privatim tamen et absque pontificalibus indumentis? Num aliquis extet, qui id neget, nescimus; sed indubie fatendum est, eiusmodi Episcopum vere exercere Pontificalia iuxta Tridentinum, quamvis sine requisitis indumentis, quia Ordines reapse confert contra eiusdem Tridentini substantialem dispositionem, et censuram incurreret. Hinc inferri potest, Episcopum conferentem in casu primam Tonsuram evitare censuram, non praecise quia sine ornamentis episcopalibus illam confert, sed potius quia ad Ordines ea non pertinet, cum sit ad illos dispositio tantum, et censura Episcopo infligitur, qui Ordines confert.

3. Tridentina Synodus agit de Pontificalibus, non exercendis in aliena dioecesi, nisi sub duplici conditione, uti diximus, quae relata superius verba statim sequitur, et sequenti modo exprimitur: « Nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum. » Ubi

vides, Pontificalia, de quibus Concilium, in personas exerceri. Iam vero eiusmodi Pontificalia nonnisi ea esse possunt, quae Ordinum collationem respiciunt, uti satis superque ex textu patet. Quo posito, non intelligimus, quo iure per ea intelligi etiam debeant quicumque alii Pontificales actus, in quibus Episcopus sua propria indumenta adhibet. Illa namque extendi ad alios actus, qui severius ex episcopali Ordine procedunt, hoc aliquo modo intelligimus. Quia Synodus de Ordinatione loquitur, quae maximum constituit actum episcopalis Ordinis; hinc etiam complecti potest alios actus, qui ex eodem procedunt Ordine, quamvis res pro obiecto aut alias personas habeant, ex paritate saltem rationis. Sed ita verba relata interpretari, ut quoscumque alios comprehendant actus, qui ab Ordine episcopali non procedunt, hac sola de causa, quod fiant cum indumentis pontificalibus, id plane intelligere non valemus.

4. Denique ultima Synodi verba sic sonant: « Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinatus ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi. » Hic autem quaerimus: Censurae inflictio quosnam actus pontificales respicit? Aut illos solum, de quibus in casu agit Concilium, aut etiam alios qui ex Ordine episcopali fiunt, aut denique etiam reliquos, quos facit Episcopus, dummodo eos peragat cum pontificalibus indumentis. Atqui exploratum, saltem impraesenti est, censuram afficere tantum primos; (*ex Constit. Bened. XIV, quae incipit:* **Ad audientiam**), in quibus videlicet Ordinatio habetur. Iam vero, qua ratione sustineri poterit, hoc ultimo loco Concilium intelligere Pontificalia alio sensu,

ab illo, quo in superiori intellexit? Ergo capite V, sessione VI Tridentini, Pontificalia quae Episcopis in aliena dioecesi sunt vetita, hoc tantum significare videntur, actus nempe pontificales, in quibus Ordines ab Episcopis conferuntur. Nunc autem, eadem Pontificalia extendi ad alios actus, qui ex Ordine episcopali fiunt, transeat; sed ad quoscumque alios, in quibus nulla potestas exercetur episcopalis, eadem esse extendenda, hoc, inquam, difficile intellectu est. Etenim erui e sacro Concilio nequit, et ratio paritatis deficit; ergo concludendum potius videtur, Pontificalia, de quibus Tridentinum loquitur, in aliena dioecesi Episcopis prohibita, esse omnes et solos actus, qui vi potestatis Ordinis episcopalis fiunt.

IX. Munitur opposita sententia pluribus S. C. Concilii resolutionibus; sed quid ferunt hae, quae resolutiones allegantur? Quantum ex auctoribus haurire fas est, Pontificalia esse vetita. Sed quaestio est, quid per eiusmodi Pontificalia intelligatur, de quibus S. C. verba facit. Ita ex. gr. resolutum est, Archiepiscopum non posse Pontificalia exercere, sine Ordinarii licentia, in Ecclesiis suffraganeorum (*18 Apr. 1599*). Definitum est, non posse Episcopum, sine licentia Ordinarii, ministrare chrisma, nec alia Pontificalia exercere (*Apud Aldan. in Comp. canon. Resolut. Lib. III, tit. 24*). Pontificalia exercere Episcopum non posse, alias quoque definitum fuit in *Lucana*, uti habetur in Lib. I Decretorum (*pag. 12*). Item declaratum fuit, Episcopum in aliena dioecesi Pontificalia exercentem cum spe approbationis Ordinarii, censuram non incurrere, a Tridentino inflictam cap. 5, Sess. VI (*16 Maii 1654*). In-

structio legitur etiam a C. de Propag. Fide emanata, et a Pio Pp. VII confirmata die 8 Aug. 1819: quo Vicarii Apostolici prohibentur in alieno districtu Pontificalia exercere. Atque ita in Constitutione *Cum sicut accepimus* d. d. 21 Maii 1562 a Pio Pontifice IV, Episcopi Titulares vetantur a Pontificalibus exercendis in aliena dioecesi, nisi de licentia Ordinarii, etc. etc. Sed hic ulterius licet inquirere, quid per haec Pontificalia intelligendum sit, cum illas functiones episcopales, quae non dependent nec emanant a potestate Ordinis, in Pontificalibus comprehendi posse saltem severiori sensu, non intelligatur.

Scriptores enim, admittentes, Pontificalia constitui ex actibus episcopalis Ordinis, qui fieri solent cum pontificalibus ornamentis, quando ad consectaria deveniunt amplius sibi cohaerere non videntur. Etenim nemo illorum agit, ex iis saltem quos legere potuimus, de actibus qui ex Ordine episcopali non procedunt, et tamen cum ornamentis pontificalibus exercentur. Sed, posito principio, inferunt, esse vetitos actus ordinandi, confirmandi, consecrandi, aliosque similes. Verum de collatione baptismi, de benedictione nuptiarum, de benedictione solemni cum Venerabili, de processione etc. quid censendum? Hi actus sunt, an non, Pontificalia? Si affirmative eos respondere dicas, falsum est Pontificalia in actibus consistere, qui ex Ordinis episcopalis potestate fiunt. Si autem teneas eos negative respondere, tunc falsum est, quemvis actum ab Episcopo fieri solitum cum ornamentis pontificalibus, Pontificalia constituere.

X. Quid ergo iudicandum? Hucusque dictis inhaerentes, dicendum videtur, actum quemcumque episcopalem non ideo ab Ordine episcopali procedere et Pontificalia constituere, quia cum Insignibus pontificalibus peragitur. Ratio est, praeter iam expositam, quia Pontificalia vim desumunt non ab ornamentis, quibus Episcopus induitur, sed ab actus natura: ut, si sit ab Ordine episcopali, actum pontificalem constituat: si sit a sacerdotali, nequaquam, licet cum dictis Insignibus peractus fuerit. Insignia enim vix aliquid per se videntur dicere; sed exornant tantum Episcopum, sicut fere Insignia sacerdotalia Presbyterum. Quemadmodum autem Presbyter non solum potest Missas facere et confessiones audire, quae vi Ordinis sacerdotalis agit, sed alia plura exercere ministeria sacra, quae ex eodem Ordine non sunt; ita et multo magis Episcopus, praeter Ordinationem, Confirmationem et Consecrationem, quae agit ex Ordine episcopali, alia multa valet exercere, quae ex eodem Ordine non emanant. Et sicut Presbyter in illis non agit, severius loquendo, ut Sacerdos; ita Episcopus in istis non agit ut Pontifex; hinc nec ille actus sacerdotales, nec iste pontificales videtur exercere. Quod autem attinet ornamenta episcopalia, per ea Episcopus agens ostenditur, non tamen constituitur, nec proinde ex iisdem Pontificalia constitui videntur. Hinc ultima conclusio, quae ex omnibus hactenus discussis, ni fallimur, profluit, haec esse videtur: Codex liturgicus, qui Pontificale nuncupatur, ipse solus illos continet actus, qui pontificales sunt, et in quibus Episcopus, uti Pontifex, agere dicitur Pontificalia: non reliqui. Eiusmodi conclusionem Ven. lecto-

ribus nostris, R̃mis maxime Episcopis, perpendendam proponimus, eorumque sapientius iudicium libenter opperimur.

D. C. Presb. romanus.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Urgellis.* **De initio Psalmi non omittendo quando postrema Antiphonae verba sunt ex illo.** An in festo Sanctorum Fabiani et Sebastiani post Septuagesimam translato continuari debeat Psalmus 5 Laud. cum antiphona, ut nonnulli docent? Quid Romae fit in casu?

Resp. 1.° Rubrica Gen. Breviarii Tit. XXI n. 7, haec docet: « ... quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi vel Cantici, sed continuatur quod sequitur in Psalmo vel Cantico ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit Antiphona, nisi discontinuetur per *Alleluia* ». — Rubrica peculiaris ante 3 Psalmum 2 Noct. Dominicae: « (Antiphona) non repetitur in Psalmo: quod semper fit, quando Antiphona incipit a primo versu Psalmi, et Psalmus tunc incipitur ab eo verbo, in quo desinit Antiphona, sive integra dicatur, sive tantum inchoata: si tamen eadem sint verba, et continuetur Antiphona cum Psalmo ». — Psal-

mus debet continuari a verbo in quo desinit Antiphona tunc tantum, cum Antiphona *incipit* sicut Psalmus: atqui Antiphona in casu *non incipit* sicut Psalmus; ergo Psalmus ab initio intonandus est.

Hoc ratiocinium dicetur forsan litterae Rubricae nimis adhaerere; et dubitari posset utrum ipsius Rubricae spiritui respondeat. Et sane quamvis Rubrica dicat: « quod semper fit, quando Antiph. incipit a primo versu Psalmi; » idem in praxi tenetur etiam si tantum Antiphonae initium fortuito concordet cum primis verbis Psalmi, sed reipsa non sit ex eodem initio. Exemplum praebet Antiph. Matut. Feriae VI: « Cantate Domino, et benedicite nomini eius, » quae verba sunt de secundo versu Psalmi; cum autem enuntiatur: *Cantate Domino,* sequitur Psalmus: *canticum novum etc.* quia verba: *Cantate Domino,* iam dicta sunt. — Ita pariter Antiph. *Cantemus Domino gloriose,* alium sensum praebet ab eo, quem habet Canticum Moysi nempe: *Cantemus Domino: gloriose enim etc.* eam tamen prosequimur sine repetitione. Item Antiph. *Afferte Domino etc.* in festo Epiphaniae non sumitur a primo versu Psalmi, nec ab alio; sed cum concordent prima verba, post enunciationem, infra octavam, sequitur Psalmus sine repetitione. — Videtur ergo posse dici, quod cum verba initii Psalmi inveniuntur iam enuntiata in Antiphona, omittuntur, Psalmum continuando ubi desinit Antiphona; mens enim Rubricae est ne bis repetantur verba iam prolata. Quod confirmatur a Rubrica Dominicae Septuagesimae, in qua dicuntur omitti debere in primo versu Invitatorii verba: *praeoccupemus faciem eius etc.* quia continuo a Choro repeti debent. Dicendum ergo est, sen-

sum Rubricarum hunc esse: *quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi*, etsi materialiter tantum et non ad eumdem sensum, *et incipit sicut Psalmus*, hoc est *incipit* canere Psalmum (sive in suo initio sive postea, nihil interest, dummodo ubi desinit, prima verba Psalmi contineat), verba iam dicta in Psalmo non repetuntur, *sed continuatur quod sequitur etc.* — Praeterea additio *alleluia* in casu confirmare videtur tale assertum, quia non tam ad laetitiam significandam appositum fuit, quam ad discontinuandum Psalmum, qui *iuxta Rubricae sensum*, continuari debuerat a verbis « laudate eum in excelsis; » etenim ad significandam laetitiam, ut plurimum, ad quartam Antiphonam ante Canticum apponi solet.

Nos tamen sensui Rubricae litterali attendere malumus, et dubitationi reponimus allata exempla nihil probare, quia si praxis ea est, quae exponitur, id fit ad haesitationem pellendam cum initium Antiphonae ponitur ante Psalmum, et integra post illum tantum repetitur; ne quis adigatur oculis discurrere per paginas, et mente vagari, ad requirendum utrum verba Antiphonae sint nec ne de primo versu Psalmi ; ideoque si verba enunciata sint prima in Psalmi initio, hic continuetur, quin advertatur sensus integrae Antiphonae (Ita interpretanda Cavalerii sententia: *Tom. II, cap. 34, Decr. III, n. 2*). Quod autem dicitur de Invitatorio Dominicae Septuag. nil probat, est enim casus peculiaris cum peculiari Rubrica, quae imo contrarium probat; si enim de regula generali procederet, opus non fuisset adnotari.

2.° Non omisimus quaerere a nonnullis antiquioribus ac peritioribus Capitularibus, praeser-

tim Basilicae Vaticanae, de usu in Urbe servato in casu, et responsum accepimus usos semper fuisse Psalmum ab initio intonare, nulla habita ratione verborum iam in fine Antiphonae dictorum: hoc proinde nostram sententiam confirmat, quam tuto sequendam proponimus.

II. *E Dioecesi Segoviensi.* **De cuiusdam Decreti inscripta die.** In recentissimo Decreto (de Litaniis) diei 28 Novemb. proxime elapsi anni, S. C. aliud citat Decretum diei 6 Martii 1894; *Ephemerides* aiunt citationem errore laborare.

Resp. Error nullus adest, quia reapse Decretum exaratum fuit die enunciata, attamen cum publicatum non fuerit eadem die, sed 15 Ian. 1895, *Ephemerides* aliam dixerunt addendam esse inscriptam diem, nempe evulgationis. Hinc in authentico exemplari Decreti sic inscribitur: « Praesens Decretum *expeditum* fuit die 15 Ian. 1895 ».

III. *E Gallia.* **De Clericis pluviali indutis in Missa coram Episcopo.** Existitne aliquod S. R. C. decretum permittens indui clericos pluviali in Missa solemni celebrata coram Episcopo in Pontificalibus assistente? Et in casu, quodnam esset istorum officium?

Resp. Nec iuxta Caeremoniale Episcoporum clerici pluviali induti locum habent in Missa celebrata Episcopo assistente, etiamsi hic pluviali et Mitra paratus assistat, nec, quantum scimus, ullum hac super re Decretum a S. R. C. emanatum fuit; quod ceterum videretur admirationem parere, cum nulli alii Ministri, nisi qui celebrantis sunt, parati esse debeant.

IV. *Ex eodem loco.* **De cantu et sono alternis.** Hymni *Gloria in excelsis* primus versus ab uno ex

cantantibus legitur comitantibus organis: haec eadem organa debent ne sequi notas versus, qui legitur?

Resp. Negative, cum nulla id lex iubeat; sed sufficit, ut sonus aliquam dicat ad cantum qui omittitur, seu ad versus recitationem, aliquam proportionem, quod significationem attinet. Neque aliter intelligi potest ac debet Caeremoniale Episcoporum (*Lib. I, cap. XXVIII, n. 6 et 9*). Proportionem diximus sufficere quoad versus significationem, idque patet ex rei natura; si enim ex. gr. versus moestitiam exprimeret, risu dignus foret sonitus triumphalis, et e contra.

Nota. In Missa cantata de requie organa modulationes consociantia non sunt prohibita, uti ex recenti Caeremonialis Episc. dispositione patet (*Loc. cit. n. 13*): dummodo silente cantu, et organa sileant. Quaestio fieri posset, an pro *musica,* de qua Caeremoniale, sola poliphona intelligatur, an etiam unius soni, ut fert natura Cantus liturgici. Sed nullius momenti hanc quaestionem iudicamus, cantus enim liturgicus est musica, melius quam poliphonus. Hinc organa optime consociari posse credimus etiam modulationes liturgicas, quae pertinent ad cantorum scholam, inter quas sunt introitus, sequentia etc. Eapropter, quod de *Gloria in excelsis* dictum est, applicari quoque posse ad *Dies irae* dubitari rationabiliter non potest. Sane quis ivit unquam inficias, modulationes *Kyrie, Gloria,* etc. esse posse contrapuncto atque harmonice redactas? Quod si fiat, nonne eiusmodi modulationes alterne concini optimo iure possunt, si tamen vocibus adiungantur organa? Quod de dictis partibus affirmatur, nonne et de Sequentiis

dicendum, uti *Stabat Mater, Lauda Sion, etc.?* Quis autem demonstrare valet, Sequentiam defunctorum exceptionem constituere? Brevi, cantus *Dies irae* alternus suapte natura est; ergo, si organa in cantu Missae de requie, sensu superexposito, non sunt vetita, neque prohibitus dici potest unius strophae cantus et alterius sub organis recitatio. Ita sentimus, atque ita sentiendum esse tenemus.

V. *E Bogota.* **De non mutando textu liturgico.** In officio feriali ad preces, versus: *Domine, salvum fac Regem,* mutatur in: *Domine, salvam fac Rempublicam,* in his regionibus, ubi Regem non novimus: recte ne?

Resp. Negative, nisi indultum sit explicite; textus enim liturgicos mutare nulli privatae auctoritati quacunque de causa licet. Praeterea, unde constat, pro *Rege,* in casu, regalem personam civilem, quae populum gubernat, esse intelligendam? Libere fatemur, nos intentionem exorandi pro Rege poeninsulae nostrae, praedicta formula, habuisse nunquam; sed nec ullus id nos docuit, neque alios id docere nos auderemus: in errore ne versamur? Omnes servet Dominus, sed liturgicos textus immutatos relinquere, quacunque sint significatione accipiendi, officii omnium Ecclesiasticorum est.

Nota. Nulla lex prohibet, quin clericus vel laicus possit secum ad pectus Reliquiam habere sanctae Crucis, non tamen more Episcoporum, subintelligitur, id enim risu dignum esset ac censura, sed infra vestem, uti notum est.

VI. *E Sicilia.* **De officii recitatione privata tempore Missae conventualis.** Licetne privatae officii recitationi vacare quod parvas Horas attinet, dum

Missa conventualis canitur, ei qui sero pervenit in chorum?

Resp. Severius loquendo non liceret; lex enim dicit: « Litteras, aut alias scripturas *(chorales)* non legant; sed nec libros aut ipsum Breviarium aut Diurnum in manibus habeant, aut ex illis privatim horas aut orationes recitent etc. etc. (*Caerem. Episc. lib. I, cap. V, n. 4*) ». Nihilominus, pluribus inspectis, et praecipue dictae inhibitionis fine, Romae in praestantioribus Canonicorum collegiis, contraria invaluit consuetudo, quam auctoritas novit, proindeque silentio approbat. Ut reliqua sileamus, innuere sufficiat aliquid de fine prohibentis legis, nempe: ut caeremonis ritibusque peragendis, chorus esse attentus valeat, eaque rite exerceat. Qui finis negligi a choralibus nullo pacto debet; et nihilominus obtineri quoque potest ab iis, qui prudenter devoto aliquo libro utuntur, et peculiariter Breviario aut Diurno, in iisque aliquid perlegunt, et in casu parvas Horas canonicas recitant.

Itaque nihil omittendum ex iis, quae a choralibus ex lege adimpleri debent, uti confessionem bini et bini dicere, ac reliquas Missae partes ab iis recitandas, uti *Kyrie, Gloria, Credo, etc.* Advertendum est ipsis ad inclinationes, ad sessiones etc., ad pacem dandam ac recipiendam etc. etc. Brevi, si omnia in Caeremoniali praescripta choralibus observentur, reliquum temporis Conventualis Missae in orationibus dicendis atque in parvis Horis, ut in casu, recitandis insumere, tolerandum videtur. Memores tamen sint semper, hoc tolerari, illud vero ex lege faciendum. Iuvat Decretum referre 20 Maii 1869 (*Montis Regalis*)

ad XI: « An Ministri parati, dum canitur Missa solemnis conventualis, privatim recitare valeant Horas canonicas? » Resp. « *Non est interloquendum* ».

Inferes, velle *punctare* eum, qui rei toleratae vacat in Missa conventuali, quid nimis esse, quod probare non possumus.

VII. *E Gallia Narbonensi.* **De forma planetarum gallica.** Iudicium quaeritur super forma planetarum, quae in Gallia usuveniunt, ratione habita ad illas, quae stylo gothico sunt confectae.

Resp. Arbitramur, mediam semitam reliquis excellere, sicut in omnibus, ita in casu nostro. Forma casularum, quibus nonnullae Ecclesiae in Anglia, in Germania, in Belgio atque etiam in Gallia utuntur, notabat in suis Litteris Emus Card. Patrizi anni 1863, gothicum stylum imitatur, et elegantior apparet. Sed postea, commodi gratia, Urbe exemplum dante, circa saeculum XVI dicta forma in pluribus Ecclesiis, etiam exteris, mutationi obnoxia fuit. Sed huiusmodi mutatio non eadem fuit extra Italiam, perinde atque intra eam, et in ipsa Urbe. Casulae, quibus nos utimur, licet minus amplae, quam illae quae saeculo XIII, XIV ac XV potissimum adhibebantur, sunt nihilominus satis quoque elegantes, scapulas cooperiunt, anterior et posterior partes latae ac ditiores sunt, et satis oblongae descendunt. Illae vero, quibus Gallia in pluribus Ecclesiis utitur, miseriores apparent, utramque scapulam vix attingunt, strictiores sunt minorisque longitudinis. Hinc licet commodiores nihilo tamen minus pluribus non placent, ut eas censura notent, quasi risu dignas. Ipsimet dictis casulis pluries usi fuimus Parisiis

morantes; et fatemur, in earum nos commodo placuisse, sed etiam de earumdem quod formam attinet paupertate doluisse. Gravitatis enim in illis defectus apparet, ut si ampliores essent, decori maiestatique magis conformes fierent: commodi autem ratio decori cedere debet et maiestati. Eapropter inter casulas secundum stylum gothicum et eas, de quibus nunc diximus, romanas praeferendas esse autumamus, quae inter utrasque mediam, quoad formam, tenent semitam: ut nec sicut antiquae incommodum, neque sicut recentes gravitatis defectum praeseferunt. Quod autem magis praestat, consuetudo est, quam Romana servat Ecclesia, et cui aliae quaecumque Ecclesiae conformantes se maxima commendatione dignas reddunt. Haec nostra sentiendi ratio, quae tamen utrum Gallicis Ecclesiis arrideat nescimus, trahit enim sua quemque voluptas. Ceterum, non constat, Decretum ullum fuisse vulgatum dictam casularum formam interdicens, nisi de illis agatur Litteris Emi Urbis Vicarii, quas superius innuimus.

VIII. *E Verona*. **De concurrentia officiorum ritus duplicis infra oct. Nativitatis**. Quomodo ordinandae sunt Vesperae diebus 29 et 30 Dec. concurrentibus Festis Sanctorum ritus duplicis?

Resp. Si immediate post Festum S. Thomae (dupl. min.) fieri debet de alio Festo eiusdem ritus, dicuntur Antiphonae et Psalmi de Nativitate, Capitulum de S. Thoma cum com. sequentis et octavarum. Si autem fieri debet de Festo dupl. mai.: Antiphonae et Psalmi de Nativit., Capitulum de sequ., com. praec. et octavarum. Si vero de dupl. 2ae classis: Antiph. et Psalmi de Nativit., Capitulum de seq. com. praec. et oct. Nativit. Si tan-

dem de dupl. 1^{ae} classis: Antiph. et Psalmi de Nativit., Capitulum de seq., com. oct. Nativit. *tant.* — Similiter fiet in Vesp. diei sequentis, pro diversitate concurrentiae; servatis servandis si Festum diei 30 potius sit in ritu, quam Festum diei 31.

IX. *Ex eodem loco.* **De concurrentia diei octavae cum Festo rit. dupl. min.** Quaeritur: utrum, post Decr. Gen. de Festis primariis et secundariis, dies octava cuiuscumque Festi huius qualitatem sequatur, ut habenda sit primaria vel secundaria? Et quatenus affirmative: utrum octavae Festorum Domini et B. M. V. amiserint ius ad integras Vesperas in concurrentia cum officiis eiusdem ritus?

Resp. Ad primum: affirmative, iuxta Decr. 21 Febr. proxime elapsi, ad II. — Ad secundum: distinguendum. Si dies octava Festi Domini est primaria, in concurrentia cum Festo primario (a fortiori cum secundario) eiusdem ritus praefertur ut antea fiebat, nulla enim quoad hunc casum facta est immutatio; ita pariter si secundaria cum Festo secundario. Si autem octava est secundaria, in concurrentia cum Festo eiusdem ritus, sed primario, tunc octava Festi Domini aut B. M. V. cedit, et sola gaudet commemoratione.

X. *Ex Hispania.* **De discrimine inter Expositionem publicam et privatam.** Quaeritur, num detur adhuc distinctio inter duas dictas Expositiones, quatenus, videlicet, illa impedit Missam de requie in omnibus altaribus Ecclesiae, ista tantum in altari Expositionis.

Resp. Affirmative. Non enim est, cur in Expositione privata Missae in omnibus Ecclesiae altaribus prohibitae censeri debeant, cum ius litur-

gicum ea super re nullam passum sit mutationem. Decretum namque alibi relatum (*an. 1894, pag. 358*) Missam de requie, etsi in anniversario (quod de die obitus etiam intelligendum), prohibet in Ecclesiis ubi Expositio solemnis habetur, quae non est certe privata, super qua nihil disponitur. Ergo manet servanda dispositio antiqua, quae notis Decretis innititur.

Nota. De reliquis dubiis silemus, iis enim arbitramur in proxime praeterito numero, iam factum satis, ad quem proinde consulentem remittimus. Manet tantum illud quod respicit *causam quamlibet gravem,* quam nos diximus excusare, loco *civilis vetiti aut morbi contagiosi,* praesentiam cadaveris in Ecclesia, ut etiam Missa exequialis cani queat.

Nunc autem adm. Rev. Consulens quaerit: an revera quaevis causa gravis sufficiat, an exigatur *civile vetitum vel morbus contagiosus,* ut Missa pro die obitus cani possit, etsi cadaver non sit praesens, imo etiam sepultum. Reponimus, causam quamlibet gravem sufficere; namque civile vetitum aut morbus contagiosus ideo excusat, quia causam gravem constituit; ergo quaevis alia, modo gravis, causa eodem iure excusabit: de cetero tamquam certum hoc lectores habeant, etiam a ratiocinatione abstrahentes.

XI. *E Curenna.* **De praelatione diei prae alio infra duas octavas.** Occurrunt hic dies infra duas octavas, quarum altera pertinet ad Patronum (S. Michael Arch.) altera ad Deiparam sub titulo Ss. Rosarii, de quo festum agitur dup. 1. classis. Posito Decreto in una *Dubia* ad 1., d. d. 21 Febr. 1896, quo declarantur dies infra quamcumque octavam

secundarii, de quo agendum? De Patrono ne, an de Deipara?

Resp. Potius de Deipara, quam de Patrono, agendum credimus, salvo meliori iudicio: vis ratiocinationis ad hanc conclusionem impellit. Definitum certo est, dies infra octavam quamcumque, sint primarii, sint secundarii in se ipsis, parum interest, habendos esse uti secundarios. Hi autem dies, sint, non sint festi, parum quoque interest, sed certe ad instar festorum sunt habendi, quorum continuationes sunt. Atqui ex duobus festis primariis aut secundariis eiusdem ritus praecedentia competit digniori. Ergo in casu agendum est de infra octavam Deiparae cum commemoratione de Patrono. Adde, rationem praecedentiae, quae favet Patrono in die festi, prae Deipara, vix favere illi infra octavam, qui minus certe solemnes sunt, non solum quoad ritum, sed etiam quoad externam celebrationem, quam dies festus. Diximus nihilominus, *salvo meliori iudicio;* quia negotium iure positivo nondum determinatum est.

Nota 1. Duplex II classis praefertur diei octavae, idque iuxta Rubricas; ergo, si octava Dedicationis occurrat cum festo Visitationis Deiparae, huic cedere locum debet.

Nota 2. Super lectionibus *Iustus* nil possumus in casu definire; fieri enim potest, eas fuisse specialiter B. Humberto assignatas.

XII. *E Dioecesi Septempedana.* **De concursu inter officium votivum et Dominicam seq.** Per Decretum *Lingonen.* (*V. Ephem. Vol. 9, pag. 708*) provisum fuit concurrentiae inter festum primarium et officium votivum, quod semper est secundarium.

At quid agendum si idem officium votivum et Dom. sequens concurrant in Sabbato?

Resp. Nullum dubium, quod Vesperae usque ad Capitulum sint de praecedenti, reliquum de Dominica, sit vel non privilegiata. Ratio patet; semper enim Dominica sequens cedit primas Vesperas usque ad Capitulum praecedenti festo, de quo factum est, cuiuscumque sit naturae. Dominica enim psalmos in primis Vesperis non habet; hinc praecedenti locum cedit, etsi semiduplici, non alia ex causa, nisi quia, cum psalmis careat, nil convenientius quam officium prosequi, de quo iam actum est et adhuc agitur. Casus unicus, quo Dominica mutuans psalmos e Sabbato, Vesperas primas integras habet, est absolutio dierum infra octavam, et prohibitio faciendi Vesperas de die octava sequente, quae ad simplicem ritum redigenda est.

XIII. *E Dioecesi Senensi.* **De collatione baptismi in Sabbato ante Pascha et Pentecosten.** Quaeritur, utrum baptismi collatio sit praeceptiva in utroque Sabbato?

Resp. Affirmative, saltem in cathedralibus Ecclesiis, si baptizari aliquis debeat. Satis enim perspicua sunt verba Caeremonialis Episcoporum: « ... Si aderunt catechumeni, **baptizentur** more solito ab Episcopo, aut a digniori ex Capitulo..., et **per octo dies ante** in ipsa Ecclesia, nisi periculum immineat, **nullus infans baptizetur** (*Lib. II, cap. XXVII, n. 18*) ». Praeterea id confirmat antiquitas liturgica, iuxta quam solemnioris baptismi Episcopi tantum erant ministri. Insuper plura Concilia provincialia, uti Hispalense secundum (an. 619), Londinense (1237), et Mediola-

nense quartum sub S. Carolo, aliaque id exigunt. Denique Caeremonialis legem explicat Benedictus XIII in Concilio Romano, dicens: « Speciali id etiam ratione **exigit** Caeremoniale Episcoporum; et nos ipsis (*Episcopis*) praecipuas velut inter pontificalis Ordinis actiones, non minori sollicitudine commendamus ».

Nota. Quoad Orationem *Sacrosanctae* tam praefatus adm. Rev. Consulens, quam alter e Mechlinia, videat *Ephem. Liturg.* an. 1892, pag. 225, Dub. III. Quod vero pertinet cantum in actu Expositionis SS̃mi Sacramenti, Decretum in una *Sancti Marci* d. d. 22 Mart. 1862 ad 14 declarat: « Cantus in actu Expositionis permitti tantum potest iudicio Episcopi ».

XIV. *Ex Ostuno.* **De iuribus quibusdam Parochi in delatione cadaveris.** Quandoque hic invitatur ad funus pars Capituli Cathedralis Ecclesiae, quae hebdomades dicitur; hinc quaeritur, cui spectet deferre stolam, an Dignitati intervenienti, vel, illius loco, digniori Canonico, an potius Parocho defuncti? Quid autem de praecedentia?

Resp. 1. Stolam deferre spectat ad Parochum: hoc centies definitum est, et probatione non indiget. Caput vero Capituli (sit totum hoc, sit pars, non interest, dummodo valeat efformare corpus) ius quoque habet deferendi stolam, quae illi per consequens licet. Hoc quoque satis definitum est et demonstratione non indiget.

Resp. 2. Praecedentia non competit Parocho super Capitulo Cathedralis Ecclesiae; ac proinde neque post, neque inter, sed eidem Parocho incedendum est **ante** Canonicos, quibus fas est pri-

mas cedat. Item et hoc indubium est, et probatione non eget.

Nota. In fascic. 3 huius anni pag. 180, in responsione ad dubium: *De festo S. Marci in Dom. in Albis occurrente,* diximus: « Si plures fiant Missae in Ecclesia, quae habet Processionem, una tantum erit de Rogationibus, reliquae de Dom. in Albis, cum com. Rogationum conventuali Missa excepta, in qua omittitur ». Et sane hoc procederet a paritate, imo maioritate rationis, dum commem. praescribitur in tribus diebus Litaniarum minorum Rogationum, et Litaniae S. Marci sunt maiores. At cum lex clare distinguat festum S. Marci a diebus Rogationum, in quibus tantum, in Missis privatis, commemorationem praescribit Rogationum (*Rubr. Missal. ante Miss. in Litan.*), postrema verba: *cum com. Rogationum etc.* immutare cogimur in alia: sine com. Rogationum.

AD DUBIA
SUPER SACRIS CAEREMONIIS
RESPONSA

I. *E Dioecesi Segoviensi.* **De quadam incohaerentia inter Ephemerides et Rubricam.** *Ephemerides,* anno praeterito (*pag. 115,* VI.), docuerunt Cruciferum, in pergendo ad Caemeterium post Missam, debere esse Diaconum dalmatica indutum: Rubrica e contra ait debere esse Subdiaconum Missae.

Resp. Exemplaribus iam vulgatis vitium detegimus dictionis, nec necessarium duximus emendationem publicare, cum quisque primo intuitu dignoscere potuerit incurrisse lapsum calami, et verba: *Diaconus dalmatica indutus* immutanda esse in alia: *Subdiaconus tunicella indutus.*

II. *E Gallia.* **De Cereo Paschali et quinque granis incensi.** Quid faciendum est, post Sabbatum Pentecostes, de cereo paschali benedicto in Sabbato Sancto; et quid pariter de quinque granis incensi?

Potestne cereus iste singulis annis iterum igne liquefieri, ita ut omnino novus appareat cereus, qui benedici poterit singulis Sabbatis Sanctis, iuxta ritum consuetum? Vel requiriturne cereus absolute novus, qui numquam pro hac solemnitate fuerit adhibitus? Et tunc quid fieri debet de antiquo cereo?

Quoad quinque grana incensi, debentne vel possuntne ista comburi in thuribulo, more solito; vel cuinam usui applicari debent? Nonne etiam nova quinque grana adhiberi debent in unoquoque Sabbato Sancto?

Resp. Iis quae in nostris Ephemeridibus alias docuimus (*Vol. V, pag. 453*) inhaerentes, dicimus optime *posse* cereum Paschalem singulis annis renovari, vel eumdem igne liquefaciendo, vel novum substituendo, nulla tamen ratione *debere:* cum enim non agatur de proprie dicta benedictione constitutiva, pluries praescriptus ritus iterari potest. — Quod diximus, loco citato, de quinque granis incensi, benedictionem nempe peculiariter ea afficere, ideoque in unoquoque anno renovari, noluimus in praecepto ponere, sed ad summum de convenientia dicere intendimus; hic enim absque

dubio agitur de benedictione invocativa, quae repeti optime potest. — Si vero novus cereus, et novum incensum substituantur, vetera ad pios usus adhibeantur, sive illa in S. Functionibus consumendo, sive eorum particulas fidelibus devotionis ergo distribuendo, ut videtur insinuari in Oratione benedictionis incensi: « in quocumque loco ex huius sanctificationis mysterio aliquid fuerit deportatum, expulsa diabolicae fraudis nequitia, virtus tuae Maiestatis assistat ».

III. *Ex eodem loco.* **De thurificatione Canonicorum extra Cathedralem, et Presbyterorum.** Quaenam facienda est thurificatio, extra Ecclesiam Cathedralem, Canonicis, ubi choro intersunt absque vestibus choralibus sibi propriis? — Item, licetne simplices Presbyteros, eodem modo ac ipsos Canonicos, thurificare?

Resp. Habemus Decretum 31 Aug. 1680 in *Squillacen.* tenoris sequentis: « 5. An Canonici, confluentes in festivitatibus extra Ecclesiam Cathedralem sine habitu Canonicali, debeant incensari? .... *Negative.* » Quid sibi vult haec responsio? Supponitne Canonicos habitu privato adesse festivitati? Suppositio non videtur habere fundamentum, nescimus enim cogitare Ecclesiasticos et quidem Canonicos privato habitu, ac proinde extra chorum, praetendere thurificationem. Cogimur ergo responsionem interpretari hac ratione: Nisi induti sint habitu canonicali sibi proprio, Canonici non sunt considerandi uti tales, ideoque incensandi prout simplices Presbyteri, qui ius non habent ad thurificationem duplici ductu, sicut Canonici Cathedralis vel Collegiatae, sed unico ductu, distincto tamen et non transeundo.

IV. *Ex eod. loco.* **De modo Pluvialistas thurificandi.** Quomodo simplices clerici (sive tonsurati sive diaconi), quando pluviali induti sunt v. g. in Vesperis, thurificandi sunt, an duplici thurificatione, vel unica tantum? — Quid de iisdem et pro eodem casu, si non adsint Canonici in choro? — Et quid si isti pluvialistae sint ipsimet Presbyteri?

Resp. Ad tres quaestiones hac ratione respondemus: 1° Nulla facienda est differentia inter simplicem clericum et Presbyterum pluviali paratum, pro assistentia celebrantis in Vesperis, quia nullam ponit Caeremoniale Episcoporum, etiamsi consideret et ipsum hanc possibilem Ordinis differentiam. 2° Ad rem facit Decr. 28 Sept. 1872 *Galtellinen. Noran.:* « An Beneficiati assumentes pluvialia in Vesperis thurificandi sint unico ductu thuribuli?... Negative et serventur Rubricae, et Caeremoniale Episcoporum, nec non S. R. C. Decretum editum die 13 Martii 1700; idest Beneficiati quotiescumque fuerint *Sacris vestibus induti* semper debeant ad instar Canonicorum *duplici thuribuli ductu* thurificari, *sed post omnes Canonicos* ». Ergo pluvialistae, sint simplices clerici, sint Presbyteri, duplici ductu thurificandi sunt etiam praesentibus in choro Canonicis.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

ROMANA.

Quum die 30 Ianuarii, anno elapso 1895, in conventu Academiae Liturgicae Romanae proposita fuisset quaestio super diebus, quibus non licet Missam celebrari in Oratoriis privatis, atque Academici ac Censores diversimode de ea sensissent, inspectis etiam Decretis ac praxi; hinc Rm̃us Moderator ipsius Academiae ad Sacram Rituum Congregationem, penes quam eadem quaestio alias agitata fuit, humillime accessit, suo et Academiae nomine postulans sequentis Dubii solutionem; nimirum: « *Quinam vere sint solemniores dies, in quibus pro omnibus, peculiare Indultum non habentibus, Missae sunt vetitae in privatis Oratoriis?* » Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, ac re maturo examine perpensa, rescribendum censuit: « *Illi per se sunt solemniores in casu, qui describuntur in Caeremoniali Episcoporum Libr. II, Cap. XXXIV, N. 2, et de praecepto servantur* ». Atque ita rescripsit. Die 10 Aprilis 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

II.

PLACENTINA IN HISPANIA.

Iosephus, Magister Scholarum Ecclesiae Cathedralis Placentinae in Hispania, iussit ex tela subtilissima vulgo «Nipis», nitiditate tenacitateque linum aemulante et aequante (quamvis colore plerumque inferior sit lino accuratissime dealbato), albas confici. Attente tamen inspecto huius Sacrae Rituum Congregationis Decreto 15 Maii 1819, non est ausus eis uti, quia ex lino vel cannabe non essent confectae. Cum vero dicta tela longe pretiosior sit lino, nec materia, ex qua conficitur, ex arboris fructibus, sicut gossypium, proveniat, sed ex ipsius plantae filis, ut linum; et aliunde in laudato huius Congregationi Decreto expresse prohibeatur tantummodo ex gossypio componi, dubitans, utrum ei liceat praedictis albis uti, Sacrorum Rituum Congregationi humiliter subiecit sequentium Dubiorum solutionem, nimirum:

I. Utrum ex tela sive panno, vulgo « Nipis », possint confici Corporalia, Pallae, aut saltem Amictus et Mappae?

II. Quatenus negative ad Primum: Utrum uti liceat iis confectis?

Et eadem Sacra Congregatio, exquisito etiam voto alterius e scientiarum naturalium peritis, reque mature perpensa, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ad utramque partem ».

Ad. II. « Affirmative, tantum quoad Albas, Amictus et Mappas, usquedum consumentur ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 13 Augusti 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

ADNOTATIO SUPER PRAEFATO DECRETO.

Textilia, quae veniunt sub nomine *Nipis,* ex fibris gignuntur plantae cuiusdam, quae a *botanicis* dicitur *Nipa frutescens.* Exurgit et crescit in paludibus ac prope ingentia flumina, eaque terrae parte ab aquis occupata, in Indiis, Moluccis ac Philippinis Insulis. Parum suapte natura se elevat, fructus educit comestibiles, ex quibus dulcis quoque acrisque elicitur spiritus. Super huiusmodi textile, quatenus aptum vel ineptum ut sacra ex eo conficiantur utensilia, belle et erudite scripsit ex officio Rm̃us Dom. Ioseph Antonelli, Scientiarum naturalium Professor in Pont. Seminario Vaticano, a quo haec excerpimus.

Nipis plantae folia pileis efformandis inserviunt, storeis, saccis, aliisque domesticis utensilibus; cumque eadem planta palmae ob magnitudinem assimilari queat, etiam umbellas ex illa Indici construunt. Textile istud ex Hispania ad S. R. Congñem missum, satis subtile est, et quamdam dicit similitudinem cum serico inferioris tamen qualitatis, apprime consistens simulque adeo est tenue, ac pellucidum, ut quasi velum appareat.

Fibrae longiores sunt ac subtiliores quam quae ad linum aut gossypium pertinent, ut plures simul iunctae filum efformare valeant subtile satis ac firmum. Non sunt tamen nodosae aut contortae,

sed aequabiles ac levigatae. Vis nihilominus absorbendi illis est minima, proportione cum lino facta. Insuper planta Nipis vix albedinis est capax. Denique, haud obstante eius tenuitate, minus quam linum, mollem flexilemque se praebet. Ex quibus omnibus facile patet quam sapienter S. R. C. excluserit textile *Nipis* pro sacris utensibilibus, ut lino aut cannabi sufficeretur.

III.

S. C. CONCILII.

Quum S. Congregationi de Propaganda Fide Ioannes Hofman Vicarius Apostolicus loci Chan-Si Meridionalis in Imperio Sinensi sequens obtulerit Dubium: *An Sacerdos in exequiis persolvendis Missam celebrans, non recepto stipendio, debeat pro ipso defuncto, vel potius pro aliis petentibus et eleemosynam offerentibus Sacrificium applicare queat?* eadem S. C. quaestionem S. Congregationi Concilii pro congrua solutione remisit. Cuius haec fuit responsio: « *Negative ad I*um, *Affirmative ad II*um ».

ADNOTATIONES SUPER PRAEFATO DECRETO.

1. Cum nimiam dictum Decretum praeseferat connexionem cum re liturgica, licet ad S. C. C. pertineat, inter Decreta S. R. C. referre maluimus.

2. Rituale Rom. exigit, ut *quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit retineatur, ut Missa, praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur* (Tit. VI, cap. I, n. 4): quae verba novae subiacent expositioni.

3. Communiter nulla ante praefatum Decretum distinctio in casu facta est inter celebrationem et applicationem Missae: ut Parochus, cum non haberetur obligatus ad applicationem, nisi ex accepta eleemosyna, neque proinde ad celebrationem censeretur obligatus.

4. Emus Lambertinius *(Notificat. XXXVI n. 16)* Parochos hortatur, non vult praescribere, ut cadaver non sepeliant, nisi postquam Missam, eo praesente, celebraverint, idque in Ritualis obsequium: item nec illis applicandi onus imponit pro eodem defuncto.

5. Alicubi nihilominus, indubium hoc est, ex lege fortasse synodali, vel ex consuetudine, Parochi Missam, praesente cadavere, semper celebrant, nisi tempus impediat: applicant autem, si eleemosynam acceperint, secus in libertate manent pro aliis applicandi.

6. Quidquid sit de quorumdam Ecclesiarum usibus, generaliter neque ad applicationem, nisi ratione eleemosynae acceptae, neque ad celebrationem Parochi adigebantur in casu: eiusmodi erat Ritualis legis interpretatio.

7. Post Decretum praesens videtur aliter dicta lex interpretanda: ut videlicet verum praeceptum importet, et verba « quantum fieri poterit » tempus solummodo respiciant, quod dictam Missam impedire potest.

8. Durum enim nimis videbatur Parochos obligare sine eleemosyna ad celebrationem (proinde ad applicationem, dum inter utrumque nulla lex distinguebat); cum, ut supercitatus Lambertinius (*loc. cit.*) notat, iam ii tenerentur ad applicationem omnibus singulisque diebus festivis: ex eo mitior Ritualis interpretatio legis.

9. Cum vero impraesentiarum lex alia distinguat, dicatque Parochos Missam celebrantes praesente cadavere, ad illius applicationem nonnisi vi accepti stipendii teneri, diversa Ritualis legis interpretatio fieri optime potest.

10. Parochi enim non amplius ex hac Missae celebratione gravantur, cuius applicatio in eorum libertate manet.

11. Imo et iuvantur; quia Missam de requie celebrare possunt, et applicare pro lubito, diebus, quibus ratione ritus prohibita foret, et tamen ratione defuncti permittitur.

12. Sed vero et defunctus ipse, in cuius gratiam celebratur, quamvis pro alio esse possit applicatio, iuvatur; idque sive ratione precum, quae in Missa communiter fiunt, sive etiam ratione applicationis fructus, quippe qui a Deo et in favorem defuncti, cuius praesens est cadaver, applicari saltem partialiter potest.

13. Posito ergo, quod legis Ritualis obiectum sit tantum Missae celebratio, non vero applicatio, nisi aliunde debeatur, arbitramur, eamdem legem optime intelligi posse praeceptivam: adeo ut nulli defunctorum, nisi temporis ratio vetet, Missae celebratio deneganda sit, antequam sepulturae tradatur.

DISSERTATIO

SUPER QUODAM CASU OCCURRENTIAE

(*Continuatio Vide pag. 256.*)

II.

In articulo praecedenti vidimus Festa occurrentia, nimirum Festa B. M. V. de Bono Consilio et Patrocinii S. Ioseph in Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, utraque Festa haud dubie esse praeceptiva, secundaria et eiusdem ritus. Sed quum Festum B. M. V. de Bono Consilio *subiective* dignius videatur et insuper diei mensis affixum sit, dum alterum Patrocinii S. Ioseph minus di-

gnum considerari possit tum quoad excellentiam personae, tum quia Festum mobile sit, utpote Dominicae assignatum, ex hoc quis forsan concluderet, uti supposui, Festum B. M. V. de Bono Consilio in casu praeferendum esse et alterum Patrocinii S. Ioseph ad primam diem liberam esse transferendum.

At, antequam de praesenti casu occurrentiae conclusionem meam exhibeam, tres alias quaestiones, ad hunc casum spectantes, examinare et solvere cupiebam, uti in fine praecedentis articuli dixi, ut ita cum meliori causae cognitione sententiam satis fundatam proferre valeam.

Istae quaestiones sunt, ut sequitur:

1.° An in Festis *secundariis* dignitas ***subiectiva*** (i. e. excellentia maior personae) in occurrentia consideranda sit ceu titulus praeferentiae, etiam ante illum qui a *solemnitate extrinseca* Festorum petitur?

2.° An Festa *mobilia* (puta, quae alicui Dominicae seu Feriae assignata sunt), in paritate ritus et qualitatis Festi (sive primarii sive secundarii), in occurrentia cedere debeant Festis *immobilibus,* etsi priora *extrinsece solemnius* celebrantur?

3.° An Festum Patrocnii S. Ioseph in casui nostro gaudeat titulo sufficienti *solemnitatis extrinsecae* ad praelationem obtinendam in occurrentia super Festo B. M. V. de Bono Consilio?

Ad has quaestiones respondendum esse arbitror modo sequenti:

I. Ad 1.^{am} quaestionem, puta, an in occurrentia dignitas *personalis* (aut subiectiva) in Festis *secundariis* constituat titulum praeferentiae, etiam

ante *solemnitatem extrinsecam* Festorum, respondendum esse mihi videtur *negative* ob rationes sequentes:

R̃mus Dominus S. M. A. Caprara, S. Fidei Promotor, in suo Voto et Positione additionali, quae ex Officio S. Rituum Congregationi *de Festis primariis et secundariis* obtulit, et supra quae decretum generale, ab eadem S. Congregatione de hac quaestione emanatum, maxime firmatum fuit, opinari videtur, quod in Festis *secundariis* dignitas *personalis*, seu excellentia maior personae, numquam constituere valeat titulum praeferentiae *ante solemnitatem*, sive *intrinsecam* sive *extrinsecam* Festi. E contra ipse probat *solemnitatem extrinsecam* (1) dignitati *personali*, praesertim in Festis *secundariis* inter se occurrentibus, praecedere debere. Eius rationes praecipuae sunt sequentes:

1.° R̃mus auctor *auctoritate celebriorum Rubricistarum* sententiam suam firmat:

a) Primus praeclarus Rubricista, quem laudatus auctor (*Votum*, *n. II*), in medium profert, est Cl. Merati. Postquam Festa *secundaria*, diebus mobilibus assignata, instituta fuerint, quaestio exorta est, ait idem auctor, quaenam praecedentia eiusmodi Festis attribuenda sit casu, quo haec Festa forent in occurrentia seu concurrentia cum aliis Festis immobilibus seu fixis eiusdem ritus et classis. Merati de hac quaestione loquitur, quan-

(1) Per solemnitatem *extrinsecam* auctor intelligit apparatum seu pompam exteriorem (independenter a ritu), quacum Festa celebrantur (*Vide eius Positionem additionalem versus finem*).

do a Benedicto XIII (1) nomen S. Ioseph immediate post illud S. Ioannis Baptistae Litaniis Sanctorum et illis pro Animae commendatione insertum, et ita utpote dignius Ss. Apostolis praepositum fuerit. Exinde Merati circa Festa S. Ioannis Baptistae et S. Ioseph sequens principium statuit:

« Eorum Festa *primaria,* si sint *aequalis ritus,* » in quocumque casu concurrentiae, vel etiam oc» currentiae, semper praeferenda sunt Festis Apo» stolorum. Si vero sermo sit de eorum Festis *se» cundariis* concurrentibus, vel occurrentibus cum » Festis *primariis* Apostolorum *eiusdem ritus,* tunc » non sunt praeferenda, *nisi celebrentur cum ma» iori solemnitate et apparatu,* quam Festa Aposto» lorum » (*Part. I, Sect. III, c. IX, n. 3*). Et ipse addit: « Haec omnia tute assero, accedente etiam » maturo consilio et approbatione peritissimi ac » Illustrissimi Domini Io. Baptistae Gambarucci » Amaseni Archiepiscopi, et Apostolicarum Cae» remoniarum Praefecti ».

Si Cavalieri, animadvertit R̃mus D. Caprara (*loc. cit.*), hoc attentius consideraverat, meliusque attenderat ad approbationem, quam homines peritissimi, inter alios Benedictus XIV (2), Merati opinioni dederunt, arbitror quod ipse Meratum non redarguisset, quasi hic auctor in S. Liturgia quamdam novitatem reprehensibilem introduxisset. Dictum atque scriptum fuit quod Cavalieri illam novam theoriam totaliter destruxerit, sed

---

(1) Decreto *Urbis et Orbis* 19 Decembris 1726 ap. Merati *tom. II, in Indice Decretor. n. 268.* - Cfr. Mühlbauer, *Supplem. tom. II, pag. 363-380.*

(2) Cfr. Mühlbauer, *loc. supra cit.* in not. 1.

satis est ipsius verba attente legere, ut quivis convincatur de contrario. De caetero occasio mihi non deerit, addit R̃mus Caprara, ut de praefato auctore iterum loqui mihi fas sit.

Ex dictis iam satis inferri licet, quod iuxta R̃mum D. Caprara solemnitas *extrinseca*, quacum etiam Festa *secundaria* celebrantur, praeferentiam obtineat super dignitate *personali* Festorum eiusdem ritus (1).

b) Laudatus auctor (*Vot. n. III*), quando probat expressiones *digniori seu solemniori* (2) Rubri-

---

(1) Mihi videtur quod R̃mus D. Caprara hîc nullimode approbare velit Merati exceptionem in tota sua extensione, hoc est, quod Festa *secundaria*, quae cum maiori solemnitate et apparatu celebrantur, praeferenda sint etiam Festis *primariis* eiusdem ritus; hoc enim refragaretur Decreto generali S. R. C. d. 2 Iulii 1893 *de Festis primariis et secundariis.*

(2) Illa duo verba *dignius* et *solemnius* saepe occurrunt tum in Rubricis, tum in Decretis S. R. C., et aliquando unum sumitur pro alio. Hinc ista verba hic breviter explicare peropportunum iudico.

In sensu liturgico triplex in Festis dignitas distinguitur: *a*) dignitas ritus seu classis; - *b*) dignitas Festi, - et *c*) dignitas aut excellentia personae, in cuius honorem Festum celebratur.

Proprie tamen loquendo, dignitas *tamquam attributum Festi* est iste complexus praerogativarum, supra quas praeminentia unius Festi super altero fundata est. Hinc auctores moderni, accuratius loquendo, istam dignitatem distinguunt in *obiectivam* et *subiectivam.* Dignitas *obiectiva* Festi complectitur: 1) Festum, Dominicam, octavam etc., quae sunt privilegiata; - 2) ritum seu classem; - 3) qualitatem Festi, puta primarii vel secundarii. — Dignitas vero *subiectiva* (aut *personalis*) includit solummodo *excellentiam personae*, in cuius honorem Festum celebratur.

Deinde duplex distinguitur in Festis *solemnitas*, alia *intrinseca* et alia *extrinseca.* Solemnitas *intrinseca* est stabilitas, Festo annexa, ut non removeatur a suo proprio die; et ita complectitur

cae tit. X, n. 6, duas rationes praeferentiae distinctas quamvis aequivalentes indicare, ex Rubricistis *Guyetum* in favorem suae explicationis affert. Hic auctor iisdem verbis confirmans thesim, de qua hîc agitur, sibi quaestionem sequentem ponit:

« Duplici proprio occurrente eadem die cum » altero paris Ordinis (*nempe classis*) in Calendario descripto, utrum retinendum, translato altero? » — Rm̃us D. Caprara hoc in loco animadvertit, quod, si auctor citatus sententiam sustineret, ut in paritate ritus et classis dignitas *personae* semper praeferenda sit, nunc casus sese declarandi adesset. Porro Guyetus respondit:

« Tria sunt rationum capita, ex quibus peti » debet quaestionis huius resolutio. Primum est » *maior alterutrius celebritas*, puta si unum est » de praecepto *quoad forum*, non vero alterum, » aut fiat *cum maiori apparatu Chori, frequentiore populi concursu*. Est enim eiusmodi solem-

---

ultro ea, quae dignitatem *obiectivam* constituunt, etiam *excellentiam* aut *dignitatem personae*. *Extrinseca* vero consistit in apparatu seu pompa exteriori, quacum Festum celebratur.

Ex hoc sequitur dignitatem *obiectivam* et *solemnitatem intrinsecam Festi* non prorsus unum et idem significare. Sed cum dignitas *subiectiva* non semper veniat in consideratione, hinc saepe accidit ut dignitas *obiectiva* et solemnitas *intrinseca* Festorum unum et idem indicent. Quidquid sit dignitas *obiectiva* vi Rubricarum dignitati *subiectivae* semper est praeferenda; atque ita intelligendae sunt Rubricae, cum de *digniori seu solemniori* Officium faciendum esse praescribunt (*Cfr. Votum Rm̃i D. A. Caprara, eiusque Position. addition. de Festis primariis et secundariis; item Academ. Liturg. Rom. not. ad solut. cas. II, an. 1893-94 apud Ephemerides Liturg. vol. IX, pag. 90*).

» nitas, ob quam alterum alteri praeferendum edi-
» cit Rubrica X de Translatione Festorum n. 6 etc.»

In paritate classis itaque, ait Rm̃us D. Caprara, prima ratio praelationis est *solemnitas* Festi et hoc iuxta Rubricam. Et 2ª ratio? Guyetus prosequitur: « Secundum, maior personae dignitas, » puta si alterum illorum est Christi Domini, aut » B. Mariae, aut Angeli, aut Apostoli aut Pa- » troni minus principalis, aut secundarium Pa- » troni principalis, erit haud dubie praeferendum » ex eadem Rubrica, interprete Gavanto sect. III, » c. X, n. 5. Sic indicavi iam natalitia Aposto- » lorum aliis eiusdem Ordinis esse praeferenda, etc.» (*Heortol. lib. IV, c. IX, q. 5*).

c) In confirmatione praefatae thesis Rm̃us D. Caprara adhuc adducit alium praeclarum Rubricistam, puta Ioannem Iacobs, Canonicum Ecclesiae Cathedralis Brugensium, qui coaetaneus reformationis Rubricae a Clemente VIII factae a laudato auctore dicitur. Ioannes Iacobs in fine sui *Compendii Caeremoniarum* octo considerationes de Festis celebrandis adiungit, quas Merati suas faciens his terminis de iis loquitur:

« Multa ex his, quae hoc loco adnotavimus, » desumpta sunt ex allegato opusculo Ioannis Ia- » cobs. Omnia vero diligenter discussa et appro- » bata fuerunt a viris in hac scientia Rubricarum » peritissimis; unde crederem posse ab omnibus » ad praxim deduci » (*Sect. III, c. X, n. 13*).

Porro auctor praefatus in sua 4ª consideratione in genere enuntiat sequens principium:

« In praeferentia Festorum in primis habenda » est ratio *solemnitatis; dignitatis* autem nonnisi » in aequalitate solemnitatis ». — Et in 8ª consi-

deratione ipse addit: « Et duplex per annum *maius* » ibidem (*i. e. in Rubrica*) (1) sic extendendum et » accommodandum, ut sub eo comprehendatur tam » *maius dignitate*, quam *maius solemnitate*, id est, » tam dignius quam solemnius, licet enim Festa » eiusdem Ordinis seu generis, in concurrentia et » occurrentia dignius absolute dicitur praeferen- » dum, quia scilicet eiusmodi *per se* sunt *aequalis* » *solemnitatis*, ut indicatur in Rubrica de Con- » currentia Officii num. 2 (2). *Ubi tamen ex con-* » *suetudine unum eorum solemnius celebratur, quam* » *alterum, ibi in concurrentia et occurrentia potius* » *habenda est ratio maioris solemnitatis, quam maio-* » *ris dignitatis, ut supra explicatum est* ».

2.° Rm̃us D. Caprara (*Votum n. III*) adiungit Rubricam tit. X, n. 6 a S. R. C. eodem modo interpretatam fuisse. S. Congregatio enim die 20 Martii 1683 (*ap. Gardellini n. 3019 ad 4*) de hac quaestione interrogata:

« Si Officia quae recitari debent in aliquibus » regnis sunt *eiusdem ritus et dignitatis*, an sit » praeferendum Officium loci, Officio in proprio » Calendario designato? » Respondit:

« Praeferendum esse Officium *quod cum maiori* » *solemnitate et populi concursu celebratur, ad for-* » *mam Rubricae de Translatione Festorum n. 6* ».

---

(1) Notandum est quod in Rubrica primitiva, sub Pio V facta, tit. X, n. 6 ita legatur: « Si duo officia IX Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de digniori, seu de *maiori*, et quod minus est transfertur ».

(2) Hoc loco legimus: « Inter Festa *aequalis solemnitatis* servetur hic ordo, ut Festa Dñi praeferantur omnibus aliis...; sicuti Festa B. Mariae, Festis Sanctorum, etc. »

In hoc decreto itaque supponitur duo Festa esse aequalia quoad ritum et *dignitatem;* sed quod illud verbum *dignitas* referendum sit, non ad *dignitatem personae,* sed ad *dignitatem Festi,* hoc manifestum est ex alio Decreto S. R. C. diei 22 Aprilis 1741 (*ap. Gardell. n. 4110 ad 1*), ubi ita quaeritur:

« Quando Dominica tertia post Pascha, cui est » affixum Festum Patrocinii S. Ioseph secundae » classis, occurrit Festum altioris ritus, ut in Re- » gno Poloniae S. Adalberti Martyris, et S. Sta- » nislai Martyris, utrumque ad populum celebre » secundae classis cum Octava; vel maioris di- » gnitatis, ut Festum Inventionis SS̃mae Crucis; » debeant ne praedicta Festa altioris ritus, vel » maioris dignitatis cedere Patrocinio S. Ioseph; » non obstantibus in contrarium Rubricis, *et De-* » *creto S. R. C. emanato 20 Maii 1683;* An po- » tius in tali occurrentia Patrocinium dictum, iuxta » praefatum Decretum debeat omitti, vel, ex novo » indulto benignissime concedendo, transferri (quod » magis optatur) in Dominicam sequentem, vel » ubi fuerit impedita, in aliam Dominicam, vel » diem non impeditam? »

Et S. R. C. respondit: « *Faciendum est Offi-* » *cium de S. Adalberto Martyre, sive de S. Sta-* » *nislao pariter Martyre in Regno Poloniae, ali-* » *quando occurrens in Dominica tertia post Pascha,* » cum facultate transferendi Festum Patrocinii » S. Ioseph in primam diem non impeditam, quae » tamen non sit Dominica ».

Ut patet ex memorato Decreto verbum *dignitas,* in Decreto d. 20 Martii 1683 allato, haud dubie refertur ad dignitatem *Festi,* et non ad di-

gnitatem personae; secus enim S. Rituum Congregatio in casu praecedentiam dare debuisset Patrocinio S. Ioseph, et non Ss. Adalberto et Stanislao Martyribus (*V. Votum Rm̃i D. Caprara n. V*).

Sensus itaque Rubricae tit. X, n. 6 est, uti concludit Rm̃us D. Caprara (*Votum n. III*), quod in paritate ritus primo praeferendum sit Festum *magis solemne* (N. B. etiam magis solemne *extrinsece*), et dignitas *personalis* tunc tantummodo in consideratione veniat, quando Festa sunt *aequalis solemnitatis*. Idem auctor in sua *Positione additionali* addit: « Si in conflictu *dignitatis* (personalis scilicet) cum *solemnitate* quoad Festa *primaria inter se*, generatim loquendo praeferentia danda sit *solemnitati*, a fortiori Festum *secundarium* cedere debet Festo *primario*, licet minus digno subiective (seu personaliter) ».

3.° Hisce rationibus Rm̃us D. Caprara (*Vot. n. III et Posit. addition. versus medium*) adiungit tertiam rationem, ob quam in Festis *secundariis solemnitas* (etiam *extrinseca*, quacum eiusmodi Festa quandoque celebrantur), sit titulus praeferentiae in occurrentia et concurrentia ante dignitatem *personalem* (1). Illam rationem afferunt Guyetus et Cavalieri, qui, concorditer cum Merato, dicunt dignitatem *personalem* in Festis *secundariis* ad effectum praeferentiae non esse attendendam, sed rationem particularem, ob quam

(1) Notandum est quod Rm̃us D. Caprara absolute non neget principium, quo datur praeferentia Festis, etiam *secundariis*, quae sunt *subiective digniora*; sed iuxta ipsum hoc principium tantum applicari potest, quando Festa sint *eiusdem ritus et solemnitatis* (*V. eius Vot. n. IX et Posit. addition. versus medium*).

instituta fuere. Sic Guyetus (*Heortol. lib. IV, c. XIII, q. 5*) contra Gavantum explicat rationem, ob quam suo tempore Festum Decollationis S. Ioannis Baptistae dimidiatas Vesperas habebat in concursu cum S. Augustino et S. Rosa de Lima, his tribus Festis illo tempore gaudentibus eodem ritu:

« Singularia S. Ioannis dona, *ait laudatus au-* » *ctor,* in Festo Nativitatis ipsius... ab Ecclesia » praecipue coli;... in Festo vero Decollationis uti » Officio, sic nonnisi Martyris cultu ipsum coli: » adeoque in concurrentia aequalem tantummodo » cum quocumque alio ad instar cuiuslibet Marty- » ris haberi ».

Cavalieri hanc doctrinam exposuit pluribus in locis sui operis, cuius titulus *Opera Omnia Liturgica,* sed praesertim *tom. II, cap. XXVII, Decr. 4, n. 2 et 3:*

« N. 2. De Sanctis, inquit ipse, quaestio succe- » dit (*an secant Vesperas in paritate ritus*) qui cum » habeant plura Festa de se instituta, in *natalitia* » *et primario* coluntur Officio eorumdem dignitati » conveniente, non in *secundariis,* cuiusmodi est » utraque Cathedra S. Petri, in qua Officium agi- » tur de Communi Confessoris Pontificis; Decol- » latio S. Ioannis Baptistae, in qua de eodem fit » tamquam Martyre, et Festa Ordinationis ali- » quorum Sanctorum Episcoporum, in quibus de » eisdem fit Officium Confessoris Pontificis.... et » quaeritur: *num haec festa secundaria gaudeant* » *praeferentia, quae eorum dignitati respective de-* » *betur, et in festo primario adhibetur?* » Et auctor respondet:

« N. 3. *Negative,* et Decollatio S. Ioannis Ba- » ptistae quae in dignitate par est, vel Apostolis

» praestat, rem extra dubium collocat, dum, quia » in ea uti Martyr inspicitur, et colitur Officio » Martyris, cum praecedenti Festo S. Augustini » et sequenti S. Rosae in Breviario Vesperas di- » vidit (*res ita erat tempore Cavalieri, cum haec* » *tria festa tunc eodem ritu pollebant, advertit* » *Rmus D. Caprara*); **non cadit siquidem in consi-** » **derationem dignitas praecipua Sancti, dum sub par-** » **ticulari ratione alia Festum instituitur. Tam dicito de** » **aliis** » (*V. etiam tom. I, c. I, decr. 16, n. 22; tom. II, c. 27, Decr. 1, n. 6 et c. 28, decr. 2, n. 3 et 6*) (1).

Ergo iuxta Guyetum et Cavalieri Festa *secundaria*, puta Decollatio S. Ioannis Baptistae, utraque Cathedra S. Petri etc., cedere debent Festis *primariis* Sanctorum (saltem *subiective* aequaliter digna considerantur iuxta eos), quia in istis Festis *secundariis* dignitas *personalis* non veniat in consideratione, sed potius alia ratio, nempe Martyrium seu Pontificium S. Petro concessum, etc.

Eadem ratio, ait Rmus D. Caprara (*Votum n. VIII in fine*), pro pluribus aliis Festis *secundariis* adhuc magis militat. Revera, quis sustinebit quod in Officiis Mysteriorum et Instrumentorum Passionis Domini dignitas *personalis*, saltem *directe*, in consideratione veniat, et non potius cultus Instrumentis ipsius Passionis debitus? Et in Patrocinio B. M. V. seu S. Ioseph nonne favores

---

(1) Tetamo (*Diar. Liturg. etc. notand. in XIV Ianuarii c. 14 n. 18*) loquens de hac limitatione, a Cavalieri posita quoad Festa *secundaria*, addit: « Scopum huius limitationis a Cavaliero appositae haud satis attingo, cum ignorem, an ulla sint in Ecclesia instituta *secundaria* Festa sine aliqua particulari ratione ».

obtenti, vel eorum intercessione expectandi, occasionem praebuerint, ob quam ista Officia respectiva instituta fuere? Et nonne idem dicendum sit, et ratione quidem maiori, ait laudatus auctor, de Festis *secundariis* B. M. V., uti illo Purissimi Cordis, Providentiae, Gratiae, Apparitionis (Boni Consilii *quoque hîc addi licet*), etc.? Haec omnia enim Festa ad subiectum principale *indirecte* dumtaxat referuntur, nec plus nec minus quam Martyrium S. Ioannis Baptistae, Pontificium S. Petri et Conversio S. Pauli.

Ex his omnibus pro nostro casu iure merito concludere possum, ut mihi videtur: Quum in Festis *secundariis* dignitas *personalis,* nisi *indirecte* veniat in consideratione, ad minus quum haec dignitas nunquam attendenda sit ad effectum praeferentiae, nisi forsan quando eiusmodi Festa occurrentia seu concurrentia sint *eiusdem ritus et solemnitatis;* hinc Festum B. M. V. de Bono Consilio, licet videatur subiective dignius, *qua tale*, praeminentiam habere nequit super Patrocinio S. Ioseph, ita non imprimis si hoc ultimum Festum maiori solemnitate extrinseca gaudeat.

(*Continuabitur*).

Batavus *Ord. Min. Capuc.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

V.

Alphonsus, vir generis nobilitate conspicuus, pro sua erga divum Alphonsum de Ligorio peculiari devotione, huius Sancti Festum maxima qua poterat pompa et cultu in palatii Sacello eidem dicato, quotannis celebrare consuevit. Hinc Petrus Sacerdos qui iam ab annis pluribus munus cappellani ibidem gerit, huiusmodi Festum, utpote Titulare, ritu duplici primae classis cum octava a se et caeteris Sacerdotibus ad Sacrum faciendum ibidem confluentibus, quavis omissa commemoratione vel imperata Oratione, et adiecto symbolo, illud celebrare contendit. Defuncto iam a triennio Alphonso, Sacellum hoc in praestantiorem ab eius haeredibus formam redactum, veteri Titulo posthabito, B. Mariae V. sub apppellatione SS. eius Nominis dedicare percupiunt. Cui novitati acriter se opponit Petrus, affirmans, absque Sedis Apostolicae venia hoc haudquaquam fieri posse: quinimo omnibus Titularium iuribus ipso facto Oratorium omnino privari.

Quaeritur:

1. *Num Mysteria vel Sancti, quibus Oratoria dicari solent, attenta antiqua et vigenti Ecclesiae disciplina, revera pro Titularibus habendi sint; omniaque Titularium privilegia huiusmodi Oratoriis attribui possint nec ne?*

2. *Utrum in eorumdem festo die, privilegiatus celebrationem plurium Missarum in suo privato Oratorio permittere valeat?*

3. *Licetne absque Sedis Apostolicae vel Episcopi venia, Titulares, si qui sint, Oratoriorum quorumcumque ad libitum immutare?*

4. *Quid ergo dicendum de tota facti serie in casu proposita, omnibus perpensis circumstantiis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Francisci Balducci Pont. Seminarii Pii alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 13 Febr. 1895; acta Epitoma per Rmum P. Henricum Chatillon O. P.

I. Quaeritur num Mysteria vel Sancti, quibus Oratoria dicari solent, attenta antiqua et vigenti Ecclesiae disciplina, revera pro Titularibus habendi sint; omniaque Titularium privilegia huiusmodi Oratoriis attribui possint nec ne. Ut adamussim quaestioni respondeamus, opportunum ducimus, imo et necessarium, vel breviter innuere, quid nomine Titularis Ecclesiae veniat in sensu liturgico, et quomodo fiat ut aliquis Sanctus vel Mysterium det Ecclesiis nomen et fiat Titularis, eo sensu qui exquiritur in casu. Notum satis est omnibus iam ab initio solitos fuisse Christianos Ecclesias quascunque manufactas directe ac principaliter Deo Optimo Maximo dedicare. Qua de re nil utilius, nil opportunius quam, praeter alias pietatis cultusque rationes, ad singulas distinguendas, peculiare unicuique nomen imponere, et quidem rerum vel personarum Deo ipsi pertinentium et sacrarum. « Nam, ait Guyetus, quod est homini

baptizato nomen impositum, hoc idem est Ecclesiae dedicatae Patronus seu Titulus, quo ipsa nuncupatur et ab aliis Ecclesiis proprio veluti nomine dignoscitur *(Lib. I, c. IV)* ». Primis Ecclesiae saeculis non dabatur occasio nomen speciale quaerendi alicuius Sancti, prout actum est posterioribus saeculis, ad Titulum sacris aedibus assignandum; eo quod Christiani tunc temporis solebant Ecclesias aedificare vel iis in locis, ubi Martyres Christianae Fidei sanguinis tributum solverant, vel supra sepulcrum alicuius Sancti, ut notatur in Hymno 5.° S. Vincentii; et quia id in memoriam Athletarum Christianorum fiebat, Ecclesiae *Memoriae* dicebantur. Hinc locus idem Titulo novam Ecclesiam vel Oratorium donabat. Serius, Ecclesiis ubique locorum erectis, usus invectus est expresse nominandi Titulares Sanctos seu Mysteria, ad quorum memoriam recolendam, ipsae Ecclesiae Deo dedicabantur, et hic usus adhuc viget, imo liturgice praescribitur Episcopum consecrantem debere explicite mentionem facere de Sancto in cuius honorem Ecclesia dedicatur, ut videre est in Pontificali Romano, ubi seu in Litaniis, seu in plurimis Orationibus et formulis occurrit invocandum *nomen* et *memoria* eius: et testimonium scribere peractae consecrationis in *Chartula de pergameno,* quae eiusdem Sancti nomen contineat, quaeque una cum Reliquiis Sanctorum et tribus granis incensi in Altaris sepulcro reconditur. Unde concludendum est, nomen Ecclesiae, seu Titulum, semper impositum fuisse, implicite vel explicite in ipso consecrationis sive dedicationis actu; quod verba Ivonis illustrant, iuxta quae Ecclesiae consecratio

Baptismus appellata est, quamvis aliud non sit quam huius signum et symbolum: « Ipsum Templum suo modo et ordine baptizamus *(De Sacr. Dedic.)*. » Et hoc si dedicatio fiat in forma solemni, si nempe Ecclesia consecretur; quod si benedicatur tantummodo, tunc etiam imponitur Titulus, cuius explicite mentio fit in quadam Oratione et Litaniis ex Ritualis Rom. praescripto *(Tit. VIII, Cap. XXVII)*. Verus Titularis est ergo ille Sanctus vel Mysterium, ex quo nova Ecclesia nomen sumit in ipso consecrationis seu benedictionis actu.

Perpendamus nunc utrum Oratoria veros proprieque dictos Titulares habeant. Ex iam dictis hac generatim ratione respondere fas est: si Oratoria iuxta Pontificale consecrata, vel iuxta Rituale benedicta fuere, Titulares profecto habebunt in sensu liturgico: secus autem, nomen quidem assumere poterunt ab aliquo Sancto vel Mysterio, at nunquam Titularem proprie dictum; nec consequenter gaudere dicentur privilegiis, quae illorum sunt propria. Ad aequivocationes vitandas, adnotare oportet, antiquitus nomine Oratorii quemcumque locum orationi aptum appellatum fuisse, et hoc sub nomine receptas quoque Ecclesias, in quibus Missae et sacrae laudes persolvebantur: et quia hae divino cultui exclusive dedicabantur, proprio Titulo profecto non carebant, implicite saltem imposito, uti nuper innuimus. Nunc vero nomine Oratorii intelligimus privatum Sacellum, vel eas Ecclesias arctioris formae, ut plurimum ab aliis maioribus dependentes, et quae rarius patent, aut remotis in partibus sitae sunt, et ideo a paucioribus frequentatae.

Quod antiquitus non semel etiam privata Oratoria consecrarentur, antequam Ss. Missae Sacrificium in iis celebrare liceret, testis est S. Gregorius Magnus in suis Epistolis, ex quibus constat ipsum Pontificem quandam facultatem Timotheae nobili mulieri Ariminensi fecisse Oratorium erigendi in honorem S. Crucis, et alias piae cuidam feminae neapolitanae, nomine Ianuariae, eundem favorem contulisse, ut nempe Oratorium aedificaret in honorem SS. Severini Confessoris et Iuliani Martyris. Idem Pontifex iussit ut Episcopi Ariminensis et Neapolitanus dicta Oratoria respective consecrarent. Verum animadvertendum est Oratoria privata antiquorum plurimum discrepare ab hodiernis Oratoriis privatis, seu domesticis, quamquam privata et illa, quippe quae reservabantur usui praecipue et commoditati privatae familiae; solebant tamen a fundamentis excitari, seorsim a reliqua domestica habitatione, et quia ad divinum cultum unice erigebantur, Episcopus interveniebat, qui Crucem in loco designato collocabat, Sanctorum Reliquias includebat, Oratoriumque consecrabat. Insuper, quod tunc temporis Parochiarum numerus exiguus erat, Cappellanus eligebatur ad divinum cultum assidue exercendum, *quoties fidelium concursus exegerit*, ut se exprimit laudatus Sanctus Gregorius Magnus; idcirco talia Oratoria locum tenebant illarum, quae hodie sunt vere Ecclesiae, non quidem Cathedrales, Collegiales, Parochiales nec Conventuales, independentes tamen et ad populi commoditatem, non exclusive alicuius familiae, Collegii etc. et proinde gaudentes privilegio Titularis, quod proprium est Ecclesiae proprie dictae, non

vero Oratorii. Pluribus S. R. C. Decretis declaratum est publicas Cappellas easque, quae sunt ad instar, nempe Episcoporum, Seminariorum, Hospitalium etc. non habere ius ad Titularem colendum ritu dupl. 1^{ae} classis cum *Credo* et octava (Cfr. Decr. *Marsorun.*, 12 Novembr. 1831 ad 34, et *Vicav. Ruremund. in Holland.*, 27 Febr. 1847, ad 2). Excipe si publicum Oratorium consecratum fuisset, aut saltem benedictum forma solemni quae a Rituali Romano praescribitur, tunc enim Missa de Sancto Titulari fieri potest et debet; et omnem dubitationem aufert sequens Decretum S. R. C. in *Mechlinien.* 7 Decembr. 1844: « Iuxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 12 Novembris 1831 celebrari non debet ritu duplicis primae classis cum *Credo* et octava Festum Titularis Cappellarum publicarum quae existunt in Hospitalibus, domibusque Regularium. Verum existunt in Dioecesi Mechliniensi plura huiusmodi Oratoria benedicta, quandoque etiam consecrata, quibus unus saltem Sacerdos, tamquam Director seu Pastor adscriptus est, qui ex speciali commissione Ordinarii non tantum ibidem celebrat, sed et munia quaedam pastoralia exercet, v. gr. instruendo populum, aliqua Sacramenta administrando etc. Quaeritur ergo an sub Decreto supracitato comprehendantur etiam praedicta Oratoria 1.° si sint publica; 2.° si non sint publica, sed tantum inserviant determinatis personis, ex. gr. infirmis in Nosocomiis, vel Monialibus, aut aliis in Monasterio, sive conventu commorantibus?..... Ad Dubii II quaest. 1. et 2. Negative iuxta Decretum diei 12 Novembris 1831 ». Oratoria mere privata, utpote quae Titularem pro-

prie dictum non habent (nullus enim constituitur, cum consecrationi vel solemni benedictioni locus non fiat, sed si lubeat, benedici tantum valent simplici ritu, qui pro domus benedictione in Rituali habetur), nullo gaudent privilegio ad celebrandum Sanctum vel Mysterium, cui ex pia fundatoris voluntate privatim tantum dedicantur, et consequenter Missa in eiusdem festo die, non aliter celebrari potest, quam ut in Calendario assignatur.

II. Ulterius quaeritur utrum in eorumdem Mysteriorum vel Sanctorum festo die, privilegiatus celebrationem plurium Missarum in suo privato Oratorio permittere valeat. In ultimo huius illustris Academiae conventu actum est de quaestione, an duobus privilegiatis in eodem privato Oratorio liceat Sacrum facere, et negativa responsio data est, ratione allata, quod in indulto haec verba habeantur:... *unam Missam pro unoquoque die;* et: *dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri non fuerit concessa.* Ex his concludere debemus: si duplex Missa celebrari non licet in eodem privato Oratorio a duobus quantumvis privilegiatis, a fortiori nunquam licebit extraneis. At posset inquiri an saltem id fieri valeat de licentia Ordinarii, quia privilegio a S. Sede concesso Sacrum faciendi in privato Oratorio, iam locus aptus declaratus est ad divina Mysteria celebranda; ac proinde, si generatim praescribitur in Indulto unicam esse debere Missam, pro unoquoque die, id fit ad regulam generalem statuendam, cui non videretur iniuria inferri, si in tali circumstantia clausula non impleatur, non tamen e privato arbitrio sed de con-

sensu Episcopi, cui competit invigilare ne plus aequo privilegio quis perfruatur. Attamen negative respondendum esse non inficiamur, eo quod in privilegiis attendenda est adamussim maior vel minor latitudo ex obvio sensu verborum, sub quibus conceduntur; et ideo cum habeatur in casu forma indulti taxative limitativa ad *unicam* Missam pro *unoquoque* die, nulla valet epikeia hos fines transcendere. Ceterum deesset quaecunque plausibilis ratio, non enim agitur de casu gravis necessitatis, pro qua Episcopus facultatem celebrandi concedere posset; nec valet quidquam ratio Festi Titularis, iam enim vidimus in casu non haberi proprie dictum; nec populi concursus, qui supponi posset, praecipue si ageretur de domo magni viri, esset quippe semper, in loco omnino privato, qui nullo, ut vidimus, gaudere potest quoad hoc, privilegio. Si quis ergo privilegium amplius exoptat, ad Summum Pontificem recursum habere debet.

III. Quaeritur tertio loco: Licet ne absque Sedis Apostolicae vel Episcopi venia, Titulares, si qui sint, Oratoriorum quorumcunque ad libitum immutare? Antequam directe huic quaestioni respondeamus, opus est hac de re nonnulla adnotare, quae sunt circa Titulares Ecclesiae proprie dictae, ut comparatione instituta et proportione servata scopum attingamus. Contingit non semel, quod « Ecclesiae iam dicatae, ait Cl. Cavalieri *(T. I. c. II. Decr. 5, n. 19)*, ac de Sancti alicuius nomine appellatae, Patronus alter, seu Titulus superveniat, a quo ipsa nomen aliud, sive relicto, sive retento priore, accipiat. Huiusce rei quamplurima utique suppetunt exempla et prae-

sertim in antiquioribus, et primariis Ecclesiis, quae cum sint Sancto alicui antiquitus nuncupatae, invecto postea in eadem corpore Sancti alterius miraculorum gloria percelebris, aut in iisdem detecta imagine aliqua Christi, vel B. Mariae opitulationum gratia admodum insigni, factum est ut populis ipsorum opem ac subsidium frequenti concursu reclamantibus, hi quoque in Patronos adscititios dictarum Ecclesiarum electi sint, quinimmo quod Ecclesiae ipsae, obliterato, saltem apud vulgus, priori Titulo, de eorum nomine communiter deinceps appellatae fuerint ». Nihilominus regula communis est non posse immutari Titulares Ecclesiarum (cfr. Decr. in ***Molinen.*** 12 Septembris 1857 ad XIV); ratio autem, ut bene ponderat Guyetus *(lib. I, cap. 7, quaest. 11)* loquens de Patronis, est, quod eos mutari sic, ut unus dimittatur prorsus, et alter assumatur, nec Sanctorum ipsorum gloriae, quibus constans semper est suis nobis intercessionibus succurrendi voluntas nec populorum utilitati conducit, quorum solida debet esse pietas, et ab eiusmodi mutandi prurigine aliena. Igitur, regulariter loquendo, si qui sunt Titulares noviter invecti, non in praeiudicium antiquiorum locum electi dicendi sunt, sed, ut recte loquitur Cavalieri, *adscititii* habendi. Ad rem Caeremoniale Monasticum Congregationis S. Mauri *(lib. IV, c. 16):* « Patronus Ecclesiae alius est Titularis, alius non Titularis: Titularis est sub cuius nomine Monasterium a principio suae fundationis est dedicatum; non Titularis vero, qui succedente tempore fuit in Patronum ex devotione populi, vel aliis causis cooptatus ».

Iuxta Cavalieri sentiendi modum *(loc. cit. n. 26)* Titulares mutari queunt nova accedente Ecclesiae Dedicatione. Sed quidquid sit de veritate huius asserti, magis arridet Guyeti doctrina, cum ait: « Si quando accidat Ecclesiam aliquam dirutam reaedificari, ac denuo consecrari, aequum est maxime, ut non sub alio, quam sub priori Titulo dedicetur eodemque nomine, quo alias, deinceps etiam nuncupetur *(Lib. I. c. 4. quaest. 4)* ».

S. R. C. Decreto 6 Sept. 1834 (in *Tarvisin.*) negativam prorsus responsionem dedit Episcopo requirenti: « An licite possit iure ordinario prohibere, ne Ecclesia in posterum duplici appelletur Titulo in solemni dedicatione usurpato », etiam ad iurgia, discordias etc. vitandas. Quod recte factum est, « nam (Gardellini *Adnot. in dict. Decr.*) unaquaeque Ecclesia ab illius Sancti nomine, cui dedicata fuit, suam accipit appellationem, et sicuti nova Ecclesiae dedicatio, stante integra priori consecratione, inanis omnino est, quia inaniter consecratur, quod execratum non evasit, ita inanis Titularis immutatio esset... simul autem iniuriosa nimis ». Eadem S. Congregatio praxim confirmat Decr. 18 Februarii 1843 (in *Brugen.*). Ad dubia enim: « 1° Utrum semel assignato Titulari Patrono alicui Ecclesiae, liceat Episcopo rationabili ex causa illum in alium immutare? 2° Et quatenus negative, enixe efflagitat ut ex Apostolico Indulto haec sibi facultas in casu elargiatur », respondit: « Ad 1^{um} Non licere. Ad 2^{um} Pro gratia assumendi Sanctam Annam in Contitularem cum S. Andrea Apostolo, facto verbo cum Sanctissimo ». (Sanctitas Sua Rescriptum adprobavit confirmavitque die 11 Mart. eiusdem anni.) Hinc deducitur Ti-

tularem non posse immutari, nec adiici Contitularem absque expressa Apostolicae Sedis licentia.

Nunc, quod ad casum nostrum pertinet, inspiciamus utrum eadem regula servari debeat quoad Oratoria tam publica, quam privata. Iam superius vidimus etiam Oratoria consecrata, vel benedicta iuxta ritum a Rituali Rom. praescriptum, habere proprium Titularem colendum uti illos Ecclesiarum consecratarum ritu duplici 1.^{ae} classis cum *Credo* et Octava. Non est igitur ambigendum an, quod dictum est de veris Ecclesiis, quoad electionem et perpetuum cultum Titularium, ad publica Oratoria saltem solemniter benedicta extendendum sit, ita ut nequeant immutari, imo nec novi superaddi prioribus. Quod autem attinet Oratoria mere privata, quae non gaudent Titulari in sensu liturgico, nulla lex prohibet ne Titularis immutetur aut alius adiungatur; debita tamen reverentia in Sanctos non sinit quemquam leviter tales substitutiones peragere; quatenus vero alii superaddantur, sobria quandoque devotio facilius suadere poterit.

IV. Ex hucusque dictis, haud ardua ad 4.^{am} quaestionem responsio. Quid dicendum de tota facti serie in casu proposita? Pompa, cui alluditur in celebratione Festi S. Alphonsi, consistere posse autumamus in Missa cum cantu celebrata, in plurium Missarum celebratione. in populi concursu etc. De Missa solemni vel cantata silemus, cum de illa sermo sit habendus in alia proxime futura quaestionum huius Academiae. De pluribus Missis a Sacerdotibus confluentibus celebratis, dicendum, celebratas fuisse contra Indultum, si in forma ordinaria datum fuerat. Quod si specialius privile-

gium plures Missas indulsisset, male se gesserunt Petrus et alii Sacerdotes ritum dupl. 1ae classis instituentes, octavam donantes, commemorationes orationesque imperatas omittentes; Titularis enim Oratorii in casu nullo liturgico iure institutus erat, proindeque nullo veri Titularis privilegio honorandus. Symbolum tamen recitari debebat, non ad Titularis qualitatem illud referendo, sed Doctoris Ecclesiae, qua S. Alphonsus de Ligorio iure pollet. Zelus Petri, quo se opposuit immutationi Tituli Oratorii, laudandus pro ea parte, qua iniuriam quodammodo in S. Alphonsum redundantem arcere forte studebat, non autem ex parte rationum quas afferebat, de venia nempe Apostolicae Sedis non quaesita, ac de privatione iurium, quibus nullimode Oratorium gaudebat. Rem tamen componere poterat, se sancti Doctoris remotioni opponens, et B. M. V. electioni in Contitularem (ex privata devotione semper loqui intendimus) acquiescens. De populi concursu nil dicimus, nullimode enim prohibetur quibuscumque personis ad privata Oratoria accessus; satis est adnotare, die festo de praecepto recurrente, non posse fideles in Indulto non comprehensos in privato Oratorio Missae adstantes, obligationi satisfacere audiendi Sacrum, cum non sit pro omnibus locus aptus. Postremo animadvertimus haeredes Alphonsi non potuisse privilegio frui Oratorii privati ad effectum Missae celebrandae, si Indultum in forma ordinaria ipsi Alphonso concessum fuisset, sic namque personale est et cum persona extinguitur.

SPECIMEN KALENDARII
UNIVERSALIS ECCLESIAE

PRO ANNO DOMINI 1897

in quo PASCHA contingit die 18 Aprilis.

Tabella Temporaria

Litera Dominicalis . . . . . c.
Aureus Numerus . . . . . . 17.
Epacta . . . . XXVI.
Litera Martyrologii . . (magna) G.
Indictio Romana . . . . X.
Cyclus Solaris . . . . 2.
Dominicae post Epiphaniam N. 5.
Dominicae post Pentecosten N. 24.

Festa Mobilia

Septuagesima . . . . 14 Febr.
Dies Cinerum . . . . 3 Mart.
Pascha Resurrectionis . . . 18 April.
Rogationes . . . . 24, 25, 26 Maii.
Ascensio Domini . . . . . . 27 Maii.
Pentecostes . . . . 6 Iunii.
Corpus Christi . . . . 17 Iunii.
Dominica 1. Adventus . 28 Novem.

Quatuor Anni Tempora

In vere . . . . . . 10, 12, 13 Mart.
In aestate . . . . 9, 11, 12 Iunii
In autumno . . 15, 17, 18 Septem.
In hyeme . . . . 15, 17, 18 Decem.

Nuptiae celebrari possunt

A die 7 Ianuarii usque ad diem 2 Martii inclusive, et a die 26 Aprilis usque ad diem 27 Novembris pariter inclusive.

IANUARIUS.

✠ 1. F. 6. Circumc. Dni *d. 2. cl.*
2. S. Oct. Stephani *d.* c. octavar.
✠ 3. D. (*vacat*) Oct. Ioannis *d.* c. oct.
4. F. 2. Oct. Innoc. *d.*
5. F. 3. Vigil. Epiph. *sem.* c. Telesphori.
✠ 6. F. 4. **Epiphaniae Dni** *d. 1. cl. cum oct. priv.*

Cras mane aperiuntur Nuptiae.

7. F. 5. De 2. die infra oct. *sem.*
8. F. 6. De 3. die infra oct. *sem.*
9. S. De 4. die infra oct. *sem.*
✠ 10. D. infra oct. 1. p. Epiph. *sem.* c. oct. — *Inc. Ep. I. ad Corinth.*
11. F. 2. De 5. die infra oct. *sem.* c. Hygini.
12. F. 3. De 6. die infra oct. *sem.*
13. F. 4. Oct. Epiph. *d.*
14. F. 5. Hilarii *d.* c. Felicis.
15. F. 6. Pauli I. Er. *d.* c. Mauri.
16. S. Marcelli I. *sem.* « Resumuntur Suffragia ».
✠ 17. D. 2. p. Epiph. Nominis Iesu *d. 2. cl.* c. Antonii ac Dom.
18. F. 2. Cathedrae Rom. *d. m.* c. Pauli Ap. ac Priscae.
19. F. 3. Canuti *sem. ad lib.* c. Marii et Soc. — *Inc. Ep. II. ad Corinth.* (ex Dom. praec.)
20. F. 4. Fabiani et Sebastiani *d.*
21. F. 5. Agnetis *d.*
22. F. 6. Vincentii et Anastasii *sem.* (Romae *d.*)
23. S. Raymundi a Peñaf. *sem.* c.

Emerentianae. — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* Desponsatio B. M. V. *d. m.* c. Ioseph ac Emerentianae.

✠ 24. D. 3. p. Epiph. Timothei *d.* c. Dom. — *Inc. Ep. ad Galatas.* — *Romae et aliq. loc.* S. Familiae *d. m.* c. Timothei et Dom.

25. F. 2. Conversio Pauli *d. m.* c. Petri Ap.

26. F. 3. Polycarpi *d.* — (Romae et ubi Dom. praec. peractum est Off. S. Famil. *Inc. Ep. ad Galatas,* ex Dom. praec.)

27. F. 4. Io. Chrysostomi *d.* — *Inc. Ep. ad Ephesios.*

28. F. 5. Agnetis *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Agnetis.

29. F. 6. Francisci Salesii *d.*

30. S. Martinae *sem.* (Romae *d.*)

✠ 31. D. 4. p. Epiph. Petri Nolasco *d.* c. Dom. — *Inc. Ep. ad Philipp.*

FEBRUARIUS.

1. F. 2. Ignatii *d.*

✠ 2. F. 3. PURIFICATIONIS B. M. V. *d. 2. cl.*

3. F. 4. Blasii *simp.* — *vel* Vot. Ioseph c. Blasii. — *Inc. Ep. ad Coloss.* (ex fer. 3. praec.)

4. F. 5. Andreae Corsini *d.* — *Inc. Ep. I. ad Thessal.*

5. F. 6. Agathae *d.*

6. S. Titi *d.* (*In Stat. Eccl.* Hyacinthae Mariscott. *d.*) c. Dorotheae. — *Inc. Ep. II. ad Thessal.*

✠ 7. D. 5. p. Epiph. Romualdi *d.* c. Dom. — *Inc. Ep. I. ad Timoth.*

8. F. 2. Ioannis de Matha *d.*

9. F. 3. Cyrilli Alexandrini *d.* (*In Stat. Eccl.* Titi *d. ass. ex 6 hui.*) c. Apolloniae. — *Inc. Ep. II. ad Timoth.*

10. F. 4. Scholasticae *d.*

11. F. 5. Sept. Fundatorum *d.* — *Inc. Ep. ad Titum.*

12. F. 6. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. 2. p. Epiph.) — *vel* Vot. Passionis — *Inc. Ep. ad Philemon.* (ex Sabb. seq.) — *In Stat. Eccl.* Cyrilli Alexandrini *d.* (*ass. ex 9 hui.*) ll. 1. N. Scr. curr. — *Extra Stat. Eccl. in loc. quib. concess. est Off. Desponsat.* Raymundi a Peñaf. *sem.* (*ass. ex 23 Ian.*). — *Inc. Ep. ad Philemon.* (ex Sabb. seq.)

13. S. De D. 6. p. Epiph. *simp.* (℟℟. fer. 4. sed ubi heri peract. est Off. 9 lect. ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 2. p. Epiph.) — *In Stat. Eccl.* Raymundi a Peñaf. *sem.* (*ass. ex 23 Ian.*) ll. 1. N. *Inc. Ep. ad Philem.* 9. l. hom. et com. Dom. 6. p Epiph. in Laud. et Miss.

✠ 14. D. SEPTUAGESIMAE *2. cl. sem.* c. Valentini.

15. F. 2. Faustini et Iovitae *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Faustini et Iovitae.

16. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) — *aliq. loc.* Orationis Dñi *d. m.*

17. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

18. F. 5. Simeonis *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Simeonis.

19. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.

20. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 21. D. Sexagesimae *2. cl. sem.*
22. F. 2. Cathedrae Antioch. *d. m.* c. Pauli Ap.
23. F. 3. Petri Damiani *d.* c. Vigil. — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.* c. Vigil. tant.
† 24. F. 4. Mathiae *d. 2. cl.*
25. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. — *In Italia et ubi est concess.* Margaritae Corton. *sem.* — *aliq. loc.* Petri Damiani *d.* (*f. 23 hui.*)
26. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc. in Italia et ubi est concess. Off. S. Margaritae Corton.* Petri Damiani *d.* (*f. 23 hui.*)
27. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 28. D. Quinquagesimae *2. cl. sem.*

MARTIUS

1. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
2. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).

Cras claudUntur Nuptiae.

3. F. 4. Cinerum *simp.*
4. F. 5. Casimiri *sem.* c. Lucii I. (Per tot. Quadr. in Off. de Ss. dicitur 9. l. de hom. et fit com. feriae).
5. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Spineae Coronae *d. m.*
6. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.

Incipit pars verna breviarii.

✠ 7. D. 1. Quadrag. *1. cl. sem.* c. Perpetuae et Felicitatis.
8. F. 2. Ioannis de Deo *d.*
9. F. 3. Franciscae Rom. *d.*
10. F. 4. Quat. Temp. Quadraginta Mm. *sem.*
11. F. 5. Thomae Aquinatis *d.* (*f. 7 hui.*)
12. F. 6. Quat. Temp. Gregorii I. *d.* — *aliq. loc.* Lanceae et Clavor. *d. m.*
13. S. Quat. Temp. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept. — *aliq. loc.* Gregorii I. *d.* (*f. 12 hui.*)
✠ 14. D. 2. Quadrag. *2. cl. sem.*
15. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
16. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli.)
17. F. 4. Patritii *d.*
18. F. 5. Cyrilli Hierosol. *d.* — *aliq. loc.* Gabrielis Archang. *d. m.*
✠ 19. F. 6. **Ioseph** *d. 1. cl.*
20. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept. — *Ubi vero est concess.* Sacr. Sindonis Dñi *d. m.* (*f. 19 hui.*) — *aliq. loc.* Cyrilli Hierosol. *d.* (*ass. ex 18 hui.*)
✠ 21. D. 3. Quadrag. *2. cl. sem.*
22. F. 2. Benedicti *d. m.* (*f. 21 hui.*) — *In Italia* Catharinae Fliscae Adurnae *d.*
23. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *In Italia* Benedicti *d. m.* (*f. 21 hui.*) — *aliq. loc. extra Ital.* Sacr. Sindonis Dñi *d. m.* (*f. 19 hui.*)
24. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *aliq. loc. in Italia* Sacr. Sindonis Dñi *d. m.* (*f. 19 hui.*)
✠ 25. F. 5. **Annuntiationis B. M. V.** *d. 1. cl.*
26. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Sacr. Quinque Vulner Dñi *d. m.*

27\. S. Ioannis Damasceni *d.*
✠ 28. D. 4. QUADRAG. *2. cl. sem.* c. Ioannis a Capistrano.
29\. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
30\. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli.)
31\. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

APRILIS.

1\. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
2\. F. 6. Francisci a Paula *d.* — *aliq. loc.* Pretiosiss. Sanguinis Dñi *d. m.* c. Francisci a Paula.
3\. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 4. D. PASSIONIS *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia et Off. vot. »
5\. F. 2. Vincentii Ferreri *d.*
6\. F. 3. Isidori *d.* (*f. 4 hui.*)
7\. F. 4. De ea.
8\. F. 5. De ea.
9\. F. 6. Septem Dolorum B. M. V. *d. m.*
10\. S. De eo.
✠ 11. D. PALMARUM *1. cl. sem.*
12\. F. 2. mai. hebd. De ea.
13\. F. 3. mai. hebd. De ea, c. Hermenegildi.
14\. F. 4. mai. hebd. De ea, c. Iustini ac Tiburtii et Soc.
15\. F. 5. in COENA DOMINI *d. 1. cl.*
16\. F. 6. in PARASCEVE *d. 1. cl.*
17\. SAB. SANCTUM *d. 1. cl.* (nihil de Aniceto)
✠ 18. D. Pascha Resurr. *d. 1. cl. cum oct. privil.*
† 19. F. 2. DE EA *d. 1. cl.*
† 20. F. 3. DE EA *d. 1. cl.*
21\. F. 4. De ea *sem.*
22\. F. 5. De ea *sem.* c. Soteris et Caii.
23\. F. 6. De ea *sem.* c. Georgii.
24\. S. De eo *sem.* c. Fidelis a Sigmaringa.
✠ 25. D. IN ALBIS *1. cl.* De ea *d.*
26\. F. 2. Cleti et Marcellini *sem.* — *Inc. lib. Act. Ap.* — *aliq. loc.* B. M. V. de Bono Consilio *d. m.*
27\. F. 3. MARCI *d. 2. cl.* (*f. 25 hui.*) — *aliq. loc.* Cleti et Marcellini *sem.* (*ass. ex 26 hui.*) — *Inc. lib. Ant. Ap.* (ex fer. 2. praec.)
28\. F. 4. Pauli a Cruce *d.* c. Vitalis.
29\. F. 5. Petri *d.*
30\. F. 6. Catharinae Sen. *d.* (Romae *d. 2. cl.*)

MAIUS.

† 1. S. PHILIPPI ET IACOBI *d. 2. cl.*
✠ 2. D. 2. p. Pascha. Athanasii *d.* c. Dom.
† 3. F. 2. INVENTIO CRUCIS *d. 2. cl.* c. Alexandri I. et Soc. in Laud. et Miss. privat.
4\. F. 3. Monicae *d.*
5\. F. 4. Pii V. *d.*
6\. F. 5. Ioannis ante P. L. *d. m.*
7\. F. 6. Stanislai *d.*
8\. S. Appar. Michaëlis Archangeli *d. m.*
✠ 9. D. 3. p. Pascha. PATROCINII IOSEPH *d. 2. cl.* c. Dom.
10\. F. 2. Antonini *d.* c. Gordiani et Epimachi. — *Inc. lib. Apocal.* (ex Dom. praec.)
11\. F. 3. Leonis I. *d.* (*f. 11 April.*) — *aliq. loc.* MARCI *d. 2. cl.* (*f. 25 April.*)
12\. F. 4. Nerei et Soc. *sem.*

13. F. 5. Anselmi *d.* (*f. 21 Apr.*) — *aliq. loc.* Leon. I. *d.* (*f. 11 Apr.*)
14. F. 6. Gregorii Nazianzeni *d.* (*f. 9 hui.*) c. Bonifacii — *aliq. loc.* Anselmi *d.* (*f. 21 Apr.*) c. Bonifacii.
15. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *aliq. loc.* Gregorii Nazianzeni *d.* (*f. 9 hui.*)
✠ 16. D. 4. p. Pascha. De ea *sem.* c. Ubaldi — *aliq. loc.* Ioan. Nepomuceni *d.* c. Dom. — *Inc. Ep. Iacobi.*
17. F. 2. Paschalis Baylon *d.*
18. F. 3. Venantii *d.*
19. F. 4. Petri Caelestini *d.* c. Pudentianae.
20. F. 5. Bernardini Sen. *sem.*
21. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis. — *In Italia* Felicis a Cantalicio *sem.* — *aliq. loc. extra Ital.* Ubaldi *sem.* (*ass. ex 16 hui.*)
22. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — — *aliq. loc. in Ital.* Ubaldi *sem.* (*ass. ex 16 hui.*)
✠ 23. D. 5. p. Pascha. De ea *sem.* — *Inc. Ep. I. Petri.*
24. F. 2. Rogat. De ea — *vel* Vot. Angel. c. fer. — *In Stat. Eccl.* B. M. V. Auxil. Christ. *d. m.* c. fer.
25. F. 3. Rogat. Gregorii VII. *d.* c. Urbani I. (In Miss. 3. or. fer.)
26. F. 4. Rogat. Vigil. Ascens. Philippi Neri *d.* c. Vigil. ac Eleutherii. In Miss. 4. or. fer. (Romae ✠ *et d. 2. cl.* In Miss. Conv. nihil de Eleutherio.)
✠ 27. F. 5. **Ascensio Dni** *d. 1. cl. cum oct.* (nihil de M. Magdal. de Pazzis ac de Ioanne I.
28. F. 6. Augustini Cantuar. *d.* c. oct. — *Inc. Ep. II. Petri.*
29. S. De oct. *sem.*
✠ 30. D. infra oct. De ea *sem.* c. oct. ac Felicis I. — *In Stat. Eccl.* c. Ferdinandi III., oct. ac Felicis I. — *Inc. Ep. I. Ioann.*
31. F. 2. Angelae Merici *d.* c. oct. ac Petronillae.

IUNIUS.

1. F. 3. De oct. *sem.*
2. F. 4. De oct. *sem.* c. Marcellini et Soc. — *Inc. Ep. II. Ioann.*
3. F. 5. Oct. Ascens. *d.*
4. F. 6. Francisci Caracciolo *d.* c. fer. — *Inc. Ep. III. Ioann.*
5. S. Vigil. Pent. De ea *sem.* c. (*cum 9. l. ex 3 una*) Bonifacii in Laud. tant. — *Inc. Ep. Iudae* « Cessant Octavae ».
✠ 6. D. **Pentecostes** *d. 1. cl. cum oct. priv.* (nihil de Norberto).
† 7. F. 2. De ea *d. 1. cl.*
† 8. F. 3. De ea *d. 1. cl.*
9. F. 4. Quat. Temp. De ea *sem.* c. Primi et Feliciani.
10. F. 5. De ea *sem.* c. Margaritae Regin. Scotor.
11. F. 6. Quat. Temp. De ea *sem.*
12. S. Quat. Temp. De ea *sem.* c. Ioannis a S. Facundo ac Basilidis et Soc. Mm.

Incipit pars aestiva breviarii.

✠ 13. D. 1. p. Pent. *1. cl.* Trinitatis *d. 2. cl.* c. Antonii a Padua ac Dom.
14. F. 2. Basilii *d.* — *Inc. lib. I. Reg*
15. F. 3. Barnabae *d. m.* (*f. 11 hui.*) c. Viti et Soc.

16. F. 4. De ea (℟℟. ex fer. 2. praec.) — *vel* Vot. Ioseph. « Resumuntur Suffragia. »

✠ 17. F. 5. **Corporis Christi** *d. 1. cl. cum oct. — aliq. loc. cum oct. privil. ut Epiph.*

18. F. 6. De oct. *sem.* c. (*sine l.*) Marci et Marcelliani.

19. S. Julianae de Falcon. *d.* c. oct. ac (*cum l.*) Gervasii et Protasii.

✠ 20. D. infra oct. 2. p. Pent. De ea *sem.* c. oct. ac (*sine l.*) Silverii.

21. F. 2. Aloisii *d.* c. oct.

22. F. 3. De oct. *sem.* c. (*sine l.*) Paulini.

23. F. 4. Vigil. De oct. *sem.* c. (*cum 9. l.*) Vigil.

✠ 24. F. 5. **Nativ. Ioannis Bapt.** *d. 1. cl. cum oct.* c. diei oct. Corp. Chr.

25. F. 6. **Cordis Iesu** *d. 1. cl.* (nihil de Gulielmo).

26. S. Ioan. et Pauli *d.* c. oct.

✠ 27. D. 3. p. Pent. De ea *sem.* c. oct.

28. F. 2. Vigil. Leonis II. *sem.* c. oct. ac Vigil.

✠ 29. F. 3. **Petri et Pauli** *d. 1. cl. cum oct. — aliq. loc.* c. omn. App.

30. F. 4. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri Ap. ac oct. Nativ. Ioann. Bapt.

IULIUS.

1. F. 5. Oct. Nativ. Ioann. Bapt. *d.* c. oct. App.

2. F. 6. Visitationis B. M. V. *d. 2. cl.* c. (oct. App. *Romae tant.* ac) Processi et Martiniani in Laud. et Miss. priv.

3. S. De oct. *sem.*

✠ 4. D. 4. p. Pent. Pretios. Sanguinis Dni *d. 2. cl.* c. Dom. (ac oct. Apost. *Romae tant.*)

5. F. 2. Cyrilli et Methodii *d.* c. oct.

6. F. 3. Oct. Petri et Pauli *d.*

7. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

8. F. 5. Elisabeth Portug. *sem.*

9. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *Romae* Prodigior. B. M. V. *d. m.* – *In Stat. Eccl.* Veronicae de Iulianis *d.*

10. S. Sept. Fratr. ac Rufinae et Secundae *sem.*

✠ 11. D. 5. p. Pent. De ea *sem.* c. Pii I. — *Inc. lib. II. Reg. — aliq. loc.* Comm. omn. Pontif. *d.* c. Dom. ac Pii I.

12. F. 2. Io. Gualberti *d.* c. Naboris et Felicis — *aliq. loc. Inc. lib. II. Reg.* (ex Dom. praec.)

13. F. 3. Anacleti *sem.*

14. F. 4. Bonaventurae *d.*

15. F. 5. Henrici *sem.*

16. F. 6. B. M. V. de Monte Carmelo *d. m.*

17. S. Alexii *sem.* (Romae *d.*)

✠ 18. D. 6. p. Pent. Camilli *d.* c. Dom. ac Symphorosae et Filior.

19. F. 2 Vincentii a Paulo *d.*

20. F. 3. Hieronymi Aemiliani *d.* c. Margaritae.

21. F. 4. Praxedis *simp.* — *vel* Vot. Ioseph c. Praxedis.

22. F. 5. M. Magdalenae *d.*

23. F. 6. Apollinaris *d.* c. Liborii.

24. S. Vigil. De ea *simp.* c. Christinae — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil. ac Christinae.

✠ 25. D. 7. p. Pent. Iacobi *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Christophori in Laud. et Miss. priv).

† 26. F. 2. Annae *d. 2. cl.*

27. F. 3. Pantaleonis *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Pantaleonis — *Inc. lib. III. Reg.* (ex Dom. praec.)
28. F. 4. Nazarii et Soc. *sem.*
29. F. 5. Marthae *sem.* c. Felicis II. et Soc.
30. F. 6. Abdon et Sennen *simp.* — *vel* Vot. Passionis c. Abdon et Sennen.
31. S. Ignatii de Loiola *d.*

AUGUSTUS.

✠ 1. D. 8. p. Pent. 1. Aug. Petri ad Vinc. *d. m.* c. Pauli Ap., Dom. ac Machab.
2. F. 2. Alphonsi *d.* c. Stephani I.
3. F. 3. Inventio Stephani *sem.*
4. F. 4. Dominici *d. m.*
5. F. 5. B. M. V. ad Nives *d. m.*
6. F. 6. Transfiguratio Dñi *d. m.* c. Xysti II. et Soc.
7. S. Caietani *d.* c. Donati. — *Inc. Parab. Salom.* (ex Dom. praec.)
✠ 8. D. 9. p. Pent. 2. Aug. De ea *sem.* c. Cyriaci et Soc. — *Inc. lib. Ecclesiastes.*
9. F. 2. Vigil. De ea *simp.* c. Romani — *vel* Vot. Angel. c. Vigil. et Romani.
† 10. F. 3. LAURENTII *d. 2. cl. cum oct.*
11. F. 4. De oct. *sem.* c. Tiburtii et Susannae.
12. F. 5. Clarae *d.* c. oct.
13. F. 6. De oct. *sem.* c. Hippolyti et Cassiani.
14. S. Vigil. De oct. *sem.* c. Vigil. et Eusebii. Miss. Vigil. c. oct. ac Eusebii.
✠ 15. D. 10. p. Pent. 3. Aug. **Assumptionis B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.* c. Dom.
16. F. 2. Hyacinthi *d.* (*aliq. loc.* Rochi *d.*) c. 2 oct. — *Inc. lib. Sapientiae* (ex Dom. praec.)
17. F. 3. Oct. Laurentii *d.* c. oct. Assumpt.
18. F. 4. De oct. *sem.* c. Agapiti — *aliq. loc.* Hyacinthi *d.* (*ass. ex 16 hui.*) c. oct. ac Agapiti.
19. F. 5. De oct. *sem.*
20. F. 6. Bernardi *d.* c. oct.
21. S. Ioan. Franc. Fremiot de Chantal. *d.* c. oct.
✠ 22. D. 11. p. Pent. 4. Aug. IOACHIM *d. 2. cl.* c. diei oct. Assumpt., Dom. (ac Timothei et Soc. in Laud. et Miss. priv.)
23. F. 2. Vigil. Philippi Benitii *d.* c. Vigil. (*except. Romae*) — *Inc. lib. Ecclesiastici* (ex Dom. praec).
† 24. F. 3. BARTHOLOMAEI *d. 2. cl.* —*Romae.* Vigil. De ea *simp.* — — *vel* Vot. Petri et Pauli c. Vigil.
25. F. 4. Ludovici *sem.* (in Gallia *d.*) — *Romae* † BARTHOLOMAEI *d. 2. cl.*
26. F. 5. Zephyrini *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Zephyrini. — *Romae.* Ludovici *sem.* c. Zephyrini.
27. F. 6. Ioseph Calasanct. *d.*
28. S. Augustini *d.* c. Hermetis. (Hoc anno omitt. Dom. 5. Aug).

INCIPIT PARS AUTUMNALIS BREVIARII.

✠ 29. D. 12. p. Pent. 1. Sept. Decollat. Ioannis Bapt. *d. m.* (*aliq. loc.* Purissimi Cordis B.

M. V. *d. m.*) c. Dom. ac Sabinae.
30. F. 2. Rosae Lim. *d.* c. Felicis et Adaucti — *Inc. lib. Iob* (ex Dom. praec).
31. F. 3. Raymundi Nonnati *d.*

SEPTEMBER.

1. F. 4. Aegidii *simp.* c. Duodec. Fratr. — *vel* Vot. Ioseph c. Aegidii et Duodec. Fratr. — *aliq. loc.* Decollat. S. Ioann. Bapt. *d. m.* (*f. 29 Aug.*) c. Aegidii et Duodec. Fratr.
2. F. 5. Stephani Reg. *sem.*
3. F. 6. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Passionis.
4. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *In Stat. Eccl.* Rosae a Viterb. *d.*
✠ 5. D. 13. p. Pent. 2. Sept. De ea *sem.* c. Laurentii Iustin.
6. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
7. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
✠ 8. F. 4. NATIVITATIS B. M. V. *d. 2. cl. cum oct.* c. Hadriani in Laud. et Miss. priv.
9. F. 5. De oct. *sem.* c. Gorgonii.
10. F. 6. Nicolai a Tolent. *d.* c. oct.
11. S. De oct. *sem.* c. Proti et Hyacinthi.
✠ 12. D. 14. p. Pent. 3. Sept. Nominis B. M. V. *d. m.* c. Dom.
13. F. 2. De oct. *sem.* — *Inc. lib. Tobiae* (ex Dom. praec).
14. F. 3. Exaltatio Crucis *d. m.* c. oct.
15. F. 4. QUAT. TEMP. Oct. Nativ. B. M. V. *d.* c. fer. ac Nicomedis.
16. F. 5. Cornelii et Cypriani *sem.* c. Euphemiae et Soc.
17. F. 6. QUAT. TEMP. Stigmat Francisci *d.* c. fer.
18. S. QUAT. TEMP. Ioseph a Cupertino *d.* c. fer.
✠ 19. D. 15. p. Pent. 4. Sept. VII. Dolor. B. M. V. *d. m.* c. Ianuarii et Soc. ac Dom.
20. F. 2. Vigil. Eustachii et Soc. *d.* c. Vigil. — *Inc. lib. Iudith* (ex Dom. praec).
† 21. F. 3. MATTHAEI *d. 2. cl.*
22. F. 4. Thomae a Villanova *d.* c. Mauritii et Soc.
23. F. 5. Lini *sem.* c. Theclae.
24. F. 6. B. M. V. de Mercede *d. m.*
25. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 26. D. 16. p. Pent. 5. Sept. De ea *sem.* c. Cypriani et Iustinae. — *Inc. lib. Esther.*
27. F. 2. Cosmae et Damiani *sem.*
28. F. 3. Wenceslai *sem.*
✠ 29. F. 4. DEDIC. MICHAËLIS ARCHANG. *d. 2. cl.*
30. F. 5. Hieronymi *d.*

OCTOBER.

1. F. 6. Remigii *sem. ad lib. vel simpl. de praec.* (in Gallia *d.*)
2. S. Angelorum Cust. *d. m.*
✠ 3. D. 17. p. Pent. 1. Oct. ROSARII B. M. V. *d. 2. cl.* c. Dom.
4. F. 2. Francisci *d. m.*
5. F. 3. Placidi et Soc. *simp.* — *vel* Vot. Apost. c. Placidi et Soc. — *Romae.* Gallae *d.* c. Placidi et Soc. — *Inc. lib. I. Machab.* (ex Dom. praec.)
6. F. 4. Brunonis *d.*
7. F. 5. Marci *simp.* c. Sergii et Soc. — *vel* Vot. Sacram. c. Marci ac Sergii et Soc.
8. F. 6. Birgittae *d.*

9. S. Dionysii et Soc. *sem.*

✠ 10. D. 18. p. Pent. 2. Oct. De ea *sem.* c. Francisci Borgia — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. V. *d. m.* c. Dom. ac Francisci Borgia.

11. F. 2. De ea (*aliq. loc.* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. Angel.

12. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).

13. F. 4. Eduardi *sem.*

14. F. 5. Callisti I. *d.*

15. F. 6. Teresiae *d.*

16. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 17. D. 19. p. Pent. 3. Oct. De ea *sem.* — *aliq. loc.* Puritatis B. M. V. *d. m.* c. Dom.

18. F. 2. LUCAE *d. 2. cl.*

19. F. 3. Petri de Alcantara *d.*

20. F. 4. Ioannis Cantii *d.*

21. F. 5. Hilarionis *simp.* c. Ursulae et Soc. — *vel* Vot. Sacram. c. Hilarionis ac Ursulae et Soc.

22. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.

23. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *Romae.* Redemptoris *d. m.*

✠ 24. D. 20. p. Pent. 4. Oct. De ea *sem.* — *Inc. lib. II. Machab.* — *aliq. loc.* Raphaëlis Archang. *d. m.* c. Dom.

25. F. 2. Chrysanthi et Dariae *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Chrysanthi et Dariae. — *aliq. loc. Inc. lib. II. Machab.* (ex Dom. praec.)

26. F. 3. Evaristi *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Evaristi.

27. F. 4. Vigil. De ea — *vel* Vot. Ioseph c. Vigil.

† 28. F. 5. SIMONIS ET IUDAE *d. 2. cl.*

29. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *Igitur Eleazarus.*

30. S. Vigil. De ea, ll. hom. — *vel* Vot. Imm. Concept. ll. 1. N. *Mortuo itaque,* c. Vigil.

✠ 31. D. 21. p. Pent. 1. Nov. De ea *sem.* — *Inc. lib. Ezechielis.*

NOVEMBER.

✠ 1. F. 2. **Omnium Sanctorum** *d. 1. cl. cum oct.*

2. F. 3. De oct. *sem.* Comm. omn. Defunct. *d.*

3. F. 4. De oct. *sem.*

4. F. 5. Caroli *d.* c. oct. ac Vitalis et Agricolae.

5. F. 6. De oct. *sem.*

6. S. De oct. *sem.* (Hoc anno omitt. Dom. 2. Nov).

✠ 7. D. 22. p. Pent. 3. Nov. De ea *sem.* c. oct. — *Inc. lib. Danielis.*

8. F. 2. Oct. omnium Ss. *d.* c. Quatuor Coronat.

9. F. 3. Dedic. Basilic. SS. Salvatoris *d. m.* c. Theodori.

10. F. 4. Andreae Avellini *d.* c. Triphonis et Soc.

11. F. 5. Martini *d.* c. Mennae.

12. F. 6. Martini I. *sem.*

13. S. Didaci *sem.* — *In Italia.* Stanislai Kostka *d.*

✠ 14. D. 23. p. Pent. 4. Nov. Iosaphat *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Osee.* — *In Stat. Eccl.* Patrocinii B. M. V. *d. m.* c. Iosaphat et Dom.

15. F. 2. Gertrudis *d.* — *In Stat. Eccl. Inc. lib. Osee* (ex Dom. praec.)

16. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.

— *In Italia.* Didaci *sem.* (*ass. ex 13 hui.*) — *Inc. Ioël.*
17. F. 4. Gregorii Thaum. *sem.* (Romae *d.*)
18. F. 5. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d. m.*
19. F. 6. Elisabeth *d.* c. Pontiani — ll. 1. N. 1. *Inc. Amos* (ex fer. 5. praec). 2. et 3. *Inc. Abdias.*
20. S. Felicis de Valois *d.* — *Inc. Ionas.*
✠ 21. D. 24. ult. p. Pent. 5. Nov. Praesentationis B. M. V. *d. m.* c. Dom.
22. F. 2. Caeciliae *d.*
23. F. 3. Clementis I. *d.* c. Felicitatis.
24. F. 4. Ioannis a Cruce *d.* c. Chrysogoni — ll. 1. N. 1. *Inc. Michaeas*, 2. *Inc. Nahum*, 3. *Inc. Habacuc* (ex Dom. ac fer. 2. et 3. praec.)
25. F. 5. Catharinae *d.* ll. 1. N. 1. *Inc. Sophonias* (ex fer. 4. praec.) 2. et 3. *Inc. Aggaeus.*
26. F. 6. Silvestri *d.* c. Petri Alexandrini. — *Inc. Zacharias.*
27. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *Inc. Malachias.*

Incipit pars hyemalis breviarii
Cras clauduntur Nuptiae.

✠ 28. D. I. Adv. *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia ».
29. F. 2. Vigil. — De fer. c. Saturnini. Miss. Vigil. c. fer. ac Saturnini — *vel* Vot. Angel. c. Saturnini. In Miss. 2. or. fer. 3. Vigil. 4. S. M. (Dieb. fer. per tot. Adv. in Off. 9 lect. fit com. fer.)
† 30. F. 3. Andreae *d. 2. cl.*

DECEMBER.

1. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
2. F. 5. Bibianae *sem.*
3. F. 6. Francisci Xaverii *d.*
4. S. Petri Chrysologi *d.* c. Barbarae.
✠ 5. D. 2. Adv. *2. cl. sem.* c. Sabbae.
6. F. 2. Nicolai *d.*
7. F. 3. Vigil. Ambrosii *d.* (In Miss. 3. or. et Ev. Vigil.)
✠ 8. F. 4. **Immac. Concept. B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*
9. F. 5. De oct. *sem.*
10. F. 6. De oct. *sem.* c. Melchiadis — *aliq. loc.* Translationis Domus Lauret. *d. m.* (in regione Picena *d. 1. cl. cum oct. quae suspendit. usq. ad diem 16, et terminat. ad Non. eiusd. diei*) c. Melchiadis *extra reg. Picen. tant.*
11. S. Damasi I. *sem.* c. oct.
✠ 12. D. 3. Adv. *2. cl. sem.* c. oct.
13. F. 2. Luciae *d.* c. oct.
14. F. 3. De oct. *sem.*
15. F. 4. Quat. Temp. Oct. Imm. Concept. B. M. V. *d.* (*omitt. 9. l. fer.*)
16. F. 5. Eusebii *sem.* (In regione Picena c. oct. Translat. Domus Laur. in Laud. et Miss. tant.)
17. F. 6. Quat. Temp. De ea « Cessant Off. votiv. » *O Sapientia.*
18. S. Quat. Temp. De eo — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* Expectat. Partus B. M. V. *d. m.* — *O Adonai.*
✠ 19. D. 4. Adv. *2. cl. sem.* — — *O Radix.*
20. F. 2. Vigil. De fer. (sine com. Vigil.) Miss. Vigil. c. fer. — *O Clavis.*

† 21. F. 3. THOMAE *d. 2. cl.* — *O Oriens.*
22. F. 4. De ea — *O Rex.*
23. F. 5. De ea – *O Emmanuel.*
24. F. 6. Vigil. Nativ. De ea *simp.* Ad Laud. et deinc. *d.*
✠ 25. S. **Nativitatis D. N. I. C.** *d. 1. cl. cum oct. privil.*
✠ 26. D. (*vacat*) STEPHANI *d. 2. cl. cum oct.* c. oct. Nat. — *aliq. loc.* com. omn. Mm. et oct.
† 27. F. 2. (Romae ✠) IOANNIS *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
† 28. F. 3. INNOCENTIUM *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
29. F. 4. Thomae Cantuarien. *d.* (*pro univ. Eccl.*) c. octavar.
30. F. 5. De Dom. infr. oct. *sem.* c. octavar. — *Inc. Ep. ad Romanos.*
† 31. F. 6. Silvestri I. *d.* c. octavar. *Hodie et Anno insequenti 1898 litera Martyrologii erit* g *parva.*

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Cont. V. n. 3. pag. 150).

TEXTUS
(**TITULUS IX.**)

N. 7.

De Dominicis et feriis Adventus et Quadragesimae commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus (295). De feriis quatuor Temporum Vigiliarum et secunda Rogationum, quando de illis commemoratio fieri debet (296) fit in laudibus tantum (297). De festis autem simplicibus (nisi in diebus supradictis occurrant) (298), commemoratio fit in primis Vesperis et Laudibus (299), eo die quo in Calendario assignantur (300). De aliis vero Dominicis per annum (301), et Octavis (302) commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus (303), nisi concurrant cum supra enumeratis festis (304). De festis duplicibus et semiduplicibus, quoties iuxta sequentem Rubricam

de Translatione festorum reduci debent ad modum simplicis (305), fit pariter commemoratio ad instar diei octavae et Dominicae (306) in utrisque Vesperis et Laudibus (307), praeterquam in omnibus Duplicibus primae classis (308), exceptis eorum secundis Vesperis, si huiusmodi commemoratio facienda sit die sequenti (309).

(295) *De Dominicis et feriis Adventus et Quadragesimae commemoratio fit in utrisque Vesperis et laudibus.* Hoc concordat cum loco huiusmet tituli n. 2. Quodcumque enim festum occurrat in Adventu et Quadragesima, quae pro effectu huius Rubricae comprehendit etiam hebdomadam Passionis, etiamsi ritu gaudeat 1. classis, in eo semper fit commemoratio de Dominica vel feriae occurrentis prouti iam docuimus supra N. 234.

(296) *De feriis quatuor Temporum, Vigiliarum et secunda Rogationum, quando de illis commemoratio fieri debet.* Optime hic Rubrica clausulam ponit, *quando de illis commemoratio fieri debet,* quia de feriis Quatuor temporum et de secunda rogationum, quae inter ferias maiores enumerantur, semper quidem agenda est commemoratio etiam in duplicibus 1. classis, de vigiliis vero, non semper agitur commemoratio, cum in occursu duplicis 1. classis clare omittitur, prout supra nn. 118 et 155.

(297) *fit in laudibus tantum.* Quod cohaeret cum Rubricis Tit. V. n. 2, et Tit. VI. n. 1, a nobis expositis Nn. 125 et 147. Cum enim officium feriarum quatuor temporum (Septembris tantum, nam quae occurrunt in Adventu, in Quadragesima et infra octavam Pentecosten alia lege reguntur uti diximus n. 127), et secundae rogationum, nec non vigiliarum Vesperas non habeant neque primas neque secundas, si eorum

occurret commemoratio, tantum in laudibus haec est agenda.

(298) *de festis autem simplicibus (nisi in diebus supradictis occurrant)*, nempe in diebus 1. e 2. classis quae hoc titulo nn. 5 et 6 enumeravimus, in quibus de simplici nihil fit, nisi in laudibus tantum si agatur de duplicibus 2 classis.

(299) ...*commemoratio fit in primis Vesperis et laudibus.* Quia officium festi simplicis incipit a 1. Vesperis et desinit ad Nonam, ideoque, cum eius officium impediatur, ab occurrenti nobiliori officio, de simplici ipso fit commemoratio tantum in 1. Vesperis et laudibus.

(300) ...*eo die quo in Calendario assignantur.* Bene haec clausula posita est, quia festa simplicia non possunt transferri, prout vidimus supra n. 51, et fusius dicetur in expositione Tituli X sequentis cum loquendum erit de translatione. Cum ergo intransferibilia sint festa simplicia, de iis, cum impediuntur, fit tantum commemoratio, *eo die quo in calendario assignantur*, vel penitus omittuntur si occurrunt in festis 1. classis.

(301) *de aliis vero dominicis per annum;* nempe de dominicis quae non sunt 1 vel 2 classis, et occurrunt per annum, post octavam Epiphaniae usque ad Septuagesimam, et post octavam Corporis Christi usque ad Adventum.

(302)... *et octavis.* De octavis scilicet communibus et aliquibus ex privilegiatis, quae cedunt occurrentibus festis, ut dictum est supra nn. 179, 185, 187.

(303).... *commemoratio fit in utrisque Vesperis et laudibus.* Dominicae enim et dies infra octavam ritu gaudent semiduplici, et ideo duas vesperas habent, ideoque cum impediuntur fit de eis commemoratio in primis et secundis vesperis et ad laudibus.

(304)... *nisi concurrant cum enumeratis festis;* nempe festis 1 et 2 classis supra nn. 4. 5 et 6 huius Tituli

enumeratis, in quorum primis vesperis nihil fit de praecedenti dominica minore, et nihil quoque fit de die infra octavam non privilegiatam.

(305) *de festibus duplicibus et semiduplicibus, quoties reduci debent ad modum simplicis;* haec verba usque ad finem huius §, adiecta fuere, et bene, in ultima Rubricarum emendatione post Breve SS. D. N. Leonis Pp. XIII *Nullo unquam.* Prout enim melius explicabitur titulo sequenti, de *Translatione,* duplicia minora, non doctorum, et semiduplicia, quando aliquo anno impediuntur, non amplius transferuntur, sed de eis commemoratio agitur in sua die, scilicet quodammodo rediguntur ad modum simplicis.

(306)..... *fit pariter commemoratio ad instar diei octavae et dominicae...* ad instar diei octavae, festa duplicia, ad instar dominicae semiduplicia, quae commemorari debent.

(307).... *in utrisque Vesperis et laudibus,* prout dictum est supra n. 303.

(308).... *praeterquam in omnibus duplicibus primae classis.* In quibus nulla agenda est commemoratio de festo simplificato sicuti videbimus infra cum de translatione festorum acturi sumus.

(309)... *exceptis eorum secundis vesperis si huiusmodi commemoratio facienda est die sequenti.* Nempe in secundis vesperis duplicis I Classis agitur commemoratio duplicis vel semiduplicis simplificati, de quo agenda sit commemoratio die sequenti.

Eadem lege regitur commemoratio festorum duplicium vel duplicium maiorum, quorum locus non superest translationi in toto anni decursu, prouti infra videbimus.

Pro tironibus hic tres tabellas subiicimus, in quibus compendifiunt omnes leges commemorationum, in 1 Vesperis, in laudibus, et in 2 Vesperis.

I. TABELLA COMMEMORATIONUM IN PRIMIS VESPERIS.

IN 1. VESPERIS / FITNE COMMEMORATIO	de simplici occurrente?	de Feria adventus et quadragesimae?	de die infra octavam communem?	de die infra octavam privilegiatam?	de Semiduplici simplificato occurrente?	de semiduplici praecedente?	de Dominica quacumque occurrente?	de Dominica minori praecedente?	de Dominica maiori praecedente?	de die octava communi occurrente?	de die octava communi praecedente?	de die octava privilegiata occurrente?	de die octava privilegiata praecedente?	de duplici minori simplificato occurrente?	de duplici minori praecedente?	de Duplici maiori simplificato occurrente?	de Duplici maiori praecedente?	de Duplici 2. classis praecedente?	de Duplici 1. classis praecedente?
Duplicis 1. Classis	2	1	2	1	2	2	1	2	1	1	2	1	1	2	2	2	2	1	1
Duplicis 2. Classis	2	1	2	1	1	2	1	2	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0
Duplicis maioris	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	1	0	1	1	1	1	1	0	0
Duplicis minoris	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	1	0	0	1	1	0	0	0	0
Diei Octavae	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	0	0	0
Dominicae	1	0	1	1	1	1	0	0	0	1	0	1	0	1	0	1	0	0	0
Semiduplicis	1	1	1	1	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Simplicis	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

1. Fit commemoratio.

2. Non fit commemoratio.

0. Casus impossibilis vel Vesperae sunt de sequenti.

II. TABELLA COMMEMORATIONUM IN LAUDIBUS.

IN LAUDIBUS / FITNE COMMEMORATIO	de Simplici?	de Vigilia?	de Feria maiori?	de semiduplici simplificato?	de die infra Octavam communem?	de Die infra Octavam privilegiatam?	de Dominica quacumque alia?	de Dominica 2. Classis?	de Dominica 1. Classis?	de Die octava quacumque alia?	de die Octava Corporis Christi?	de die Octava Epiphaniae?	de Dupl. minori simplificato?	de Dupl. maiori simplificato?
Duplicis 1. Classis	2	2	1	2	2	1	1	1	0	1	1	0	2	2
Duplicis 2. Classis	1	1	1	1	2	1	1	0	0	1	0	0	1	1
Duplicis maioris	1	1	1	1	1	1	1	0	0	0	0	0	1	1
Duplicis minoris	1	1	1	1	1	1	1	0	0	0	0	0	1	0
Diei octavae cujuscumque	1	1	1	1	1	1	1	0	0	1	0	0	1	1
Dominicae 1, vel 2 classis	1	0	0	1	1	0	0	0	0	1	0	0	1	1
Dominicae per annum	1	0	0	1	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0
Diei infra octavam privilegiatum	1	1	1	1	1	0	0	0	0	0	0	0	1	1
Diei infra octavam communem	1	1	1	0	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Semiduplicis	1	1	1	1	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0
Feriae majoris	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Vigiliae	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
S. Mariae in Sabbato	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

1. Fit commemoratio et dicitur IX lectio, si habetur.

2. Neque fit commemoratio neque dicitur IX lectio.

8. Casus impossibilis.

III. TABELLA COMMEMORATIONUM IN 2. VESPERIS.

IN 2. VESPERIS / FITNE COMMEMORATIO	de simplici frequenti?	de feria maiori occurrenti?	de semiduplici simplificato occurrenti?	de semiduplici sequenti?	de die infra octavam sequenti?	de die infra octavam communem occurrenti?	de die infra octavam privilegiatam occurrenti?	de dominica sequenti vel occurrenti?	de duplici minori simplificato occurrenti?	de duplici minori sequenti?	de duplici maiori simplificato occurenti?	de duplici maiori sequenti?	de duplici 2. classis sequenti?	de duplici 1. classis sequenti?
Duplicis 1. classis	2	1	2	1	1	2	1	1	2	1	2	1	1	1
Duplicis maioris	1	1	1	1	1	2	1	1	1	1	1	1	1	0
Duplicis maioris	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0
Duplici minoris	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0	0
Diei octavae cuiuscumque	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0	0
Dominicae cuiuscumque	1	0	1	1	1	1	1	0	1	0	1	0	0	0
Diei infra octavam	1	1	1	0	0	1	0	0	1	0	1	0	0	0
Semiduplicis	1	1	1	0	0	1	1	0	0	0	0	0	0	0
Feriae maioris	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

1. Fit commemoratio.

2. Non fit commemoratio.

3. Casus impossibilis.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Bogota.* **De loco pro benedictione ante Evangelium in Missa.** Quum Diaconus in Missa solemni petit benedictionem ante Evangelium, quaenam debet esse positio ipsius Diaconi et Celebrantis benedicentis?

Resp. En verba Rubricae: «Diaconus genuflexus ante altare dicit: *Munda cor meum;* et accipiens librum Evangeliorum de altari, petit benedictionem a Celebrante similiter *genuflexus in superiori gradu altaris;* et osculata illius manu etc. (*Rit. celebr. Miss. Tit. VII, n. 5*)». Sit ergo Diaconus super suppedaneo altaris, altare habens ad suam dexteram, uti alii volunt: sit genuflexus super ora suppedanei; versa per consequens facie ad altare, uti alii volunt auctores, non nimis insistendum credimus, dummodo comprobetur, Diaconum genuflectere in gradu superiori. Altera vel altera genuflectendi ratio pendere potest a mensura suppedanei, quae maior esse vel minor quoque potest. Celebrans vertet se ad Diaconum meliori quo poterit modo et ea complebit, quae alia Rubrica praescribit. Advertas autem, Subdiacono, etiam Sacramento exposito, post cantum Epistolae, genuflectendum esse in medio, accedendum ad cornu Epistolae, ibique osculata manu Celebrantis, more solito benedictionem recipiendam: ita omnes Rubricis innixi expositores.

II. *E Galliis.* **De mutatione tertii versus ad hymnum** *Iste Confessor* **in festo S. Petri Damiani.** *Ephemerides* declararunt, et merito, ex Decreto *Calagurritana et Calceaten.* (*V. Ephem. an. 92, pag. 449 et seq.*) in festo S. Petri Damiani mutandum esse tertium versum in hymno *Iste Confessor,* idque in Editione typica notandum. Hodie Decretum *Basileen.* (*V. num. 4 praes. an. 1896, pag. 198 et seq.*) dictam mutationem prohibet in eadem typica Editione. Quid?

Resp. Decretum in *Calagurritana et Calceaten.* ad Dub. XXI quaerit in genere, num mutatio tertii versus in hymno *Iste Confessor,* si sit facienda, suppleri debeat in calendario, quando in Breviario typico non adnotatur; et S. C. respondet, esse supplendam. Decretum vero in *Basileen.* postulat specifice, num in festis S. Petri Damiani, et S. Alphonsi de Ligorio dictus tertius versus sit mutandus; et respondet negative. Si haec duo responsa consideres, nulla apparet contradictio, de casu enim in specie, de quo secundum Decretum loquitur, primum Decretum silet.

At *Ephemerides* ultra progressae sunt, explicantes in primo Decreto contineri casum specificum, de quo secundum; hinc concluserunt, in futuris Editionibus, haud typica exclusa, esse addendam mutationem (*V. Ephem. citat. pag. 466*); idque alibi iterarunt, uti ad pag. 610. Porro qui admittit, mutationem esse supplendam, confitetur simul eamdem esse faciendam; quod ergo primum affirmat, alterum Decretum negat: quomodo negotium explicatur?

Sequenti modo. Quamvis Decretum in *Calagurritana et Calceaten.* alludat ad S. Petrum Da-

mianum, hic nihilominus non est solus, sed cum aliis Sanctis; et sunt Braulio, Turibius, Ss. Iulianus et Froiolanus, qui tamen in Decreto reticentur. De his itaque quaesitum sciscitatur: « quoad mutationem 3. versus hymni *Iste Confessor,* quae non adnotatur pro Sanctorum officiis descriptis in Breviario typico an sit deficientia eiusdem, ita ut sit supplendum in Ordinario annuali calendario? » Sacrum autem Tribunal respondet, silendo de deficientia, et dicendo: « Supplendum in redactione calendarii ». Non ergo videtur admittere S. R. C. deficientiam in Breviario, sed tantum declarat *in genere* supplendum esse, utique si sit deficientia, sicuti patet. Porro Decretum in *Basileen.* ostendit pro S. Petro Damiano *in specie* non esse supplendam mutationem, ac proinde non esse in Breviario typico deficientiam; hinc et *Ephemerides* ultra quod conveniebat, eam admittendo progressae fuerunt. Ita negotio explicato, contradictio quoque evanescit.

Ceterum Decretum in *Basileen.* declarat mutationem pro S. Petro Damiano non esse faciendam vi Martyrologii Romani, et Breviarii typici. Illud revera diem vicesimam secundam Februarii notat uti diem natalitiam pro dicto Sancto; ergo, quamvis historice certum non appareat ea die illum ad vitam caelestem migrasse, nihilominus, cum certum omnino neque sit oppositum, Martyrologio adhaerere consultius est. Novissima autem Editio Breviarii, quae septima est post typicam, et vulgata praesenti anno 1896, nullam ponit pro S. Petro Damiano mutationem; ergo et ipsi se conformare necessum est.

Hanc nacti occasionem, explicamus responsum ad Dub. II eiusdem Decreti. Ex eo enim responso inferre fortasse quis posset, in hymno *Iste Confessor* mutandum esse tertium versum etiam quando Sanctus aliquis fixum habet festum in die quae propriam sequitur, uti in casu S. Benedictus Abbas, et tamen primis Vesperis gaudet saltem a Capitulo.

At sollicite notamus, illationem esse falsam, et e responsione nullo pacto derivare, utcumque id apparere valeat. Quaesitum enim sic sonat: Debet ne mutari tertius versus in Hymno, et haec mutatio indicari in novis editionibus Proprii dioecesani a S. R. Congñe.... approbati? » Responsio autem est: Affirmative. Sed notandum, duas esse partes quaesiti: prima respicit mutationem versus, altera eius indicationem in Proprio dioecesano. Sed Sacrum Tribunal duas partes quaesiti non divisit, uti potuerat, tunc enim respondere debuisset: Negative ad 1.am, affirmative ad 2.am partem. Accepit autem utramque partem simul, comprehenditque sub una responsione affirmativa; quia versus, de quo in prima parte quaerebatur num esset mutandus, potiusquam dicendus, erat inscribendus: seu, aliis verbis, quaerebatur, utrum mutatio tertii versus facienda eo fine ut in Proprio inscriberetur Dioecesano. Eapropter quaesito ad modum unius et sub eiusmodi significatione accepto S. R. C. respondit: Affirmative; addiditque « ut in festo S. Hyacinthi »: videlicet, facienda mutatio, quia in codicibus liturgicis inscribitur id quod ordinario fieri debet, non autem id quod fieri debet aliquando tantum et per accidens. Ceterum, mutatio non dicenda in casu quando Sanctus primas, saltem a Capitulo, Vesperas habet, iam alio Decreto declaratum est, nempe in una *Ord. S. Francisci* ad 6 (*13 Iun. 1682*), quod in toto suo robore manet.

III. *E Borussia.* **Iterum de quorumdam festorum occursu** (*V. Num. 1 vertent. anni pag. 52*). Ru-

brica in Proprio Treverensi, quod a S. R. Congr. die 20 Iulii 1887 adprobatum est, ad diem 15 Augusti ita habet: « Si hoc festum non venerit in Dominica, iuxta Breve Leonis PP. XII, d. d. 11 Dec. 1828 transferendum est in Dominicam infra Octavam, ita ut ea ipsa die Officium et Missa, tamquam si Festum illud suo loco motum non fuerit, celebrentur, facta in Officio et Missa commemoratione Dominicae. Festum vero S. Ioachim Conf. hoc casu celebratur die 22 Aug.

Dominica sequente fit Officium Purissimi Cordis B. M. V. ritu dupl. mai. ut in Appendice Brev. Rom. absque commemoratione diei Octavae Assumptionis ».

Proinde occurrit die 18 Aug. Assumptio B. M. V. et S. Helena Vid. dupl. 2. cum Octava. Indubie de Assumptione agendum et S. Helena transferenda. Quaeritur:

Quid faciendum die 22 Aug.? Agendumne est de S. Ioachim, uti edicitur in superiori Rubrica, an de S. Helena? Si agendum est de S. Ioachim (cuius festum, per se loquendo, occurrerat iam die 18 Aug. cum S. Helena — tunc die 25 Aug. quid faciendum? De die octava Assumptionis ex superiori Rubrica nihil agendum, quia hac die octava celebratur festum Purissimi Cordis B. M. V. Ergo ex solutione quae sapienter data est pag. 54 « Casus unicus dari posset etc. » agendum de S. Helena, quia a die 18 usque ad 25 Aug. nullus dies liber aderat. Si vero die 22 Aug. agendum est de S. Helena, tunc etiam huius festi octavae commemoratio facienda a 23 usque ad 25 Augusti, et 25 Augusti occurrit dies Octava S. Helenae cum festo Purissimi Cordis. Hoc ultimum festum omittendum

esset, quia particulare et Dominicae affixum, et agendum de die Octava S. Helenae. Sed nonne in hoc casu reviviscit dies Octava Assumptionis? Certe festum S. Ioachim tunc ultra octavam transferendum esset.

Resp. Die 22 Aug. faciendum de S. Ioachim ex allata Rubrica, non vero de S. Helena, quae, cum sit impedita, ulterius est transferenda. Die 25 occurrunt: octava dies Assumptionis, Purissimum Cor eiusdem, et est etiam dies octava S. Helenae, cuius festum nondum celebratum fuit. De quo ex his faciendum? Si faciendum esset de Purissimo Corde Deiparae, periret dies octava Assumpt. ex superiori Rubrica; sed contra utrumque festum stat dies octava S. Helenae, quae ex Decretis habenda est tamquam festum occurrens, et praevalet tam Purissimo Cordi Deiparae quam diei octavae Assumptionis. Praevalet illi, quia Dominicae affixo, et dup. maiori: praevalet isti, cuius festum iam factum est, et duplici 2. cl. praeferri non potest, quare censetur dies octava festi dup. 2. cl. quod per totam octavam fuit impeditum.

IV. *E Dioecesi Briocensi.* **De titulo** *Viduae* **B. Ioannae Valeisae attributo.** In *Ephemeridibus Liturgicis,* anno IX, p. 623, *Nota,* non clare exprimitur praecipua difficultas, quae afferebatur contra *Viduae* titulum, quo designatur B. Ioanna Valesia, in supplemento quorumdam Breviariorum et Missalium; nempe quod ipsi rex Ludovicus XII, olim putatus eius vir, supervixit.

Resp. In Ephemeridibus, loco citato, quaestionem non instituimus de veritate appellationis *Viduae,* quae significat mulierem suo viro orbatam, sed diximus *Viduam* stare pro *nec Virgine nec Mar-*

tyre. Insuper neque laudavimus talem dicendi modum, neque nunc laudamus. Certiorem tamen reddimus Adm. Rev. inquirentem, quae prodibunt Editiones emendatas futuras, post illam a Desclée novissime vulgatam, in qua, obtenta facultate in S. R. Congregationis Secretaria, titulus ille omissus fuit, et in alium mutatus.

V. *Ex eodem loco.* **Iterum de concursu inter Titulum Ecclesiae Cathedr. et Patronum provinciae.** (*V. Ephem. Liturg. anno IX, p. 620 V*). Circa solutionem dubii alias vulgatam (*loc. cit.*), occurrit animadversio, quae sic proponi potest: 1° In Catalogo festorum primariorum (22 Aug. 1893) numeratur Dedicatio tum quatuor Basilicarum Romanarum, tum Ecclesiae propriae. 2° Ergo quaelibet alia Dedicatio Ecclesiae non propriae est Festum secundarium. 3° Ecclesia Cathedralis est propria pro solis Clericis eius servitio stricte adscriptis, non autem cetero Clero, sive saeculari sive regulari. 4° Ergo extra ipsam Ecclesiam festum Dedicationis Cathedralis in occurrentia et concurrentia cuilibet Officio primario eiusdem ritus cedit. 5° A pari Festum Titularis Ecclesiae Cathedralis est secundarium omnibus, qui non sunt de eius gremio. 6° Ergo, in casu, Festum S. Annae, utpote primarium ratione patronatus, primas Vesperas die 25 Iulii sibi vindicat extra ipsam Cathedralem, cum commemoratione S. Iacobi, cuius festum est secundarium.

Resp. Antequam de hac animadversione iudicium feramus, nonnulla pro veritate et aequitate perpendenda sunt. In solutione citata, utrumque festum ut primarium consideratum fuit ac proinde praeferentia data digniori, dignitate personali,

nempe Apostolo. Insuper considerata non fuit feriatio, ex Constitutione Urbaniana, Patrono Provinciae adnexa: recte ne? In proposita animadversione paritas instituitur inter Dedicationem et Titulum Ecclesiae Cathedralis extra ipsam, ut utrumque dicatur secundarium; quid de hac paritate? Cito dicimus valere paritatem; agitur enim in utroque casu de Festo non proprio, seu Ecclesiae non propriae. Dubitari posset de Festo Titularis, eo quod hic esse queat tantus in Calendario proprio imo et universali descriptus, et primarium, quia natalitium. Ad hanc difficultatem reponimus distinguendo primarietatem *per se* et *per accidens*, et secundarietatem *per se* et *per accidens*.

Nunc sane Festum secundarium dari potest, quod primarium evadit ratione Patronatus: v. gr. Festum B. M. V. sub titulo SS. Rosarii *per se* est secundarium, at si B. V. uti Patrona habeatur sub hoc titulo, eius Festum primarium profecto evadit, et hoc fit *per accidens*. Ita dari potest Festum primarium, quod secundarium evadit *per accidens:* hoc luculenter probatur in Festo Dedicationis Ecclesiae cathedralis, quod in ipsa cathedrali est primarium, extra secundarium (*Decr. Gen. 4 Febr. 1896*). Ergo Festum quoque Titularis in hac conditione versatur. Neque dicendum est Dedicationem esse Festum speciale, non habens ius primarietatis natalitiae, quam possidere potest Sanctus Titularis, perperam enim hoc diceretur; namque, esse natalitium in sensu proprio, quod dicitur de migratione Sanctorum ad vitam, non est magis quam esse natalitium in sensu appropriato, paris enim, quoad hoc, iuris sunt v. gr. Festum S. Gabrielis Archangeli et Festum S. Fran-

cisci C.; etiam Festum Dedicationis Ecclesiae est natalitium ipsius Ecclesiae. Ergo si Festum Dedicationis per se primarium, evadit secundarium ratione minoris proprietatis, ita Festum titularis per se primarium, fit secundarium penes illos, ad quos stricte non pertinet. Nota tamen, sermonem nos referre ad Tituli qualitatem, non vero ad Sancti intrinsecam personalitatem, ita ut hic nullam amittat in suo Festo praerogativam quae competere eidem potest ex alio capite, quam ex eo Titularis. Et reipsa quatenus Titularis Ecclesiae Cathedralis, pro clero eidem adscripto gaudebit Festo *primario* 1ae classis cum octava, pro clero saeculari non adscripto, Festo *secundario* 1ae classis cum octava, pro Regularibus, Festo secundario 1ae classis sine octava; dum a titulo abstrahentes, quamquam esse potest Festum primarium, emolumentum ab accidentali secundarietate acquirit, ritus superioris. Quod si contingat esse Festum primarium 1ae classis ex iure vel Indulto, semper stat nostra assertio, eo quod quamvis secundarium considerandum foret ex capite tituli, primarium ex alio capite est habendum, et nemo certe vellet rationem tituli eius superioritati detrahere.

Concludimus ergo animadversiones adm. Rev. N. recto tramite procedere, et proinde admittendam distinctionem primarietatis et secundarietatis *per se* et *per accidens*. Consequenter S. Iacobi Festum, in casu, quamvis natalitium, est per accidens secundarium; Festum autem S. Annae, ut Patronale est primarium, ergo hoc illi praeferendum. Non est igitur amplius adhaerendum ratio-

cinationi quam loco citato, praeterito anno, exposuimus, bene vero hisce animadversionibus.

Nota 1. Idipsum quod de Titulo Ecclesiae cathedralis, dicendum venit de Dedicatione Basilicae SS. Salvatoris pro Clero Romano, eidem non adscripto. Quamvis dicta Dedicatio sit Festum primarium ritus duplicis maioris pro Ecclesia universali; pro Clero non de gremio, secundarium per accidens evadit; ideoque in occurrentia cum Titulari alicuius Ecclesiae cedere huic debet, personali dignitate posthabita; pariterque dies octava, pro Clero saeculari non adscripto, uti secundaria habenda (*Decr. 21 Febr. anni curr. Dubia ad 2.*), quae proinde in concurrentia cum duplici minori sola gaudebit commemoratione. Dixi in concurrentia, quia in occurrentia nota lex obtinet praelationis diei octavae super duplici etiam maiori.

Nota 2. Quod alias diximus in solutione dubii, de quo supra, circa Patronum Provinciae, (non Provinciae Regularis) dictum intelligas de Patrono Dioecesis, quia Patronus Regni vel Provinciae, si adest, est Patronus ex Constitutione Urbani VIII recolendus sub ritu dupl. 1[ae] classis cum octava (a Regularibus sine octava), quemadmodum Patronus particularis civitatis, oppidi vel pagi.

VI. *Ex eod. loco.* **De modo psalmos intonandi in Officiis Defunctorum et Tenebrarum.** In Vesperis defunctorum die 1[a] Novembris solemniter celebratis, necnon et in Tenebris, estne *servanda consuetudo,* vi cuius omnes psalmi censentur intonari pro primo choro, eo scilicet qui secum habet celebrantem? An vero sit *abroganda,* ita ut into-

nationes fiant a cantoribus alternatim pro utroque choro, sicut in festis? Et quatenus affirmative ad secundum, debentne novem psalmi nocturnorum tali modo dividi, ut secundus chorus sibi habeat (primo choro secundum versum resumente) 2^{um}, 4^{um}, 6^{um} et 8^{um}? An vero solum 2^{um} in singulis nocturnis?

Resp. Servanda est consuetudo; nulla enim adest in casu iuris dispositio. Quando intonantur antiphonae a choro, iuxta De Conny (*lib. 2, c. 8*) prosequitur psalmum illa pars chori, in qua sedet prima dignitas, aut hebdomadarius; iuxta Bauldry (*P. 1, c. 6*) pars illa, in qua antiphona intonata est. Quando antiphonae non intonantur a choro, melius videtur primas dare primo choro, nulla enim adesset ratio alternandi.

VII. *E Verona.* **De calendario a parocho regulari sequendo in sua Ecclesia.** Parochus regularis quodnam in sua Ecclesia calendarium sequi debet, suae ne Religionis, an Dioecesis?

Resp. Aut parochia ad corpus pertinet, aut ad individuum, qua talem. Si primum, haberi debet tamquam certum, in dicta parochiali Ecclesia Calendarium Instituti esse sequendum, ad quem Parochus pertinet. Quia licet Ecclesiae Dioecesis ad Ordinarium pertineant; nihilominus Corpus regulare, ad quod pertinet paroecia, sua iura possidet, quae laedere non licet Episcopo. Inter dicta iura illud est, quod Regulares proprio gaudeant Calendario, non solum in officio, sed etiam in Missa, quando hanc dicunt in Ecclesia propria. Propria est autem in casu parochialis Ecclesia, quae pertinet ad Corpus, cuius Superior alterum e Corpore eligit, ut illud re-

praesentetur, functionesque peragat Parochi proprias. Eiusmodi est praxis Urbis, in qua plures paroeciae commissae sunt Regularibus, qui unum tantummodo habent Calendarium in sacrario, eique omnes se conformant Regulares, qui dictam Ecclesiam tamquam propriam habent. Eidemque Calendario, nunc saltem, semper, si ritum duplici inferiorem excipias, conformare se debent exteri Sacerdotes in illa celebrantes. Hic autem nota, idem quoque dicendum esse, si paroecia Corpori data est, et nihilominus tristitia temporum, duo vel tres, vel etiam unus remansit Parochus pro ea regenda. Credimus enim, talem Ecclesiam, talemque Parochum integra sua iura merito retinere.

Si alterum, sequendum esse tenemus Calendarium Dioecesis, seu loci, non Instituti. Ratio est, quia iste regularis non est Parochus quatenus Regularis, sed quatenus saecularis Presbyter; ergo Ordinario, sicut reliqui, subiectus esse debet quoad paroeciam gubernandam: quippe quae non Corpus pro Superiore habet, sed Episcopum. Calendario igitur in iis uti debet Dioecesis proprio, non Instituti, cuius iura in casu recognoscere Episcopus nequit. Inferes, Ecclesiam parochialem pro huiusmodi Parocho esse considerandam velut alienam, nempe Dioecesis, in qua Parochus, ad Missam quod attinet faciendam, illius Calendarium sequi debet, et non proprium Instituti, cui tamen conformare debet officium.

Paroecia quaecumque, si a Corpore regulari regenda suscipitur, electus a Superiore Instituti, examini subiicitur, super quo Episcopus ius habet, Litterae pontificiae, seu Bullae obtineri de-

bent; et regium Placet temporum tristitia exigitur; ast manet veritas, quod Superior Instituti iure quoque polleat destituendi, iustis de causis, titularem antiquum, et novum illi sufficere. Haec pro norma Rm̃i Consulentis.

VIII. *E Rossia.* Sequentes hic observari possunt ac varii modi exponendi et reponendi SS. Sacramentum in Ostensorio:

Plurimi, imo fere omnes, exposito S. Sacramento, post incensationem, conversi cum Ostensorio ad populum, intonant: *O salutaris Hostia* et: *Uni Trinoque Domino,* dein, data benedictione, incensant SS. et incipiunt Missam vel aliud Officium.

Finito Sacro vel Officio, plurimi, post incensationem, conversi cum S. Sacramento in Ostensorio ad populum, intonant: *Tantum ergo Sacramentum*, et: *Genitori genitoque* (nonnulli hos versus canunt in lingua vulgari): tum, data benedictione, incensant SS. Sacramentum et reponunt in Pyxidem (Versum cum oratione semper omittunt): hic nonnulli etiam post incensationem conversi iterum ad populum cum Pyxide, intonant canticum aliquod in vulgari lingua et tandem incensatam Pyxidem cum SS. reponunt in Tabernaculum.

Multi, in ultima repositione S. Sacramenti occasione alicuius solemnitatis, loco *Tantum ergo Sacramentum* canunt ter conversi cum S. Sacramento ad populum: *Salvum fac populum tuum Domine;* et data benedictione asservant SS. ut supra.

Non pauci vero Sacerdotes, omissis canticis liturgicis ante repositionem S. Sacramenti, conversi cum ipso ad populum incipiunt canticum in lingua vulgari, dant benedictionem et post incensationem asservant S. Sacramentum, ut supra.

Praeterea plurimi in missis solemnibus per Octavam Corporis Christi ultimas tres strophas, scil. *Ecce panis, In figuris* et *Bone Pastor* praecinunt conversi cum S. Sacramento ad populum.

Quaeritur:

1. Utrum liceat sequi aliquam ex praedictis consuetudinibus?

2. Utrum, non obstantibus hisce consuetudinibus, liceat unicuique Sacerdoti sequi *Rituale Romanum* necnon decreta S. Rituum Congr. quoad expositionem et repositionem solemnem S. Sacramenti, sicut etiam in aliis caeremoniis sacris?

Resp. Caeremoniale Episc. est codex liturgicus nunc vigens quod expositionem spectat, et indubie sequendus. Hic autem de benedictione ab initio ad populum post thurificationem Sacramento datam, plane silet; et praxis universalis ab auctoritate probata eam prorsus excludit. Idem quoque dicas de conversione ad populum ex parte functionem agentis, ac tenentis in manibus Ostensorium dum canitur, *O salutaris Hostia,* vel, *Uni Trinoque Domino.*

Quando autem canitur *Tantum ergo,* nempe post actum absolutum Sacri vel Officii, Sacerdos iuxta praefatum codicem esse debet genuflexus, nec Ostensorium tenere, quod in throno manere debet. Expleto cantu et Oratione, tunc danda est benedictio in silentio. Quod de Ostensorio diximus pari ratione de Pyxide intelligas, cum in casu non intercedat discrimen. Hymnus autem, *Pange lingua,* hinc et duae ultimae illius strophae, ad Liturgiam pertinet, nec illum licet lingua vernacula canere in actibus liturgicis, nisi auctoritate S. R. Congregationis interveniente. Aliae preces

vernaculae, dummodo ab Episcopali auctoritate loci approbatae, cani possunt; et a fortiori latinae, ex Liturgia depromptae, uti *Salvum fac populum etc.* ante Sacramentum, non tamen dum Samentum manibus Sacerdos tenet conversus ad populum, ut superius diximus. Hoc itaque ritu excluso, quippe qui in Liturgia non extat, optime etiam canitur ante Sacramentum: *Tantum ergo, Ecce panis, Bone pastor,* aliaeve strophae ex Sequentia *Lauda Sion* depromptae.

De cantu vero, dum Sacramentum in manibus tenet Sacerdos, exempla quidem habemus, sed dum incipienda est processio; tunc enim Sacerdos ad populum conversus Ostensorium tenet, et cantores intonant *Pange lingua.* Id comprobatur, seu in processione Corporis Christi, de qua Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, cap. XXXIII, n. 20*), seu in processione feriae V in Coena Domini, de qua idem codex (*Lib. II, cap. XXIV, n. 12*), seu in alia, quae fit feria VI in parasceve, in qua canitur *Vexilla,* uti idem Caeremoniale praescribit (*Lib. II, cap. XXVI, n. 15*). Exempla duo prorsus similia nobis suppeditat Instructio Clementina, cum describit processionem, seu pro expositione, seu pro repositione Eucharistiae in Oratione quadraginta Horarum. At si a processione abstrahas, praefatum ritum in codicibus liturgicis non legimus. Cumque benedictio ad populum cum Sacramento actus sit liturgicus, saltem in se spectata, satis liquet, eam non posse dari ad libitum Sacerdotis, nempe iuxta suum speciale placitum, sed iuxta praescriptas in codice approbato normas. Unum excipimus casum, in quo Rituale aliquod particulare, a S. R. Congregatione approbatum, vel ante Ri-

tuale Romanum iam alicubi vigens et hucusque servatum, ritus praefatos permitteret: quod tamen non credimus, ob nimiam in ipsis difformitatem.

Ex quibus facile profluit ad quaesitum primum responsio. Namque, aut praefati ritus approbati sunt, iuxta superius exposita, aut non: si primum, permitti possunt, eosque sequi licet, cum nihil per se mali aut indecori continere videantur: si alterum, servari nequeunt, et utpote ex arbitrio mutari debent iuxa codicum liturgicorum normas.

Quod spectat alterum quaesitum, reponimus, cum cl. viro Dom. Dom. Roberto Marcucci ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris in suo Suffragio super Decreto in una *Strigonien.* (V. *Ephemerid.* an. 1892, pag. 58): « Optandum est ut Rituale Romanum adoptetur etiam in illis locis, in quibus habetur Rituale particulare. Nam Paulus V ad minus hortatur, ut omnes eo utantur. Praeterea Rituale Rom. a Pontifice approbatum principem habet locum super omnia Ritualia Ecclesiarum particularium, quemadmodum Romana Ecclesia ceteris omnibus nobilitate, dignitate et plenitudine potestatis antecellit. Quapropter optime potest Rituale particulare relinqui et Romanum adhiberi. Verum uniformitati maxime congruit, ut omnes, relicto particulari, Rom. Rituale sequantur ».

Quod si Ritualibus particularibus substituas quascumque consuetudines plus minusve a Rom. Rituali difformes, crescit in immensum, uti patet, vis argumentandi.

Iam nunc praefatae sententiae omnino visa est adhaerere S. R. C. quae proposito hac super re dubio pariformiter respondit. En textualia verba Decreti *Strigonien.:* « Dub. X. Rituale Romanum

licet ne ubique adhibere et in quibuscumque functionibus, etiamsi proprium Rituale in nonnullis tantum a Romano discrepans, habeatur? » Quid autem poneres, amice lector, S. R. Congregationem respondisse, si de quibusdam tantum Decretum egisset consuetudinibus relinquendis, ut in iis servaretur Rituale Romanum? Nunc audi responsum: « Affirmative (*30 Aug. 1892 ad X*) ». Eidem ergo Decreto innixi, et nobis respondere licebit ad propositum ab adm. Rev. Dom. consulente Dubium, omni cum certitudine et a fortiori: Affirmative.

Nota pro Rmo Dom. Dom. Consulente e *Fronte Africae,* seu *Capite Bonae Spei.* Calendarium Cleri Romani a Collectis a Superiore imperatis abstrahit in casu, et loquitur tantum de Orationibus ex Rubrica: Collectae autem propriis notisque normis diriguntur, et in casu omitti non debent.

IMPRIMATUR
P. Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A.
Magister.

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriarc. Nicomed.
Vicesgerens.

Proprietas literaria

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896.

LEO PP. XIII

ET

EPHEMERIDES LITURGICAE

Die 2 Iunii, semihora a meridie, post absoluta coram SSmo S. R. Congregatione Generali, quam felicissimam auspicamur, super Venerabilis S. D. Jo. Bapt. Vienney virtutibus heroicis, Sanctitas Sua alteri ex Ephemeridum Liturgicarum Moderatoribus aditum, remotis arbitris, concedere dignata est. Qui earumdem Ephemeridum nonum offerendi Volumen honore gavisus est benevolentissimo Patri.

Quam vero perhumaniter quantaque cura Sanctitas Sua munus exceperit, verbis referre vix possumus. Pauca prolatum Moderatorem de pluribus percontatus est Pontifex, super Academia Liturgica, eiusque frequentia, super Ephemeridibus, earumque progressu, ac peculiariter de amore quo seu exteri seu Romani Liturgica studia prosequuntur. Postquam interrogationibus quam optime pro veritate potuit Moderator fecerit satis, Pater Sanctissimus plura effari dignatus est, quae lubentissimo animo Venerabilibus Consociatis innuere optimum iudicamus, eoque magis quod et Sanctissimo D. N. gratissimum fore confidimus.

Itaque Sacram Liturgiam maximi faciendam esse affirmavit, utpote actuum omnium, quos erga Deum Ecclesiastici agere debent, principium et caput. Eorum enim, quae in sacris peraguntur, rationes agnoscere, quas Liturgica scientia docet, ad perfectionem in iisdem obtinendam plurimum confert. Hoc autem idem est ac Dei cultum praestantiorem facere, ipsosque Ecclesiasticos et maxime Sacerdotes numeris omnibus expletos reddere.

Qui proinde curant, ut Liturgiae studium scriptis foveatur, horumque diffusione magismagisque protendatur, optime de religione merentur. Hinc de Ephemeridibus nostris, laeto vultu gratulatus est Beatissimus Pater; nobisque pusillis, in sinu gaudentibus, erexit animum, ut opus in dies progrediens alacriori studio prosequeremur.

Post haec aliaque id genus solatoria verba, Apostolicam, quam antea supplex Ephemeridum Moderator imploraverat Benedictionem, hilari benevolentique animo Sanctitas Sua impartita est, eidem Moderatori, Operi, Coadiutoribus, Consociatisque omnibus.

Tandem, facultate facta sacrum deosculandi pedem, ac dexteram, Moderatorem Ephemeridum dimisit exultantem gaudiis.

SACRA RITUUM CONGREGATIO

I.

Quamplures Regulares, ratione suae vocationis et praedicationis, quotannis per Quadragesimam totam, per menses maii et octobris et per alia quoque tempora Sacrum peragunt extra suas Ecclesias; eaque de causa obtinuerunt ab Apostolica Sede privilegium celebrandi Missam iuxta kalendarium proprii Ordinis, quando color concordat cum colore Officii Ecclesiae in qua celebrant. Praeterea iidem Regulares habent privilegium, iuxta quod concessio illis per Apostolicam Sedem semel facta, iam amplius non debet revocata censeri, nisi de praedicta concessione fiat mentio specialis, vel saltem habeatur clausula revocatoria privilegii, etiam speciali mentione digni. Hinc quaesitum est: *Utrum Regulares, de quibus in casu, comprehendantur sub decreto Sacrorum Rituum Congregationis die 9 decembris 1895 edito?*

Sacra autem Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, atque audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus rite perpensis, respondendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 8 Februarii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefect.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

II.

Hodiernus Pater praepositus moderandae Provinciae Seraphicae Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, votis obsecundans tam ipsius Provinciae Alumnorum, quam Sacerdotum ad celebres Assisienses Ecclesias piae peregrinationis causa undique confluentium, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillimis precibus privilegium efflagitavit, quo in Sacello Portiunculae nec non in altero, olim cubiculo, ubi sanctus Patriarcha obdormivit in Domino, Missam votivam de eodem sancto Confessore propriam cuilibet Sacerdoti liceat celebrare, etiamsi Officium ritus duplicis occurrat.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, petitum Missae votivae privilegium in utroque enuntiatio Sacello celebrandae benigne indulsit, exceptis Duplicibus primae et secundae classis, Festisque de praecepto servandis, nec non Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Martii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefect.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

III.

SENOGALLIEN.

Rector cuiusdam Ecclesiae Parochialis intra fines Dioeceseos Senogalliensis, de consensu sui Ordinarii, sequens Dubium enodandum Sacrae Rituum Congregationi humillime proposuit, nimirum: An in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exequiae fiunt, tam praesente, quam absente cadavere, exponi valeat eiusdem defuncti imago; et quatenus negative, an saltem tolerari possit huiusmodi usus, ubi viget.

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad Dubium: *Negative quoad primam partem; et quoad alteram: Curandum ut eliminetur abusus.*

Atque ita rescripsit. Die 30 Aprilis 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. A. TRIPEPI *Secretarius.*

IV.

AMALPHITANA.

R̃mus D̃nus Henricus de Dominicis, Archiepiscopus Amalphitanus, ad instantiam Redactoris Kalendarii Archidioeceseos sibi concreditae, Sacram Rituum Congregationem pro insequentium Dubiorum solutione humillime rogavit; nimirum:

I. An Officia votiva, semel in mense concessa, peragi queant infra Octavas non Privilegiatas; et quatenus negative: An expetendum sit Indultum?

II. Utrum omitti possit Officium *ad libitum*, ut recitetur Officium Votivum semel in mense concessum; et quatenus affirmative: Utrum Officium *ad libitum* omissum transferri valeat in alium diem?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, respondendum censuit:

Ad I: *Negative ad primam partem: Non expedire ad secundam.*

Ad II: *Affirmative ad primam quaestionem: Negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit. Die 8 Maii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. A. TRIPEPI *Secretarius.*

V.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Rm̃us P. Commissarius Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci in Hispania a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem supplicibus votis postulavit; scilicet:

An per recentiores eiusdem Sacrae Rituum Congregationis praescriptiones et declarationes abrogatum fuerit privilegium Hispanis concessum a sa: me: Pio Papa V, per Breve 17 Decembris 1570 «Ad hoc nos Deus», quo in iis partibus Missae

solemnes, quae canuntur, statuitur et praecipitur, ut *eae juxta Ecclesiae Toletanae formam in Hispaniarum Regnis ab antiquissimo tempore receptam, decantentur?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate expensis, rescribendum censuit: *Negative; et Detur Decretum die 7 Iulii 1894 editum.*

Atque ita rescripsit. Die 8 Maii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

VI.

GERUNDEN.

Sacerdos Michael Camos, Confessarius et Capellanus Monialium Cisterciensium Monasterii *de Chatinis* Civitatis et Dioeceseos Gerundensis, sequentium Dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime flagitavit: Quum iuxta Rituale Cisterciense, Communio et Extrema Unctio administrandae sint infirmis cum alba et stola et pro ipsarum Communione afferri debeant in Calice tot Particulae, quot sunt infirmae communicandae, ac praeberi ultimae communicatae, aut proïici in ignem, vinum et aqua ablutionis Calicis, quaeritur:

I. Utrum, quando Sacerdos saecularis administrat praefatis Monialibus Sacramenta, teneatur

servare Rituale Cisterciense, an potius uti debeat Rituali Romano?

II. Si servandum sit Rituale Cisterciense, permittiturne saltem adhiberi superpelliceum loco albae et pro Communione loco Calicis, Pixidem cum pluribus Particulis, iuxta Ritum Romanum?

III. Utrum in translatione cadaverum Monialium e loco superiore Monasterii ad Chorum inferiorem, et in earum exequiis, exclusa Missa Conventuali, servari possit Rituale et Missale Romanum iuxta consuetudinem vigentem?

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisito voto alterius ex Consultoribus ipsius Sacrae Congregationis, propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. *Sacerdos saecularis, de quo in casu, debet uti Rituali Romano.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ad III. *Affirmative, dummodo lex clausurae in eiusmodi translationibus non violetur.*

Atque ita rescripsit. Die 8 Maii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

VII.

URBIS.

Nonnulli Calendariorum redactores a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem supplicibus votis efflagitarunt, nimirum:

I. An in Officiis votivis inter se concurrentibus Vesperae dividi semper debeant iuxta pecu-

liarem Rubricam, vel considerari potius debeat ratio dignitatis iuxta decretum *Evulgato* die 14 Augusti 1894?

II. An privilegium, quod Rubricae Generales Breviarii tribuunt Octavis Festorum Domini et Deiparae, ut nempe illae cedant tantum in concursu duplicibus secundae classis, istae vero solis duplicibus maioribus, intelligendum sit de solis octavis ad Festa primaria pertinentibus, an de octavis quibuscumque?

III. Dies octavi Festorum primariorum, Archangelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, et Ss. Apostolorum, suntne iudicandi digniores in ordine ad praelationem, in concursu cum aliis duplicibus minoribus?

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. *Affirmative* quoad primam partem, *Negative* quoad secundam.

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 22 Maii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. A. TRIPEPI *Secretarius*

VIII.

VALVEN. ET SULMONEN.

Rm̃us Dñus Tobias Patroni Episcopus Valven. et Sulmonen. timens ne, sub specie pietatis erga defunctos, sensim subrepant abusus decorem Do-

mus Dei temerantes, a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem humillime postulavit, nimirum:

An deceat in parietibus Ecclesiae vel publici Oratorii suspendere coronas mortuarias, ut inibi maneant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit: *Negative.*

Atque ita rescripsit, die 22 Maii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

IX.

RUTHENEN.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Christianus Ernestus Bourret, Episcopus Ruthenen. Sacram Rituum Congregationem pro sequentis Dubii solutione enixe rogavit, nimirum:

Utrum, post Decretum generale die 9 decembris 1895 editum *De Missa conformi Officio Ecclesiae vel Oratorii publici,* Calendario loci, an vero Celebrantis respondere debeant Missae, quae celebrantur in Capellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisita sententia Commis-

sionis Liturgicae, reque maturo examine perpensa, proposito Dubio respondendum censuit: Dummodo agatur de Capella principali, quae instar Oratorii publici ad effectum memorati Decreti habenda est, *Affirmative* ad I, *Negative* ad II.

Atque ita rescripsit, die 22 Maii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

ARCHAEOLOGIA SACRA

XIII.

De Coemeteriis veterum christianorum quae Romae extant.

(*Confer dissertationem mensis Aprilis*).

Coemeterium Pretextati.

Proximum coemeterio Callixti extat illud Praetextati, sinistrorsum Via Appia, quod magna ex parte sub area extenditur olim pago Triopio ac villa Herodis Attici occupata, qui praeceptor fuit M. Aurelii et L. Veri, ipseque consul cum C. Bellicio Torquato, anno 143 post Christum natum. Inter graeca epitaphia multa e coemeterio eruta illud adnotandum quod Uraniam filiam eiusdem Herodis Attici de-

signat (1). Qua de re, ait De Rossi, licet arguere ipsam professam fuisse christianam religionem (2).

Ignotus est vir Praetextatus, a quo coemeterium sumpsit nomen. Ille tamen probabilius pertinet ad Praetextatorum familiam, de qua frequenter fit mentio, saeculo quarto et quinto. Vettius Agorius Praetextatus, una cum Symmaco Deorum cultor atque defensor acerrimus, eodem genere oriundus censetur (3).

Coemeterium duobus ordinibus, uno alteri superposito constat, quorum superior admodum devastatus cernitur. Inibi recentius lapides inscripti non pauci reperti sunt saeculi quarti, atque arcosolium dectectum est cum picturis aetatis eiusdem et imaginibus sanctorum, inscriptis nominibus: *Petrus*, *Paulus*, *Sustus*.... (4). Pars autem coemeterii, quae inferius sternitur, antiquior est, ubi lapides graece ac latine inscripti, qui pulchram paleographiam exhibent, nec non sepulcra adhuc integra reperiuntur. Inibi etiam cernere datum est cubiculum eleganter depictum cum imaginibus Pastoris boni ac ad vivum expressis repraesentationibus Christi passionis, quae quamvis magna ex parte fere sint obliteratae, clare tamen exhibent Christum spinis coronatum, cui milites caput arundine percutiunt. Insigne sane monumentum dominicae passionis omnium antiquissimum (saec. II-III), quod iterum iterumque adprobat contra pervicaciam Protestantium imaginum usum cultumque a prima iam aetate ecclesiae viguisse.

---

(1) Herodes Graecus ac dives valde, ob thesaurum in Athenarum arce inventum, Romam commigraverat.

(2) *Boll. d'arch. crist.*, anno 1872.

(3) Praefectus Urbis renunciatus fuit anno 367 et 368, et Praefectus Praetorii anno 384, quo e vivis sublatus est.

(4) Idest Sixtus II Papa.

Coemeterium multis cubiculis, hypogeis, arcosoliis et cuniculis constat. Ad soli superficiem devastata intuentur oratoria duo: unum nimirum Tiburtio, Valeriano et Maximo, consociis in martyrio divae Caeciliae, dicatum; alterum sancto Zenoni, qui omnes his in arenariis quieverunt in Christo. Penes eadem oratoria aedes extabant pro fossoribus et clericis, ubi aliquandiu delituit, saeculo sexto, Ioannes III, iuxta Librum Pontificalem, dum bellum inter Romanos et Narsetem saeviebat. Ast praeter hos martyres illic depositi sunt Felicissimus et Agapitus, diaconi sancti Sixti II, qui una cum eo, dum sacra facerent in eodem coemeterio die sexta Augusti, anno 258, sub Valeriano necati sunt (1). Pontifex, in propria cathedra a satellitibus deprehensus, obtruncato capite occubuit martyr, quae ipsius respersa sanguine, in eius sepulcro ad coemeterium Callixti servata est. Supra locum decollationis oratorium exaedificatum fuit, quod aevo medio ita designabatur: *Ubi Sixtus cum suis diaconibus decollatus est.* In coemeterio etiam iacuit Cyrinus seu Quirinus tribunus militum, qui passus est sub Adriano, conditus in sarcophago, cuius imago caelata ac laticlavo distincta cernebatur; quod signum militare ac senatoriale erat (2).

Sed martyr illustrior huius coemeterii Ianuarius est, filius natu maior sanctae Felicitatis anno 162 occisus, ex quo dictum est *coemeterium Praetextati ad sanctum Ianuarium.* Iacebat hic una cum caeteris quos supra notavimus *in spelunca magna*, seu in amplo cubiculo, quod, anno 1857, una cum eius crypta detectum est (3); quae quidem opere

(1) Valerianus edictum persecutionis ediderat, anno 257 mense Augusto, quo episcopos aliosque de clero ad idolorum cultum cogebat, cunctisque christianis ne coemeteria intrarent indixerat sub mortis poena. V. *Ruinart*, pag. 216 et *Aubé* IV, pag. 343.

(2) Unde *laticlavii* huiusmodi tribuni dicti sunt. Paucis abhinc annis monumentum hoc insigne furtim surreptum est.

(3) V. De Rossi, *Boll. d'arch. crist.*, an. 1863.

lateritio efformata ac decorata marmoribus, etiam elegantioribus picturis, aetatis qua Antonini imperabant, clara effulgebat. Illic sarcophagi quidam confracti extabant, ac lapis magnus Damasianus item confractus, quem Pontifex Martyri inlustri posuerat, scilicet.

> BEATISSIMO MARTYRI
> IANVARIO
> DAMASVS EPISCOP
> FECIT

(1)

Adhuc ignotus in spelunca magna est locus, ubi depositus est Urbanus Episcopus et Martyr, persaepe cum Urbano I Papa confusus. Hic reapse martyr non fuit, uti innuimus in praecedenti fasciculo, neque ille est, de quo acta S. Caeciliae loquuntur; quod enim in his narratur ad Urbanum pagi Triopii episcopum referri debent, qui tempore Marci Aurelii et Commodi vixit (2). Utinam monumenta Urbani Episcopi effodiantur ut eius acta inclytaeque Virginis Caeciliae illustriora innotescant!

Inter nobiliora christianorum sepulcra huius coemeterii inventus est sarcophagus Postumii Quieti Viri Clarissimi (3). Pro ritu vero baptismi notatu dignus est vasculus seu urceolus ex aere ibi repertus (4), imaginibus sculptis elaboratus, qui piscationem apostolicam exhibet cum pisciculis in aqua ac naviculis, ex quibus piscatores hamos ac retia mittunt.

---

(1) Ex inscriptione eruitur titulum *Beatissimus*, saeculo quarto, sanctos martyres significasse.

(2) De hac historica quaestione fuse docteque cl. De Rossi disserit.

(3) De Rossi, *Boll. d'arch. crist.*, 1866.

(4) Servatur adhuc in musaeo Kircheriano Romae.

Quae symbola ad fidem in baptismo certe spectant, vel eo magis quod urceolus probabilius pro bapismate administrando inserviit.

Coemeterium Domitillae.

Quod ponitur Via Ardeatina (1), efformatum est ex variis hypogeis primitus seorsim divisis ac deinde per subterraneos cuniculos coniunctis. Horum praecipuum illud est gentis Flaviorum nobilissimae, ex qua Vespasianus, Titus, Domitianus imperatores prodiere. Praedia igitur sub quibus coemeterium laxatur, quae iam *Amarantiana*, nunc corrupto vocabulo *Tor Marancia* appellantur, possidebant Flavii christiani, saeculo primo. Id ex lapide inibi effosso eruitur, quo area sepulcri in praedio Flaviorum concessa est cuidam extraneo *ex indulgentia Flaviae Domitillae* (2). Item ex aliis lapidibus scimus eandem indulgentiam aliis ab ea fuisse concessam, uti ex sequenti inscriptione constat.

FLAVIAE DOMITIL*lae*
divi VESPASIANI NEPTIS
EIVS BENEFICIO HOC SEPVLCHRV*m*
MEIS LIBERTIS LIBERTABVS POS*ui*

Flaviorum gens Reate oriunda christianam religionem amplexa est, saeculo primo. Consul Flavius Clemens, filius Titi Flavii Sabini, martyr occubuit sub Domitiano (3); Flavia

(1) Sic dicta, quia Ardeam ducebat, olim urbem Latii prope Tyrrenum mare.

(2) Orelli, *Inscrip.* I.

(3) Consul fuit anno 95, quo martyrii palmam est consequutus. De eo Svetonius loquitur *in vit. Domit.* XV.

Domitilla senior eius uxor in insulam Pandatariam religionis causa relegata est, uti ex Dione constat. Christianam religionem item illustrarunt Plautilla eiusque filia Flavia Domitilla iunior, quae ob fidem in Christo ad relegationem in insula Pontia Tyrreni maris damnata est, nec non Aurelia Petronilla, quae a nonnnullis filia naturalis B. Petri Apostoli perperam existimatur, cum nonnisi filia spiritualis eiusdem censenda sit; ipsa enim agnomen gentis suae haereditavit, scilicet Titi Flavii Petronii, primi e stirpe Flaviorum (1).

Saeculo primo, etiam ingravescentibus persecutionum periculis, introitus ad hypogeum Flaviorum, propter eorum prosapiam pernobilem, in viam publicam patebat, scilicet ad bivium Ardeatinae et Ostiensis. Hypogeum vero ipsum pulchro ornatu clarisque picturis, quibus etiam christianorum symbola commixta sunt, effulgebat; quae picturae, si artis pulchritudinem spectes, his aequiparantur, quas in villa Liviae *ad Gallinas albas*, via Flaminia, prope veterem stationem *ad Rubras* intuemur.

Multa et alia hypogea atque cubicula picturis clara sunt, quae innumeris cuniculis partim rectis, partim sinuosis inter se coniunguntur, ubi ingens lapidum et sarcophagorum numerus iacet, quorum maior pars confracta; non pauci vero adhuc ad locum suum. Ex quo arguere licet non tantum celeberrimos martyres ibi quievisse, verum etiam clarissimos viros, uti ex elegantia sepulcrorum nominumque celebritate constat, praeter gentem Flaviorum.

Inter clariora cubicula illud recordari placet quod Ampliati dicitur, omnium nobilissimum genere picturarum, quae depictas parietes Pompeianas illasque domus Germanici Ro-

(1) V. quae diximus in fasciculo mensis Novembris anni 1895 ad pag. 656.

mae in monte Palatino egregie imitantur (1). Tholum vero posteriori aetate depictum cernitur. Cubiculum ad excipiendos sarcophagos primitus destinatum apparet; nam decursu temporis in parietibus arcosolia duo aperta sunt, pavonibus depictis decorata. Ibi antiquus illius titulus magno lapide pulchraque paleographia, aetate Flaviorum incisus, repertus est. Hunc exhibemus (2).

AMPLIATI

Ampliati nomen, quamvis origine fuerit servile, hic tamen praeclarum virum designat. Nescimus an ille sit quem meminit Paulus in Epistola ad Romanos inquiens: *Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.* In eodem cubiculo lapis alter nomen retulit gentis suae, scilicet *Aurelii Ampliati* eiusque uxoris *Aureliae Bonifatiae* (3).

In altero cubiculo pistores intuemur portantes sacculos frumentorum, qui, uti asserit cl. Wilpert contra quosdam interpretes, non exprimunt repraesentationem ex historia sacra desumptam, sed officia collegii pistorum, cuius corpori hi adnumerandi sunt (4). Et revera in regione huius cubiculi, et alibi circa ipsam, sepulcra extant pistorum christianorum. Parietes coemeterii aliis etiam multisque picturis condecorantur; inter caeteras intuemur sacrificium Abrahae,

(1) Ampliatus, ut ait De Rossi, hasce picturas ethnico artifici probabiliter exequendas commisit. *Boll. d'arch. crist.* 1881, p. 57.

(2) Refert De Rossi, loc. cit. Tab. VI

(3) Bonifatia vel Bonifatius exprimit bonum fatum; Bonifacius bonum facio.

(4) Horrea publica Urbis annonae sub Aventino extabant prope ripam fluminis.

cui volitans adstat columba (1), Lazarum a morte resuscitatum, Orphaeum sedentem ac cithara personantem, animalibus hinc inde mansuetis ferocibusque, qui Christum significat, utpote dulcedine eloquii sui iustos et peccatores ad se trahentem; imagines duas Beatae Virginis cum puero Iesu Magis adstantibus (2), Adam et Evam post peccatum, Petrum et Paulum, atque inter eos orantem mulierem, qua significatur anima cuiusdam defunctae, aliasque picturas Veteris et Novi Testamenti.

Martyres plurimi in coemeterio Domitillae conditi fuere, quos inter adnumerantur Nereus et Achilleus, familiares Flaviae Domitillae iunioris; supra eorum sepulcrum, anno circiter 391, exaedificata est basilica columnis ornata, quae paucis abhinc annis noviter in lucem venit, in qua Gregorius Magnus homeliam habuit, inquiens, inter caetera: *Isti sancti ad quorum tumbam consistimus.* Igitur non est habita in basilica eorundem martyrum intra moenia tituli Fasciolae, ubi legitur ipsamet homelia in cathedra episcopali incisa, sed in veteri basilica via Ardeatina, cum aetate Gregorii Magni illic adhuc Nerei et Achillei corpora colebantur (3). In ingressu huius basilicae, parieti affixum legitur elogium Damasianum, quamvis mutilum ad honorem istorum martyrum. Fragmentum columnellae, quod illic extat, quodque tegurium ipsius basilicae sustentabat, repraesentat caelaturâ martyrium divi Achillei, nomine inscripto — *Acil-*

---

(1) Id nobis innuit orationem antiquae liturgiae, quae etiam nunc viget, idest: *Libera, Domine, animam servi tui sicut liberasti Isaac de hostia et de manu patris sui Abrahae;* anima enim per columbam significatur.

(2) Confer quae diximus in fasciculo mensis Iunii an. 1895.

(3) Confer quae de his retulimus in fasciculo mensis Augusti an. ut supra pag. 472.

leus — (1). Ibi quoque servatum scimus corpus S. Petronillae usque dum ad templum Vaticanum, anno 757, mense octobri, translatum est. Ex codicibus Salisburgense et Wirceburgense habemus: *Iuxta viam Ardeatinam ecclesia est S. Petronellae: ibi quoque S. Nereus et S. Achilleus sunt et ipsa Petronella sepulti.* Huius sanctae virginis antiquissima pictura extat in eodem coemeterio, quae suscipit christianam mulierem nomine Venerandam cum hac inscriptione super parietem: PE TR O NEL LA MART. (2).

Inibi extat adhuc integrum cubiculum cum subselliis, quod fuerat adhibitum pro usu scholae et triclinii ad excipiendos alendosque pauperes, quum funebria convivia celebrarentur. Inter epitaphia celebriora illud est graece inscriptum, quo Demetrius et Leontia *Dominum Iesum* pro filia Siricia exorant, aliudque, pariter graece exaratum, quo affirmatur Primam cum filia *in Deo Domino Christo* dormire.

Huic coemeterio Domitillae, saeculo quarto, iunctum est *coemeterium Basilei*, de quo fit mentio in antiquissimo codice alteri codici inserto, cui titulus *Notitia regionum urbis.*

Coemeterium S. Sebastiani seu ad Catacumbas.

Hoc tantum coemeterium nomine ad Catacumbas antiquitus appellatum est, cum caetera coemeteria catacumbae dicta sint, nono circiter saeculo. Praeterquam ex itinerariis et kalendariis, constat hoc nomen illi datum fuisse ex lapide, qui impraesentiarum servatur Mediolani in bibliotheca Ambrosiana, mendis plenus: sequens est.

---

(1) Altera columnella quae periit exhibere debebat martyrium Nerei.

(2) Diximus iam Petronillam non fuisse martyrem: neque obstat titulus inscriptionis: aliquando enim improprie Sanctis martyris titulus tribuebatur.

EGO EVSEBIVS ANTIOCENO
S AN[1] PL · M · LXX COMPARAVI E
GO SS · VIVVS IN CATACVMBAAΔ
LVMENAREM A EOSSORE OC
APATO STANEES AMICV
S D III IDVS SEPT · ☧

Persaepe scriptores pro uno eodemque coemeterio acceperunt illud S. Sebastiani aliudque proximum Callixti; sed revera primum ab altero omnino distinctum censendum est. Itinerarium Salisburgense de eo sic mentionem facit: *Postea pervenies via Appia ad S. Sebastianum m. cuius corpus iacet in inferiore loco, et ibi sunt sepulcra Apostolorum Petri et Pauli, in quibus XL annorum requiescebant, et in occidentali parte ecclesiae per gradus descendis, ubi S. Cyrinus pp. et m. pausat* (1). Itinerarium igitur memorat corpus S. Sebastiani illic quiescere, quod cum aliquandiu iacuisset in Basilica ad Vaticanum, tandem Honorius III suae Ecclesiae Via Appia restituit. De inlustri martyre fit mentio in inscriptione pro voti solutione, quam ad Catacumbas posuerunt Proclinus et Ursus Praesbyteri Tituli Bizantis (2), et in *pittaciis ampullarum Iohannis Abbatis.* Acta eius martyrii, quamvis antiqua, quae perperam divo Ambrosio Mediolanensi tribuuntur, tamen non integre sincera sunt. Ex his deprehendimus sepultum fuisse a Lucina *iuxta vestigia Apostolorum.*

S. Cyrinus, de quo Itinerarium loquitur, idem est ac Quirinus Episcopus Sisciae in Pannonia, de quo loquitur Pru-

---

(1) De translatione corporum Petri et Pauli ad hunc locum alio loco harum Ephemeridum tractabimus.

(2) Hanc retulimus in fasciculo mensis praecedentis ad pag. 139.

dentius, cuius corpus Romam delatum est, cum barbari, capta regione, eam depopularentur. Ad S. Sebastianum in Catacumbis adhuc integrum legitur elogium quod Damasus Pontifex martyri Eutychio versibus exaratum posuerat, quod nos retulimus in fasciculo mensis Augusti 1894 ad pag. 467. Martyr vero modo requiescit in Basilica S. Laurentii in Damaso.

Damasus ipse supra coemeterium basilicam divo Sebastiano aedificavit. Id eruitur ex Libro Pontificali iuxta verba ad veram lectionem restituta (1), idest: *Hic* (Damasus) *fecit basilicas tres: unam beato Laurentio iuxta theatrum, et aliam via Ardeatina, ubi requiescit, et in catacumbis, ubi iacuerunt corpora BB. Apostolorum Petri et Pauli, in quo loco Platomam ipsam versibus exórnavit.* Platoma seu Platonia, ubi Quirinus Episcopus iacuit, locus est marmoribus stratus, quo Principum Apostolorum corpora deposita sunt, quam a Pontifice illustratam carmine in eorum memoriam scimus. Carmen legendum propono.

HIC HABITASSE PRIVS SANCTOS COGNOSCERE DEBES
NOMINA QVISQVE PETRI PARITER PAVLIQVE REQVIRIS
DISCIPVLOS ORIENS MISIT QVOD SPONTE FATEMVR
SANGVINIS OB MERITVM CHRISTVMQVE PER ASTRA SECVTI
AETHERIOS PETIERE SINVS REGNAQVE PIORVM
ROMA SVOS POTIVS MERVIT DEFENDERE CIVES
HAEC DAMASVS VESTRAS REFERAT NOVA SYDERA LAVDES (2).

Anteactis saeculis, quibus alia Urbis Romae coemeteria fere ignota erant, utpote terris ruinisque oppleta, illud tantum divi Sebastiani pietati illustrium virorum patebat. Illic

---

(1) V. Ioann. Bapt. Lugari: *Le Catacombe, ossia il sepolcro apost. dell'Appia,* Roma 1888.

(2) Carmen refert De Rossi, *Insc. chr.* II, 300 et alibi, aliique quamplures.

in oratione morabantur frequenter sancti Philippus Nerius, Carolus Borromaeus ac Birgitta.

Anno 1877, cura Ioannis Baptistae De Rossi in lucem prodierunt picturae arcosolii cuiusdam: praeter mulierem orantem, persaepe in coemeteriis delineatam, et Moysen qui rupem percutit, apparuit imago Salvatoris nostri a vertice ad pectus, adhuc iuvenis, cum capillo prolixo, nec non subtus imaginem ipsam Praesepe cum Iesu Infante pannis involuto, cumque duobus hinc inde animalibus, quae iuxta traditionem Christo infanti mox nato adstiterunt. Pictura insignis ad aetatem constantinianam refertur, cum Christi monogrammate notetur (1).

Supra aream coemeterii huius, uti de aliis coemeteriis notavimus, oratoria, aediculae, sepulcra et etiam mausolea aedificata sunt, inter quae mausoleum Uraniorum christianorum, qui probabiliter de gente fuere ex qua divus Ambrosius Episcopus originem duxit, cum eorum sepulcra Via Appia sita fuerint, uti refert De Rossi. Ex epitaphiis coemeterii memoramus illud Victoris, qui fuit Praefectus Annonae ac deinde senator, saeculo quinto, ac comes aulae imperatorum, aliudque Simplicii viri clarissimi, idest senatoris, et Dinymae clarissimae foeminae aliorumque eiusdem generis anni 376.

Antequam finem faciam advertendum puto ne decipiatur lector, quum quasdam leget inscriptiones parietibus affixas Ecclesiae S. Sebastiani, in quibus multa errata inveniet ex ignorantia scriptorum, exempli gratia, de numero quadraginta sex Pontificum illic sepultorum ac de centum septuaginta quatuor millibus martyrum in eodem loco quiescientium.

Joseph Canonicus Cascioli.

---

(1) De Rossi, *Boll. d'arch. crist.* 1877, pag. 41, et seq.

AD VENERABILES CONSOCIATOS
NOTITIA SUPER CALENDARIO UNIVERSALI

Quamplures e Ven. Consociatis nostris, uti ex Dubiis, quae saepe ad Directionem Ephemeridum Liturgicarum resolvenda proponunt, satis evincitur, quandoque in incerto versantur super aliquibus officiis recitandis vel non, quae in Calendario Cleri Romani adnotantur. Dubitandi ratio est, quia multi extra Urbem, maxime extra Italiam, ex privilegio Calendario Cleri Romani utuntur; at nihilominus non omnia, neque sub eodem ritu, officia, quae in eodem Calendario notantur, recitare possunt. Hinc variae, quae fiunt, in dicto Calendario divisiones pro utentibus Romae, pro utentibus in Italia, pro utentibus extra Italiam, etc. etc. Eapropter, ut universi Calendariorum redactores apprime sciant, ubicumque versentur, sive Calendario universali, sive Cleri Urbis uti debeant, quaenam officia ad relativum Clerum spectent, et qualis eorum ritus, ob oculos eorum ponere normas, quibus dirigitur Calendarium, quod in Urbe pro omnibus Cleris conficitur, optimum iudicamus. Sicque facile ex diversis categoriis, quae in dicto Calendario inspiciuntur, unusquisque suam, quae sibi nempe competit, suoque Clero, pro quo conficere Calendarium debet, cognoscere ac seligere poterit, errores vitare, omnique securitate munus suum explere.

I. In Calendario Urbis et Orbis habentur sequentes subdivisiones:

1. **Clerus saecularis Urbis**
2. **Clerus regularis Urbis**
3. **Clerus saecularis Status Ecclesiastici**
4. **Clerus regularis Status Ecclesiastici**
5. **Clerus saecularis Italiae**
6. **Clerus regularis Italiae**
7. **Clerus saecularis extra Italiam**
8. **Clerus regularis extra Italiam**
9. **Non utentes in Urbe**
10. **Non utentes Status Ecclesiastici**
11. **Non utentes in Italia**
12. **Non utentes extra Italiam.**

II. Primae octo ex praefatis categoriis pertinent ad *Utentes* Calendario pro Clero Romano; postremae quatuor ad *Non utentes,* ad eos nempe, qui utuntur Calendario universali.

III. **Clerus regularis Urbis** (*Cat. n. 2*) non gaudet sequentibus Officiis:

a) S. Gabriele Archangelo (18 Mart.) concesso soli Clero saeculari utenti.

b) S. Emidio Episc. et Mart. (9 Aug.) concesso soli Clero saeculari Urbis.

c) Octava Transfigurationis (13 Aug.) quia Titulus Cathedralis (Romae Transfiguratio 6 Aug.) pro Regularibus est sine octava.

d) S. Raphaele Archangelo (24 Octobr.) concesso soli Clero saeculari utenti.

e) Octava Dedicationis Basilicae Lateranensis (16 Novembr.) quia Regulares celebrant Dedicationem Cathedralis sub ritu 2. cl. *sine octava.*

IV. **Clerus saecularis Status Ecclesiastici** (*Cat. n. 3*) non gaudet sequentibus Officiis:

a) S. Familia (Dom. III post Epiph.) pro Roma tantum (*utentibus vel non*).

b) Apparitione B. M. V. Immaculatae (11 Februar.) concessa solum *utentibus Romae.*

c) Prodigiis B. M. V. (9 Iul.) pro Roma tantum (*utentibus vel non*).

d) S. Emidio Episc. et Mart. (9 Aug.) pro solo *Clero saeculari Urbis.*

e) Octava Transfigurationis (13 Aug.) quia Transfiguratio, *cum non sit Titulus Cathedralis,* recolitur sub ritu duplici maiori sine octava.

f) S. Galla Vidua (5 Octobr.) pro sola Urbe (*utentibus vel non*).

g) SS. Redemptore (23 Octobr.) pro solis *utentibus Romae.*

h) Octava Dedicationis Basilicae Lateranensis (16 Novembr.), quia licet inter festa primaria sit eius Dedicatio recensenda pro universa Ecclesia; non tamen propria extra Ecclesiam dici potest. Id enim non ex natura festi oritur, sed tantum ex privilegio, quod illi concessum est.

V. **Clerus regularis Status Ecclesiastici** (*Cat. n. 4*) non gaudet sequentibus Officiis:

a) S. Familia (Dom. III post Epiph.) uti superius.

b) Apparitione B. M. V. Immaculatae (11 Febr.) u. s.

c) S. Gabriele Archangelo (18 Mart.) u. s.

d) Prodigiis B. M. V. (9 Iul.) u. s.

e) S. Emidio Episc. et Mart. (9 Aug.) u. s.

f) Octava Transfigurationis (13 Aug.) u. s.
g) S. Galla Vidua (5 Octobr.) u. s.
h) SS. Redemptore (23 Octobr.) u. s.
i) S. Raphaele Archangelo (24 Octobr.) u. s.
k) Octava Dedicationis Basilicae Lateranensis (16 Novembr.) u. s.

VI. **Clerus saecularis Italiae** (*Cat. n. 5*) non gaudet sequentibus Officiis:
a) S. Familia (Dom. III post Epiph.) u. s.
b) Desponsatione B. M. V. (23 Ianuar.) pro solo *Statu Ecclesiastico, Veneto et alibi* (*utentibus vel non*).
c) S. Hyacintha de Mariscottis (6 Februar.) pro solo *Statu Ecclesiastico* (*utentibus vel non*).
d) Apparitione B. M. V. Immaculatae (11 Februar.) uti superius.
e) B. M. V. sub titulo Auxilium Christianorum (24 Maii) pro solo *Statu Ecclesiastico* (*utentibus vel non*).
f) S. Ferdinando Conf. (30 Maii vel 8 Iun.) pro solo *Statu Ecclesiastico* (*utentibus vel non*).
g) Prodigiis B. M. V. (9 Iul.) u. s.
h) S. Veronica de Iulianis (9 vel 27 Iul.) pro solo *Statu Ecclesiastico* (*utentibus vel non*).
i) S. Emidio Episc. et Mart. (9 Aug.) u. s.
k) Octava Transfigurationis (13 Aug.) u. s.
l) S. Rosa Viterbiensi (4 Septembr.) pro solo *Statu Ecclesiastico et Etruria* (*utentibus vel non*).
m) S. Galla Vidua (5 Octobr.) u. s.
n) SS. Redemptore (23 Octobr.) u. s.
o) Patrocinio B. M. V. (Dom. II Novembr.) pro solo *Statu Ecclesiastico* (*utentibus vel non*).

p) Octava Dedicationis Basilicae Lateranensis (16 Novembr.) u. s.

q) Translatione almae Domus Lauretanae (10 Decembr.) pro solo *Statu Ecclesiastico et Veneto* (*utentibus vel non*).

r) Expectatione Partus (18 Decembr.) pro solo *Statu Ecclesiastico, Veneto, Hispano et alibi.*

VII. **Clerus regularis Italiae** (*Cat. n. 6*) non gaudet sequentibus Officiis:

a) S. Familia (Dom. III post Epiph.) u. s.

b) Desponsatione B. M. V. (23 Ianuar.) u. s.

c) S. Hyacintha de Mariscottis (6 Febr.) u. s.

d) Apparitione B. M. V. Immaculatae (11 Februar.) u. s.

e) S. Gabriele Archangelo (18 Mart.) u. s.

f) B. M. V. sub tit. Auxilium Christianorum (24 Maii) u. s.

g) S. Ferdinando Conf. (30 Maii vel 8 Iun.) u. s.

h) Prodigiis B. M. V. (9 Iul.) u. s.

i) S. Veronica de Iulianis (9 vel 27 Iul.) u. s.

k) S. Emidio Episc. et Mart. (9 Aug.) u. s.

l) Octava Transfigurationis (13 Aug.) u. s.

m) S. Rosa Viterbiensi (4 Septembr.) u. s.

n) S. Galla Vidua (5 Octobr.) u. s.

o) SS. Redemptore (23 Octobr.) u. s.

p) S. Raphaele Archangelo (24 Octobr.) u. s.

q) Patrocinio B. M. V. (Dom. II Novembr.) u. s.

r) Octava Dedicationis Basilicae Lateranensis (16 Novembr.) u. s.

s) Translatione almae Domus Lauret. (10 Decembr.) u. s.

t) Expectatione Partus (18 Decembr.) u. s.

VIII. **Clerus saecularis extra Italiam** (*Cat. n. 7*) non gaudet sequentibus Officiis:

a) S. Familia (Dom. III post Epiph.) u. s.
b) Desponsatione B. M. V. (23 Ianuar.) u. s.
c) S. Hyacintha de Mariscottis (6 Febr.) u. s.
d) Apparitione B. M. V. Immaculatae (11 Februar.) u. s.
e) S. Margarita Cortonen. (23 vel 26 Febr.) pro sola *Italia* (*utentibus vel non*).
f) S. Catharina Flisca Adurna (22 Mart.) pro sola *Italia et Insulis adiacentibus* (*utentibus vel non*).
g) S. Felice a Cantalicio (21 Maii) pro sola *Italia et Insulis adiacentibus* (*utentibus vel non*).
h) B. M. V. sub titul. Auxilium Christianorum (24 Maii) u. s.
i) S. Ferdinando Conf. (30 Maii vel 8 Iun.) u. s.
k) Prodigiis B. M. V. (9 Iul.) u. s.
l) S. Veronica de Iulianis (9 vel 27 Iul.) u. s.
m) S. Emidio Episc. et Mart. (9 Aug.) u. s.
n) Octava Transfigurationis (13 Aug.) u. s.
o) S. Rosa a Viterbio (4 Septembr.) u. s.
p) S. Galla Vidua (5 Octobr.) u. s.
q) SS. Redemptore (23 Octobr.) u. s.
r) Patrocinio B. M. V. (Dom. II Novembr.) u. s.
s) Octava Dedicationis Basilicae Lateranensis (16 Novembr.) u. s.
t) S. Stanislao Kostka (13 vel 16 Nov. vel 5 Dec.) pro sola *Italia et Insulis adiacentibus* (*utentibus vel non*).
u) Translatione almae Domus Lauretanae (10 Decembr.) u. s.
v) Expectatione Partus (18 Decembr.) u. s.

IX. **Clerus regularis extra Italiam** (*Cat. n. 8*) non gaudet sequentibus Officiis:

a) S. Familia (Dom. III post Epiph.) u. s.
b) Desponsatione B. M. V. (23 Ianuar.) u. s.
c) S. Hyacintha de Mariscottis (6 Februar.) u. s.
d) Apparitione B. M. V. Immaculatae (11 Februar.) u. s.
e) S. Margarita a Cortona (23 vel 26 Febr.) u. s.
f) S. Gabriele Archangelo (18 Mart.) u. s.
g) S. Catharina Flisca Adurna (22 Mart.) u. s.
h) S. Felice a Cantalicio (21 Maii) u. s.
i) B. M. V. sub tit. Auxilium Christianorum (24 Maii) u. s.
k) S. Ferdinando Conf. (30 Maii) u. s.
l) Prodigiis B. M. V. (9 Iul.) u. s.
m) S. Veronica de Iulianis (9 vel 27 Iul.) u. s.
n) S. Emidio Episc. et Mart. (9 Aug.) u. s.
o) Octava Transfigurationis (13 Aug.) u. s.
p) S. Rosa a Viterbio (4 Septembr.) u. s.
q) S. Galla Vidua (5 Octobr.) u. s.
r) SS. Redemptore (23 Octobr.) u. s.
s) S. Raphaele Archangelo (24 Octobr.) u. s.
t) Patrocinio B. M. V. (Dom. II Novembr.) u. s.
u) Octava Dedicationis Basilicae Lateranensis (16 Novembr.) u. s.
v) S. Stanislao Kostka (13 vel 16 Novembr., vel 5 Decembr.) u. s.
x) Translatione almae Domus Lauretanae (10 Decembr.) u. s.
y) Expectatione Partus (18 Decembr.) u. s.

X. **Non utentes** sequuntur omnes Calendarium universale (*Cat. n. 12*) cum sequentibus exceptionibus:

XI. **Non utentes** in Urbe (*Cat. n. 9*) gaudent etiam sequentibus Officiis:

a) S. Familia (Dom. III post Epiph.) u. s.
b) Desponsatione B. M. V. (23 Ianuar.) u. s.
c) S. Hyacintha de Mariscottis (6 Februar.) u. s.
d) S. Margarita a Cortona (23 vel 26 Febr.) u. s.
e) Catharina Flisca Adurna (22 Mart.) u. s.
f) S. Felice a Cantalicio (21 Maii) u. s.
g) B. M. V. sub tit. Auxilium Christianorum (24 Maii) u. s.
h) S. Ferdinando Conf. (30 Mai) u. s.
i) Prodigiis B. M. V. (9 Iul.) u. s.
k) S. Veronica de Iulianis (27 Iul.) u. s.
l) S. Rosa a Viterbio (4 Septembr.) u. s.
m) S. Galla Vid. (5 Octobr.) u. s.
n) Patrocinio B. M. V. (Dom. II Novembr.) u. s.
o) S. Stanislao Kostka (13 Novembr.) u. s.
p) Translatione almae Domus Lauretanae (10 Decembr.) u. s.
q) Expectatione Partus (18 Decembr.) u. s.

XII. **Non utentes Status Ecclesiastici** (*Cat. n. 10*) gaudent etiam nonnullis ex praedictis Officiis, nempe:

a) Desponsatione B. M. V. (23 Ianuar.) u. s.
b) S. Hyacintha de Mariscottis (6 Februar.) u. s.
c) S. Margarita a Cortona (23 aut 26 Febr.) u. s.
d) S. Catharina Flisca Adurna (22 Mart.) u. s.
e) S. Felice a Cantalicio (21 Maii) u. s.
f) B. M. V. sub tit. Auxil. Christianorum (24 Maii) u. s.
g) S. Ferdinando Conf. (30 Maii) u. s.
h) S. Veronica de Iulianis (9 Iul.) u. s.
i) S. Rosa a Viterbio (4 Septembr.) u. s.
k) Patrocinio B. M. V. (Dom. II Novembr.) u. s.

l) S. Stanislao Kostka (13 Novembr.) u. s.
m) Translatione almae Domus Lauretanae (10 Decembr.) u. s.
n) Expectatione Partus (18 Decembr.) u. s.

XIII. **Non utentes in Italia** (*Cat. n. 11*) gaudent etiam aliquibus ex dictis Officiis, nempe:
a) S. Margarita a Cortona (23 aut 26 Febr.) u. s.
b) S. Catharina Flisca Adurna (22 Mart.) u. s.
c) S. Felice a Cantalicio (21 Maii) u. s.
d) S. Stanislao Kostka (13 Novembr.) u. s.

XIV. **Romae** tam Utentes quam non Utentes gaudent sub ritu diverso sequentibus Officiis:
a) S. Martina (30 Ian. aut 15 Febr.) *dupl.* extra Urbem *semid.*
b) Ss. Vincentio et Anastasio (22 Ianuar.) *dupl.* extra Urb. *semid.*
c) S. Catharina Senensi (30 April.) *dupl. 2. cl. uti Patron. secund.*, extra Urb. *dupl.*
d) S. Philippo Neri (26 Maii) *dupl. 2. cl.* et de praec. *uti Apost. Romae;* extra vero *dupl.* non festiv.
e) S. Maria Magdalena de Pazzis (27 Maii aut 3 Iun.) *dupl.* extra Italiam et Insulas adiacentes *semid.*
f) S. Alexio (17 vel 21 Iul.) *dupl.* cum lection. et Missa (*Egredere*) propria; extra Romam *semid.* cum lect. ut in Brev.et Miss. (*Os iusti*). propria.
g) S. Martha (30 Iul. ex 29 eiusd.) *dupl. pro solo Clero saeculari;* pro Clero regulari et extra Urbem. *semid.*
h) Transfiguratione D. N. I. C. (6 Aug.) *dupl. 1. cl. cum oct.* (uti titulo Cathedralis). Pro

Regularibus est *dupl. 1. cl. sine oct.* (Romae tantum): extra Rom. *dupl. mai. sine oct.*

i) Dedicatione Basilicae SS. Salvatoris (9 Novembr.) *dupl. 1. cl. cum oct.* (uti Cathedralis Romanae). Pro Clero regulari Urbis *dupl. 2. cl. sine oct.*, extra Urb. *dupl. mai. sine oct.*

k) S. Gregorio Thaumaturgo (17 Novembr.) *dupl.;* extra Romam *semid.*

XV. **In Italia et Insulis adiacentibus** S. Maria Magdalena de Pazzis (27 Maii) *dupl.;* extra *semid.*

Nota. Huiusce notitiae vulgatione facta, pluribus Dubiis undequaque nobis exhibitis respondere praetermittimus.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

VI.

Cum piae sodalitatis praesides proprium Oratorium, in inferiori latere ampliatum, novoque ex variato lapide pavimento decoratum, in elegantiorem formam redegissent, supplicem libellum Ordinario loci exhibere statuerunt, ut in proximo titularis Festo solemniter illud consecrare dignaretur. Haec audiens Augustinus eiusdem Oratorii

cappellanus, praesidum voluntati acriter obstitit, asserens Oratoria etiam publica consecrationis honore haudquaquam donari posse. Insuper cum a primaeva sui erectione Oratorium sodalitatis fuerit benedictum, nec adiectae constructiones, reparationes ac ornatus illius substantiam immutaverint, priorem benedictionem firmam adhuc in suo robore permanere censendum omnino esse. Attamen ut confraternitatis praesidibus a propria sententia recedere nolentibus aliquantulum indulgeat, Augustinus in pervigilio titularis, quo die Oratorium publico fidelium cultui reservabatur, sub vesperum, sodalitate congregata, indutus super alba stola ac pluviali albi coloris, adhibita forma quae a Rituali Romano praescribitur pro benedictione novae domus, solemniter illud benedicit.

Quaeritur:

1. *Utrum olim Oratoria sive publica sive privata consecrari in more positum fuerit; et quanam ratione huiusmodi disciplinae insequentibus saeculis fuerit derogatum?*

2. *Num in praesentiarum eadem nefas sit consecrare, sed benedicenda tantum sint; hocque in casu, quanam forma et auctoritate?*

3. *An Augustini sententia agendique ratio, omnibus mature perpensis, quae supra in casu exponuntur, laudanda sit, et in pari casu in praxim deduci possit?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. I. G. Victorine e Pont. Coll. Urbano de Propaganda Fide, habita in Ecclesia Congregationis Missionis, die 6 Martii 1895; acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Aloisium Orestem Can. Borgia.

I. Utrum olim Oratoria sive publica sive privata consecrari in more positum fuerit; et quanam ratione huiusmodi disciplinae insequentibus saeculis fuerit derogatum?

Vetustissimus est in Ecclesia Catholica mos loca divino cultui dicata consecrandi. Haec lex a Deo in Deuteronomio promulgata, usque ab Ecclesiae incunabulis reverenter accepta et servata fuit. Et sane, si Templum Hierosolymitanum, ad id tantum ut Arcam reciperet, plurium dierum spatio, solemnibus caeremoniis consecrari debuit, non minus conveniens, imo valde convenientius fuit solemniter consecrari ea loca, quae Deum in Eucharistia recipere debebant. Frustra tamen perscrutaremur quibusnam caeremoniis veteres christiani uterentur in Ecclesiarum consecratione. Probabile est eos id fecisse consueta gratiarum actione, vel cantu psalmorum, iuxta praeceptum Apostoli: « Omnis creatura sanctificetur verbo Dei ». Ecclesia ergo ab exordio Templis publicis haud praedita, necessarium Apostolis eorumque successoribus visum est eligere et consecrare quandam privatarum domorum partem, ad fideles coadunandos pro fractione panis, sicuti dilucide patet ex Actibus Apostolorum. Et quod haec ipsa loca vere et proprie cultui dicata

fuerint, scriptores actuum Romanorum Pontificum testantur. Ita ex. gr. novimus S. Petrum consecrasse Theophili Antiocheni domum, et Romae illam Senatoris Pudentis, in qua saepius super ligneum Altare celebravit. S. Cletus domum suam in Ecclesiam convertit, quae postea consecrata et B. Matthaeo dicata fuit. Pontifex Urbanus I domum S. Caeciliae consecravit, et in Breviario Romano de ea legimus: « Triduanas a Domino poposci inducias, ut domum meam Ecclesiam consecrarem ». Ita pariter Pontifex S. Marcellus Lucinae domum in Ecclesiam mutavit: « Inde ereptus a Clericis hospitio accipitur a B. Lucina in cuius aedibus Ecclesiam dedicavit (*Brev. Rom. die 16 Ian.*) ». S. Clemens successor S. Petri decrevit omnia orationis loca debere Deo consecrari (Durandus, *De rit. Eccl. Cath. pag. 81, 1*), et Evaristus Pontifex statuit primus ritum consecrationis, a sequentibus summis Pontificibus confirmatum et ampliatum et praecipue a S. Felice III et S. Silvestro. Id a Breviario Romano eruitur, in quo, die 9 Novembris (II Noct. Lect. V) dicitur: « Nam etsi iam ab Apostolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, quae a quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiae dicebantur ubi collectae fiebant... non tamen illa adeo solemni ritu consecrabantur »; et antea adseruit Silvestrum Papam hunc ritum statuisse. Mos iste loca cultui addicta consecrandi nunquam defecit; et tam in principum palatiis, quam in domibus ac monasteriis Oratoria consecrabantur. Eginardus in vita Caroli Magni (V. *Gatticum de Orator. cap. 12,* in III) testatur Cappellam Aquisgranensem consecratam fuisse. Item de consecratione argumenta suppeditantur ab epistolis

S. Gregorii ad Castorium et Fortunatum, in quibus sermo est de consecratione Oratoriorum Timotheae et Iulianae. In libro diurno Romanorum Pontificum hanc invenimus formulam: « N. N. petitorii nobis insinuationem suggessit in fundo illo, iuris illius, Oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honore sancti N. N. desiderat consecrare. Et ideo, frater carissime, si in tua Parochia memorata constructio iure constitit... praedictum Oratorium absque Missis publicis solemniter consecrabis ». Ex hac formula clare patet agi de consecratione Oratorii ex privata devotione erecti, et in privata proprietate, et nihilominus Summus Pontifex consecrari solemniter permittit. Exinde animadvertimus Episcopos, antequam ad consecrationem procederent, Romani Pontificis assensum expectare debuisse.

Ad robur adiiciendum argumentis de Oratoriorum consecratione in privatis domibus, hanc etiam formulam e libro diurno Romanorum Pontificum transcribimus: « Quoniam N.N. etc. in loco illo quo monachi habitant Oratorium pro voto suo dixit esse fundatum, postulans ut dedicari debeat, dilectionem tuam praesentibus iussionibus duximus admonendam, quatenus ad praedictum locum ingravanter accedas, veneranda solemnia dedicationis impendens ». Hic quoque agitur de Oratorio ex privato voto fundatum, et in monachorum habitatione; his autem non obstantibus, conceduntur *veneranda solemnia dedicationis*, solemnis nempe consecratio. Verum, optime observat Gatticus (*loc. cit.*), Oratoria antiquorum plurimum a nostris differunt. Et revera quamvis privata fuissent quoad usum, erigebantur enim a privatis

familiis et ad earumdem commoditatem, erant tamen aedificia ad hoc exclusive erecta, ac in perpetuum ad cultum dicata; ipse Episcopus, ait idem auctor, « crucem in designato loco figebat et Oratorium absque Missis consecrabat ». Non ita est de hodiernis Oratoriis privatis, quae in interiori domus parte sita sunt ad instar Ecclesiae ornata, in quibus, obtenta prius ab apostolica Sede facultate, Sacrum peragitur.

Quae iam diximus, de usu privatas Cappellas consecrandi, confirmationem habent ex acri illa oppositione, qua refraenatus fuit abusus, cum invalescere coepit. Et sane huiusmodi disciplina, pluribus saeculis, ad unguem servata, negligi coepit saeculo decimo labente et initio undecimi. Hoc desumitur a Conciliorum Decretis, quae valide has innovationes oppugnarunt, et ab Episcoporum scriptis, quibus hoc saeculo contra eos insurgunt, qui celebrare praesumebant augustissimum Sacrificium in locis formam et speciem Ecclesiae praeferentibus, at omnino consecratione carentibus. Ecbertus Evorensis Episcopus, in «Excerptis» anno 730 promulgatis, expresse iubet: « Ut nullus Sacerdos in domibus vel aliis locis, nisi in Ecclesiis dicatis celebrare Missas audeat ».

Theodulphus Aurelianensis, suis Sacerdotibus scribens, aperte docet: « Missarum solemnia nequaquam alibi, nisi in Ecclesia celebranda sunt; non in quibuslibet domibus et vilibus locis, sed in loco quem sibi elegerit Dominus, iuxta illud quod scriptum est Deuteronomio etc. » Unde non licebat celebrare *in quibuslibet domibus vel locis,* sed tantum in iis quae Dominus elegisset sacra consecratione mediante. Clarius adhuc se expri-

mit Gherardus Tyronensis in Capitulari 34 anni 856, mandans: « Ut in domibus ab Episcopo non consecratis nemo Missam quacumque necessitate celebret ». Saeculo X Aelon Vercellensis Episcopus in Capitulari 8 testatur in Romana Synodo decretum fuisse « ut nullus Presbyter Missas nisi sacratis ab Episcopo locis celebrare praesumat; qui de cetero particeps sui voluerit esse Sacerdotii ». Et Antigesius Abbas in Lib. V Capitulari 178: « Statutum est ut nullus Presbyter in domibus ab Episcopo non consecratis oblationem quoquomodo offerre praesumat ». In libro IX Capitulari 431 aperte dicit: « Quamquam Deum vera fide ubique orare licet, Sacrificia vero offerre aut Corpus Domini conficere nullo modo legimus aut veraciter scimus in aliis locis posse fieri, nisi in locis Deo ab Episcopo dicatis ».

At haec Episcoporum oppositio contra novam consuetudinem, manifestius apparet in Concilio Parisiensi anni 829. Hoc Concilium capite 47 meminit abusus, qui sensim invalescebat: « Consuetudines ad quorumdam libitum repertae licet contra ecclesiasticam auctoritatem extant..... e quibus est illud, quod Presbyteri, neglectis basilicis Deo dicatis, in domibus et hortis, contra divinam auctoritatem et canonicam institutionem facere praesumant ». Concilium praeterea depositionem minatur Sacerdotibus, qui in hoc peccarent, et ad fideles a simili celebratione arcendos, exemplum adducit Oziae, concludens: « Satius igitur illis esse Missam non audire, quam eam ubi non licet audire ». Et quod Concilium loqui intenderet de Missarum celebratione in Oratoriis privatis non consecratis, constat ex eodem capite, ubi

ait: « Diligenter perpendant non esse sui officii ut relictis basilicis Deo dicatis et Episcopali auctoritate contempta, ad libitum suum in hortis et domibus, vel certe aediculis, quas iuxta domos suas construunt et palliis ornant, in quibus altaria erigunt, Missarum celebrationes Presbyteros facere compellant ». Non est autem dicendum Concilium id prohibuisse, ex eo quod derelinquerentur basilicae, ipsum enim declaraverat divinam legem velle sacrificium offerri *in loco, quem elegerit Dominus,* in locis nimirum legitime consecratis. Verum, uti recte Gatticus animadvertit, praeceptum divinum Sacrificium non offerendi nisi in locis consecratis, non est stricto sensu accipiendum, secus hodierna disciplina illi contraria videretur. Ceterum apprime novimus, non omnia veteris legis praecepta caeremonalia ad novam transiisse.

Ex hucusque dictis, concludere licet usque ad saeculum X nemini libertatem fuisse in locis non consecratis celebrandi; unde Cappellae et Oratoria, in quibus Missa celebrabatur, antea consecrabantur. Contraria consuetudine vix invecta, Episcopi acriter ei obstiterunt, at temporis decursu iidem consultius existimarunt veterum canonum severitatem imminuere, et exinde coeptum est usum tolerari Sacrum litandi in locis non consecratis, praevio tamen Episcopi consensu. Unde anno 876 Concilium Pontigonense cap. 7 decrevit: «Nullus latibulosa in suis domibus officia celebrare praesumat, *sine sui rationabili licentia Episcopi* ». Et Concilium Mogontiacum anno 888 celebratum, can. 9: « Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, *vel ubi*

permiserit, celebranda censemus ». Quare requiritur non amplius absolute consecratio, sed aut consecratio, aut Episcopi consensus. Ex quo patet, occasionem, seu primam causam novae disciplinae, fuisse consuetudinem, ab initio illigitimam, postea vero legitimam factam ex addito Episcoporum consensu, abrogatis in parte antiquis sacrorum canonum decretis.

Quibus porro de causis Episcopi suum tandem assensum praebuerunt, dum antea valide refragati sunt, modo videbimus, et ita alteri primae quaestionis parti faciemus satis. Gatticus, De Bonis et Clericatus, plures adducunt rationes, quae tamen ad tres praecipuas reducuntur; desumuntur autem a natura privilegii Oratorii privati, a dignitate consecrationis et a numero Ecclesiarum, qui tum temporis maxime excreverat. Quod naturam attinet privilegii, saeculis praecedentibus decimum vel undecimum, Oratorium privatum, ut superius vidimus, in domibus privatis erigebatur, et praecipue ad privatae familiae usum et utilitatem; obtinebat tamen consuetudo, ex qua talia Oratoria perpetuo dicata manerent divino cultui, ac in iis divina celebrarentur, nisi interdicto afficerentur. Leo Sapiens in suis scriptis, ideo permittit Sacerdotibus, in privatis domibus celebrare, ne loca sacra, quae in iis erant, divinorum mysteriorum celebratione carerent: *ne sacra delubra Sacrificio destituerentur*. At temporis decursu, privati Oratorii privilegium paullatim perennitatem amisit, et ad certum temporis spatium coarctari coepit, saepe etiam suspensioni subiacere, aut omnino auferri, unde Oratoria consecrata, vel deserta manere debebant, vel ad alios usus con-

vertebantur, idque cum magno venerationis sacrae consecrationi debitae detrimento.

Quoad autem dignitatem consecrationis, primis Ecclesiae saeculis, cum essent Oratoria modicae magnitudinis ac simplicioris ornatus, nil mirum quod omnia absque distinctione consecrarentur, eodemque ritu. Sed, pace Ecclesiae donata, ubique usus invaluit erigendi Ecclesias amplas splendidioresque, itaque iustum visum est rituum solemnitatem distinguere et dedicationem diversimode peragere, pro cuiusque loci dignitate.

Si tandem consideretur numerus valde auctus Ecclesiarum, iustam in hoc cum De Bonis inveniemus rationem, cur non omnia amplius loca sacra similiter consecrata fuerint. Et revera difficillimum evasit Episcopos tam multas Ecclesias consecrare, eo vel magis, quod gravissimis Dioecesium negotiis detinerentur. Clericatus addit, quod cum frequentiores tunc evasissent casus pollutionis, difficilius Episcopis dabatur illico reconciliationem perficere et exinde per aliquod tempus, divina mysteria suspensa remansissent. Unde si agebatur de dedicatione non exclusive propria Ordinis Episcopalis, quicumque Sacerdos ab Episcopo delegatus dedicationem peragere poterat et reconciliationem, cum requireretur. Iam a vetustissimis temporibus consecratio impendebatur sacris unctionibus, uti eruitur a Breviario Romano et ex operibus S. Silvestri; hinc cum sacramentalia, in quibus sacrae unctiones adhibentur, sint exclusive propria Ordinis Episcopalis, necesse fuit, ut permitterentur simplicibus Presbyteris, quod unctiones supprimerentur, et consequenter numerus orationum et solemnitas consecrationis immi-

nueretur. In hoc sane discrepat praecipue consecratio a simplici benedictione, quod, dum Episcopus in Ecclesiae dedicatione sacris oleis utitur, Presbyter in benedictione nonnisi sola aqua lustrali. Ceterum tam consecratio, quam benedictio solemnis, locum in perpetuum divino cultui sacratum reddunt.

II. Num in praesentiarum eadem nefas sit consecrare, sed benedicenda tantum sint, hocque in casu quanam forma et auctoritate?

Oratoria privata consecrari nequeunt. Id iam asserebat Hincmarus Episcopus Rhemensis his verbis: *Cappellae consecrationem non merentur,* quae Ioannes Bona interpretatur dicens, quod Oratoria *consecrari nec solent nec debent.* Deducitur hoc sane ex ipsa Oratoriorum privatorum natura. Ipsa nimirum non sunt loca in perpetuum divino cultui dicata, sed sunt proprietas privatarum personarum, sequuntur porro earumdem familiarum vicissitudines, possunt et semper ad alios usus converti, cessato vel non privilegio. Talia ergo aedificia, seu melius, huiusmodi aedificiorum partes non merentur profecto consecrationem, cuius primarius effectus est dedicare in perpetuum locum divino cultui. Et hac eadem de causa nequeunt benedici pariter formula benedictionis solemnis, quae in Rituali Romano reperitur, et adhibenda est pro Ecclesia vel publico Oratorio, sicuti ceterum declaravit Sacra Rituum Congregatio Decreto 11 Martii 1820 (*in Civitaten. Provinciae Compostellanae*) ad 11. Admodum autem decet, quod aliquis sacer ritus adhibeatur ad locum a profanis usibus auferendum; ad hoc satis est, ait laudatus Gatticus (*loco sup. cit.*), « si Oratoria privatarum domorum

antequam sacrificium Missae in iis celebretur, aqua benedicta aspergantur, et super illa recitetur communis, ac generalis precum formula, quam pro nova benedicenda domo Rituale nostrum proponit». Superfluum putamus animadvertere quemcumque Sacerdotem absque ulla speciali delegatione, hanc perficere posse benedictionem, superpelliceo et stola indutum, prout in aliis simplicibus benedictionibus.

Opportunum ducimus hic adnotare quaenam requirantur, ut Oratoria publica licite consecrari valeant. Ex eodem Gattico, tres requiruntur conditiones: 1ª quod sint satis ampla: 2ª quod habeant sufficientem dotem, ad subveniendum decori sacri loci, ac sacrorum ministrorum sustentationi; 3ª quod validae satis habeantur rationes, ad praesumendum talia Oratoria perenniter duratura, et non praevideantur serius citius demolienda, derelinquenda, aut in profanos usus impendenda. Unde in praxi prudenti Ordinarii iudicio declarabitur utrum expediat nec ne Oratorium solemniter consecrari. Alicuius ergo ex praefatis conditionibus defectu, Oratorium publicum consecrationis capax non erit, sèd tertia tamen conditione servata, benedici tantum poterit solemniter, vel ab Episcopo, vel a simplici Sacerdote ab eo delegato, ideoque formula huius benedictionis in Rituali Romano invenitur. Iuxta rubricam Ritualis, hoc etiam meminisse iuvabit, Sacerdos, in hac benedictione, stola et pluviali albi coloris utetur, et cl. Martinucci in suo Manuale S. Caeremoniarum ait debere indui subter illa, non superpelliceo tantum, sed amictu, alba et cingulo.

III. Inquiritur tertio, an Augustini sententia agendique ratio, omnibus mature perpensis, quae supra in casu exponuntur, laudanda sit, et in pari casu in praxi deduci possit. Imprimis Augustinus praesidum Sodalitatis voluntati acriter obstitit, eo quod Oratoria etiam publica, asserebat, consecratione non sunt dedicanda. In hoc non videtur laudandus, nimium enim praeceps rem diiudicavit. Et re quidem vera iam superius vidimus, sententiam Gattici sequentes, quam et Assemanus tenet, Oratoria publica licite posse consecrari, conditionibus requisitis concurrentibus; unde in praxi melius se gessisset rem ad Ordinarium deducens, cui legitima inerat potestas in casu decernendi utrum an non conditiones requisitae exstarent, ut Oratorium consecrationis honorem mereretur. Nunc ex tota facti serie demonstratur Oratorium non fuisse privatum, sed publicum, non arctioris formae, sed satis superque amplae; etenim *a primaeva sui erectione* iam benedictum fuerat et quidem benedictione solemni, dicitur quippe Sodalitas Festum Titularis celebrare consuevisse, et cum populi concursu, insuper opere adiecto ampliatum, capax eo magis, factum fuit consecrationis episcopalis. Nec de perpetua duratione dubitandi fit locus. Quod autem Augustinus dicit de priore benedictione adhuc in suo robore permanente, non est adversandum; non enim Oratorium formam substantialiter immutaverat ex adiecta constructione: utile, sane, per inutile non tollitur. Modus rem componendi ab Augustino excogitatus, inutilem caeremoniam dicimus, quod et in mente ipsius erat, rationem durationis anteactae benedictionis adducentis; nec dicatur benedi-

ctio altera nova afficere additamenta, quia, accessorium sequitur principale, et opus adiectum, quod minoris molis et inferioris dignitatis censemus, benedictum evadit per modum unius, absque nova caeremonia. At noster Cappellanus usus est in hac functione alba, stola ac pluviali. Id conforme videtur Rubricae Ritualis Romani, praecipientis in benedictionibus simplicibus extra Missam, Officium facientem uti *saltem* superpelliceo et stola tempori conformi: quapropter sic se exprimens Rituale: « saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis utatur », verbo *saltem* innuit posse adhiberi etiam pluviale. Non autem nimis insistendum super verbis: pro temporis ratione, quod spectat ad colorem ut significare videantur tempus physice sumptum, quia potius sequenda est regula ut color concordet Officio quod impletur, aut tempus stet pro ratione solemnitatis vel proprietatis, seu functionis exigentiae.

DISSERTATIO

SUPER QUODAM CASU OCCURRENTIAE

(*Continuatio Vide pag. 294.*)

II. Secunda quaestio, quam examinari oportet, est: An Festa *mobilia,* in paritate ritus et qualitatis Festi (sive primarii sive secundarii) in occurrentia cedere debeant Festis *immobilibus* (diebus nempe mensis affixis), etsi priora extrinsece solemnius celebrantur?

Uti in articulo praecedenti iam notavimus, auctores inveniuntur, qui exceptionem, a S. R. C. sub die 22 Iulii 1848 *in Senen.* factam, generaliter applicandam esse praetendunt. Memorata exceptio est quod, si duo Festa B. M. V. eiusdem ritus, unum mobile et alterum fixum, eadem die occurrant, officium fixum praeferendum est. Idem principium a quibusdam auctoribus non solum applicatur casui, quo duo eiusmodi Festa sunt *eiusdem Sancti,* sed etiam quando eiusmodi Festa de *diversis Sanctis* occurrant.

Cl. De Herdt (*S. Liturg. Prax., edit. IX, tom. II, n. 268, 7ª Reg., 4°*) ita loquitur:

« Dum eadem die occurrunt duo Officia *eius-* » *dem ritus,* alterum alicui diei mensis assignatum, » alterum mobile, utpote alicui Dominicae aut » Feriae affixum; praefertur Officium diei mensis » iuxta decretum S. R. C. (*22 Iulii 1848 n. 5135* » *ad 1*), in quo petitur: Dum eadem die occur- » runt duo Officia B. Mariae V. eiusdem ritus, » alterum alicui diei fixe assignatum, alterum mo- » bile, utpote alicui dominicae affixum, quod ex » utrisque praevalere debet? S. R. C. declaravit: » *Praeferendum Officium diei mensis* ».

Academia Liturgica Romana (*Solut. Cas. 1, ann. 1893-94 q. 2, apud Ephemer. Liturg. V. IX, pag. 29*) praefatum Decretum *in Senen.* modo sequenti generaliter reddit:

« Ergo patet, *caeteris paribus, Festa ad instar* » *mobilium* inferioris esse conditionis, quam alia, » quae *fixa* sunt. Consequenter ratio postulat, ut » Festum ad instar mobilis, nullo pacto praefera- » tur alio fixo, si ambo in eamdem diem incidunt. » S. R. C. affirmativum, quod exhibuimus, respon-

» sum plane confirmat. Namque Decretum extat » *in Senen.* d. d. 22 Iulii 1848 ad 1, statuens in » occurrentia duorum Festorum, quorum alterum » diei mensis est affixum, alterum mobile, hoc est » ad instar Festi mobilis, *praeferendum Officium* » *diei mensis.* Equidem hoc decretum duo respi- » cit Festa Virginis Deiparae; sed non adest ratio, » cur principium applicari non debeat cuicumque » alii Festo, attentis quae superius exposuimus ».

Differentia non parva inter duas allatas auctoritates illico apparet. Enimvero Academia Liturgica memoratum Decretum *in Senen.* applicare videtur duobus Festis occurrentibus, uni fixo et alteri mobili (sive pertinent ad eumdem sive ad diversum Sanctum), quando eiusmodi Festa sint aequalia quoad alios titulos praeferentiae, *caeteris paribus,* ipsa addit; dum e contra Cl. De Herdt idem decretum multo universalius applicat, puta *in paritate ritus* (1).

Salvo meliori iudicio, ex mea sententia, Festa *fixa,* in occurrentia cum Festis *mobilibus* iure praelationis super his ultimis gaudent casu dumtaxat, quo eiusmodi Festa sint aequalia quoad sequentes titulos praeferentiae, in occurrentia vigentes, nimirum quoad ritum, qualitatem Festi, solemnitatem extrinsecam, dignitatem personalem et proprietatem Festi (2).

---

(1) Idem auctor tom. II, n. 287, dicit: « *Particularia* Officia affixa certis Dominicis vel Feriis... 3.° impediri etiam videntur, *festo aequalis ritus et dignitatis seu solemnitatis* ».

(2) Faliso (*Ss. Rit. Rubr. Mis. Brev. et Rit. Comp. Elucidat., sect. 3, c. 2,* § *1, n. 6 G.*) et A. a Carpo (*Comp. Biblioth. Liturg., P. II, n. 148, I, not. 1 et P. IV, n. 186*) citatum Decretum *in Senen.* eodem modo intelligunt respectu duorum Officiorum B. M. V.

En rationes meas: 1.° Decreto diei 22 Iulii 1848 *in Senen.* S. Rituum Congregatio declaravit quod, « si eadem die occurrant duo Officia B. Ma- » riae Virginis eiusdem ritus, alterum alicui diei » fixe assignatum, alterum mobile, utpote ali- » cui Dominicae affixum, praeferendum est Offi- » cium diei mensis ». S. Congregatio itaque iudicat in casu Festum B. M. V., *diei mensis affixum* maiori iure praelationis gaudere quam alterum Festum *mobile* eiusdem Virginis. Porro advertendum est omnia Festa *mobilia* B. M. V., mihi nota, Festa *secundaria* esse, dum inter eiusdem Festa *fixa* alia *primaria* sint, *secundaria* alia. Hinc quando Festa *mobilia* B. M. V. occurrant cum eius Festis *fixis* et sint eiusdem ritus, illa generatim loquendo superiora esse non possunt sive quoad qualitatem Festi sive quoad dignitatem *personalem.* Et quum tum solemnitas extrinseca, tum proprietas Festi regulariter desit Festis *secundariis* et *mobilibus*, idcirco sententia mea S. Congregatio iudicavit regula generali Festa *fixa* B. M. V. praeferenda esse in occurrentia aliis eius Festis mobilibus eiusdem ritus, quoniam haec regulariter sint institutionis recentioris. Sed supponamus casum, quo Festum mobile, v. g. Festum S. Nominis B. M. V. in una alterave Ecclesia *cum magna solemnitate extrinseca* celebretur, et hoc Festum eodem die incidat, cui affixum est aliud Festum secundarium eiusdem Beatissimae Virginis, eo in casu mihi videtur, in paritate ritus et abstractione facta ab omni privilegio, Festum *mobile* S. Nominis Mariae praeferendum esse alteri fixo; solemnitas enim extrinseca, ut supra in quaestione praecedenti vidimus, dignitati quidem *per-*

sonali antecellit, et a fortiori ipsa praecedit titulo qui petitur a fixitate seu antiquitate Festi.

Si autem praefatum principium, a S. R. C. statutum pro duobus eiusmodi Festis B. M. V., ad regulam generalem traducamus, illud nempe applicando duobus Festis eiusdem ritus, quorum unum mobile et alterum fixum est, sed quae Festa *ad diversum Sanctum* pertinent, tunc casus frequentior occurrere mihi videtur, quo Festum *mobile* gaudebit aliquo titulo praelationis, prae festo fixo superiori, quam id continget cum duobus Officiis B. M. V. Sic ne unum quidem Festum *mobile* B. M. V. invenitur quod non sit *secundarium,* dum plura alia Officia mobilia reperiuntur, quae sunt *primaria.* Verbi gratia in Calendario Ecclesiae universalis habemus Festum *primarium* S. Ioachim Patris B. M. V. Dominicae infra Octavam Assumptionis assignatum; in Calendario vero Ordinis Capuccinorum insuper inter *primaria* recensenda sunt Dedicatio Basilicae Assisiensis, Dominicae V post Pascha affixa (1) et Commemoratio Reliquiarum, quae in Ecclesiis eiusdem Ordinis

---

(1) Quod hoc Festum pro Fratribus Minoribus S. Francisci sit Festum *primarium,* hoc manifestum est ex Constit. *Qui pacem* Benedicti XIII d. 21 Iulii 1728 (*apud P. Marcellin. de Luccia, de Iure FF. Min. Capucinorum deciso, pag. 323*) et ex Brevi Clementis XIV d. 11 Sept. 1771 (*V. Bullar. Capuc. tom. IX, pag. 45*), quibus statuitur hanc Basilicam (et alteram S. Mariae Angelorum prope Assisium) *ab omnibus Fratribus Minoribus agnoscendas et habendas esse tamquam Ordinis Matrices et Capita.* Porro quum Dedicationes Basilicarum Ss. Apost. Petri et Pauli et Ss. Salvatoris sint Festa *primaria* pro Ecclesia universali, eo quod istae Basilicae censeantur tamquam Matrices et Capita omnium Ecclesiarum totius Orbis Christiani, hinc idem dicendum

asservantur, et Dominicae infra Octavam Omnium Sanctorum assignata est (1).

Porro regula generali dicere, uti vult Cl. De Herdt, quod in paritate ritus Officium *fixum* (licet *secundarium*) in occurrentia praeferendum sit Festo *mobili* (etiam *primario*), nonne hoc directe refragetur Decreto generali S. R. C. d. 2 Iulii 1893 *de Festis primariis et secundariis?* Et nonne idem dicendum est de aliis titulis praeferentiae, in occurrentia vigentibus, imprimis quando Festum *mobile* celebretur *cum maiori solemnitate extrinseca* (*Cfr. supradicta in resp. ad quaest. I, huius articuli*)?

Verumtamen casus sese offerre possunt, in quibus rationes, quae regulariter adesse censentur pro duobus occurrentibus Festis eiusdem ritus B. M. V., quorum Festum fixum alteri mobili sit praeferendum, similiter militant pro duobus Festis eiusdem generis, sive pertinent ad eumdem sive ad diversum Sanctum. Aliis verbis accidere potest, quod duo Festa occurrentia, unum fixum alterum mobile, sint aequalia tum quoad ritum tum quoad alios praelationis titulos supra memoratos. Atqui in his casibus dumtaxat, Festa *fixa* occurrentia cum Festis mobilibus praecedere debere mihi videntur, quoniam tunc tantum reperio *identitatem rationum* et *identitatem casuum*.

---

est de Dedicationibus Basilicarum Assisiensis et S. Mariae Angelorum pro toto Ordine Franciscano. Insuper in novo Breviario Capuccinorum, a S. Pontifice Leone Pp. XIII approbato, memoratae Dedicationes Basilicarum inter Festa *primaria* recensentur.

(1) Hoc Officium pariter inter *primaria* notatur in novo Breviario Capuccinorum a Ss. D. N. Leone Pp. XIII approbato.

2.° Academia Liturgica Romana (*Solut. Cas. I, ann. 1893-94 q. 0, ap. Ephemer. Liturg. vol. IX, pag. 27*) nobis quoque affert rationem, ob quam Festa *mobilia* conditionis inferioris quam Festa fixa generatim loquendo considerantur:

« Sane, si Liturgiam consulamus, ipsa ait, « ab antiquissima Ecclesiarum omnium consuetu- » dine accipimus, festa communia affixa fuisse sem- » per diebus alicuius mensis: ratio est, quia San- » ctorum Festa celebrabantur diebus, quibus e cor- » poris servitute soluti aeternam ingrediebantur » vitam. Hoc autem computari solemne semper » habitum est, non a Feria vel Dominica, sed a » mensis die, ut anniversaria illorum mors pre- » tiosa singulis annis recoli posset. Constat id » maxime ex Catalogo Philocaliano, et ex Marty- » rologio Hieronymiano dicto.... Hoc documen- » tum... Festa recenset Depositionum Episcoporum » et Depositionum Martyrum, solaque fixa conti- » net Festa, haud vero mobilia... Istud autem... » continet vetustius Martyrologium Romanae Ec- » clesiae, a duobus codicibus transcriptum... Porro » in utroque codice ex omnibus et singulis Festis » depositionum, seu Episcoporum, seu Martyrum, » ne unum quidem Dominicae vel Feriae legitur » affixum, sed universa aut calendis, aut nonis, » aut idibus mensis sunt affixa. Quinimmo ipsa » aetate Pii Pp. V, vix aliquod extabat exemplum » Festorum, quae affixa non essent diei mensis, » uti ex Calendario, primis sub dicto Pontifice » editionibus cusis praemisso, satis abunde patet. » Ea propter inferendum certo est, Festa Feriis » affixa vel Dominicis ad instar Festorum mobilium, » quae de Misteriis Domini consuetudo antiquis-

» sima adhuc retinet, ut Dominicis vel Feriis toto » iure celebrentur, recentissimi esse instituti... » Ergo patet, *caeteris paribus*, Festa *ad instar mo-* » *bilium* inferioris esse conditionis, quam alia, quae » *fixa* sunt ».

Iuxta Academiam Liturgicam itaque praesertim duplex ratio habetur, ob quam Festa *fixa* Sanctorum, Festis mobilibus superiora, considerantur: 1° quia Ecclesia ab antiquissima consuetudine Festa Sanctorum affixerit diei anniversario eorum obitus, qui in S. Liturgia tamquam dies natalitius consideratur et semper habitus est tamquam aliquod solemne; — 2° quia Festa *fixa* communiter (1) sint institutionis magis antiquae quam Festa *mobilia*.

Porro iuxta Cavalieri (*tom. I, C. IX, Decr. 13, n. 4, et 5 et tom. II, C. XXVI, Decr. 2, n. 4 et 5*), A. a Carpo (*Kalend. Perp. C. IV, n. 2, VI^a et VIII^a*), etc. praefati duo tituli praeferentiae in occurrentia ponuntur post titulum *proprietatis Festi*, quo Festa scilicet, alicui Ecclesiae, Ordini, Dioecesi etc. *vere propria* praeferantur aliis Festis quae sunt Ecclesiae universalis. Idcirco Academia Liturgica titulum praeferentiae, a fixitate Festi petitum, tantummodo applicat « *caeteris paribus* », quando nempe ista Festa sint aequalia quoad

---

(1) Dico *communiter*, nam hoc non semper contingit. Sic in casu praesenti Festum B. M. V. de Bono Consilio, diei 26 Aprilis affixum, ad universum Ordinem Capuccinorum hoc anno dumtaxat extensum considerari oportet, dum Festum Patrocinii S. Ioseph, Dominica III post Pascha assignatum, pro eodem Ordine ad ritum 2. Classis iam elevatum fuerit Decreto S. R. C. 18 Febr. 1794 (*V. Bullar. Capuccin. tom. IX, pag. 223*).

ritum, qualitatem, solemnitatem extrinsecam, dignitatem personalem et proprietatem festi.

3.° Demum, si iuxta Cl. De Herdt omnia Festa *mobilia, in paritate ritus,* cedere deberent Festis *fixis* occurrentibus, etiam si eiusmodi Festa non pertineant ad eumdem Sanctum, tunc non intelligo, quare idem auctor de praefato principio nullam rationem tenuerit in suo opere, tomo tertio, circa plura Festa mobilia. Iste auctor ibidem dicit:

a) Feria VI post Dominicam Passionis, Festum VII Dolorum B. M. Virginis, impeditur Festo *altioris* ritus, vel dignitatis seu solemnitatis (*tom. III, n. 93, edit. IX*).

b) Patrocinium S. Ioseph impeditur alio Officio *potioris* ritus vel *maioris* dignitatis seu solemnitatis (*ibid. n. 96*).

c) Festum Ss. Nominis B. M. V., si occurrat in alia die octava (ut Ss. Angelorum Custodum), vel in alio Festo *digniori* (ut Exaltatio S. Crucis), vel etiam in Festo *minus digno, modo sit primarium et eiusdem ritus,* ad primam diem non impeditam transferendum est (*ibid. n. 106*).

d) Dom. III Septembris, Festum VII Dolorum B. M. V. impeditur alio Festo occurrente sive B. M. V. sive *altioris* ritus 1 aut 2 classis, vel die Octava Patroni, Titularis, Dedicationis etc. (*ibid. n. 107*).

e) Solemnitas Ss. Rosarii impeditur Officio occurrente *potioris* ritus (*ibid. n. 108*).

f) Patrocinium B. M. V. impeditur die Octava, vel Festo *digniori* seu *solemniori* occurrente (*ibid. n. 111*).

Series praefatorum Festorum mobilium satis probat Cl. De Herdt cum principio, quod ipse

tom. II (*n. 268, 7ᵃ, Reg. 4*) eiusdem operis posuerat, sibi similem non fuisse, et mea sententia laudatus auctor sibi consequens non potuisset, quin pluribus S. R. C. Decretis, occurrentiam istorum Festorum mobilium statuentibus, contradiceret.

Eapropter una cum Academia Liturgica Romana sustineo Festa fixa, in occurrentia cum Festis mobilibus, praeferentia super his pollere dumtaxat, quando utraque sint aequalia inter se quoad alios titulos communes praelationis, nimirum quoad ritum, qualitatem, solemnitatem extrinsecam, dignitatem personalem et proprietatem Festi.

Sed quis forsan obiiciet: sunt alia decreta S. R. C. recentiora, quae opinionem a Cl. De Herdt defensam plane confirmant. Revera:

1.° Decretum diei 9 Maii 1884 (*in App. V, Collect. Gardell., n. 5909 ad 4*), quo petitur: «Quando Dominica I post Octavam Ss. Petri » et Pauli Apost. occurrat duplex minus, debet » necne hoc locum cedere Festo Commemorationis » Omnium Ss. Romanae Ecclesiae Summorum Pon- » tificum, quod sub ritu pariter duplici minori » affixum est Dominicae primae, non impeditae » post praedictam Octavam»? — Et S. R. C. respondit: «*Negative*».

Respondeo hoc in casu occurrentiae nihil inveniri quod cum Festo mobili concurrat alius titulus praeferentiae supra memoratus; e contra ex isto decreto potius apparet Festum *fixum* in casu esse *primarium*. Idem responsum inservire potest quoad decretum S. R. C. die 18 Aug. 1884 (*in App. V, Collect. Gardell., n. 5919 ad dub. 2*), allatum a Nouvelle Revue Théologique, *tom. XXI, pag. 142*.

2.° Decretum S. R. C. *in Fesulan.* diei 23 Septembris 1885, quod post *Ephemerides Liturgicas,* Nouvelle Revue Théologique (*tom. XXI, pag. 69*) pervulgavit. Huius tenor est sequens:

« Reverendissimus D. Ferdinandus Masoni Ca-
» nonicus Theologus et Kalendarii Redactor Fe-
» sulanae Dioecesis, de consensu Reverendissimi
» Episcopi sequens dubium proposuit: an Festum
» Decollationis S. Ioannis Baptistae, occurrens
» proximo anno die 29 Augusti cum Festo mobili
» B. M. V. de Consolatione, sit huic praeferendum,
» utpote eiusdem ritus et diei mensis affixum, et
» id vi Decreti S. R. C. 22 Iulii 1848 *in Senen.,*
» licet hoc Decretum respiciat duo Festa B. M. V.?—
» Resp. *Affirmative.* Atque ita rescripsit die 23 Se-
» ptembris 1885 ».

Respondeo: *a*) authenticitatem praefati Decreti nullimode in dubium voco, neque contendo istud responsum S. R. C. non obligare illos qui id petiverunt et obtinuerunt; arbitror tamen hoc Decretum vim talem non habere ut universaliter servandum sit, seu ut constituere possit principium generale; potius mihi videtur istud decretum esse de illo tertio genere Decretorum, de quo Acta S. Sedis (*tom. III, pag. 565*) et Bullarium Ordinis Capuccinorum (*tom. X, pag. 168*) loquuntur (1), praesertim quia praefatum dubium in Decreto *in Fesulan.,* appendici V, Collectionis Gardellini sub n.° 5948 inserto, omissum fuerit.

---

(1) Et de quo agit ipsa S. Congr. Rit. *in una Ord. Capuccin.* ad VI dub., diei 8 April. 1854. Ibi petitur: « An Decreta, Indulta, Decisiones Ss. Rituum Congregationis datae vel dandae in casibus

b) Supponamus hoc Decretum *vim universalem* habere, eo in casu quoque nihil contra opinionem nostram concludi licet. Enimvero in isto Decreto quaestio est tantum de duobus Festis *secundariis* eiusdem ritus. Insuper iuxta opinionem satis probabilem (*vide responsum meum ad quaest. I huius articuli*) dignitas *personalis* in Festis *secundariis* ad effectum praeferentiae non attenditur. Adde quod in praefato Decreto nihil indicetur cum Festo *mobili* B. M. V. alium titulum praeferentiae (supra memoratum) concurrere. Superest itaque sive *dies natalitia* (seu anniversarium obitus Sancti), sive *antiquitas Festi*. Atqui hi duo tituli sunt in favorem Festi *fixi*, nimirum Decollationis S. Ioannis Baptistae. Consequenter praefatum Decretum, loco opinioni nostrae refragandi, potius eam confirmat.

3.° Opinioni nostrae obiici adhuc potest Decretum recens S. R. C. *in Viglevanen.* diei 21 Februarii 1896 ad I (*apud Ephemerides Liturg. vol. X, pag. 134*), quod ita sonat:

« In Kalendario Dioeceseos Viglevanensis non » raro occurrunt eadem die duo Festa primaria, » vel duo secundaria, eiusdem ritus et classis, sed » diversae dignitatis, quorum unum est mobile, » alterum affixum diei mensis: quaeritur cuinam » Festo in hisce casibus competat praecedentia? »

---

particularibus, applicabiles sint et adoptandae in similibus casibus, quasi essent pro ubique decisae, eo vel magis, quia S. ipsa Congregatio id innuere videtur, quando propositis dubiis respondere assolet ex. gr. *dentur Decreta — iuxta alias decreta — provisum in una* etc. *?* » — S. R. C. respondit: « Negative, et semper recurrendum in casibus particularibus ».

S. Congregatio respondit: « Ex duobus Festis » primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis, » praecedentia competit digniori: in paritate vero » dignitatis, competit Festo diei mensis affixo ».

Respondeo: ante omnia advertendum est praefato Decreto iam satis constare opinionem Cl. De Herdt esse reiiciendam, nimirum quod ex duobus Festis, uno mobili altero fixo, *in paritate ritus* praecedentia competat Festo diei mensis affixo. Item ex eodem Decreto patet quod, ut Festum *fixum* in occurrentia iure praecedentiae gaudeat, non solum requiratur *aequalitas ritus et classis,* sed etiam ut sint aequalia quoad *qualitatem Festi,* conformiter decreto generali d. 2 Iulii 1893; dicitur enim in responso S. R. C. « *Ex duobus Festis primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis* », seu ut habetur in dubio « *non raro occurrunt eadem die duo Festa primaria, vel duo secundaria, eiusdem ritus et classis* ». Adde insuper quod, ut Festum *fixum* in occurrentia praecedat Festo *mobili,* adhuc requiratur iuxta idem Decretum ut sint aequalia quoad *dignitatem,* « *in paritate dignitatis* ». Porro, ut supra notavi (*pag. 5, not. 3*), verba *dignius et solemnius* in Rubricis et S. R. C. Decretis aliquando unum et idem significent. Aliud non petitur, et aliud S. Congregatio non respondit. Sed ex hoc nemo inferre potest, quod iuxta S. Congregationem alii tituli praeferentiae supra memorati, scilicet solemnitas extrinseca et proprietas Festi, quoad eiusmodi Festa in occurrentia sint postponendi illi titulo, qui petitur a fixitate Festi, seu ab eo quod Festum sit diei mensis affixum.

Ex dictis ergo satis liquet opinionem praedictam Cl. De Herdt nullimode probabilem esse,

et consequenter Festum B. M. V. de Bono Consilio (quod insuper in casu nostro est institutionis recentioris), *qua Festum fixum,* praecedentiam supra Festo mobili Patrocinii S. Ioseph habere non posse, si nempe hoc ultimum extrinsece solemnius celebretur.

III. In hac ultima quaestione videamus, an Festum Patrocinii S. Ioseph in casu praesenti gaudeat titulo sufficienti solemnitatis extrinsecae, ut ipsi praelatio danda sit in occurrentia ante Festum B. M. V. de Bono Consilio.

Ante omnia elucidare quaestionem sequentem necessarium mihi videtur, nimirum: an Festum Patrocinii S. Ioseph Dominicae affixum sit ad instar Festi S. Ioachim Patriarchae « *ne festa de praecepto multiplicarentur* », quum tunc forsan dictum Festum S. Ioseph privilegio *feriationis* gauderet, prout pollere dicitur Festum S. Ioachim ab A. a Carpo (*Kalend Perp., c. IV, n.* 0, *IV*ᵃ), aliisque?

Prius notandum est Festum S. Ioachim Patris B. V. M., olim diei 20 Martii affixum (1), anno 1738 a praefato die translatum et assignatum fuisse Dominicae infra Octavam Assumptionis B. M. V. ob rationem in Decreto ipso S. R. C. notatam. Hoc decretum ita sonat:

« Cum enixe, ac saepius Sacra Caesarea Ma-
» iestas instituerit, ut Festum S. Ioachim, perinde
» ac S. Annae coniugis, esset in Ecclesia univer-
» sali de praecepto, S. R. C. re mature, nec semel

---

(1) Cfr. Decretum Gregorii XV, d. 2 Decembris 1622 apud Mühlbauer (*Decr. auth. S. R. C., supplem. tom. II. pag. 353*).

» discussa, ita denique censuit annuendum, ut ne » Festa de praecepto multiplicentur, debitus tamen » honor Genitori Matris Dei non denegetur, Fe- » stum eiusdem S. Ioachim a die 20 Martii ad » Dominicam post Assumptionem B. V. M., eius » Filiae, transferatur, in eaque sub ritu duplici » maiori (1), ut et Festum S. Annae coniugis sub » eodem ritu deinceps celebretur. S. R. C. 20 Se- » ptembris 1738 in una *Urbis et Orbis,* appro- » bante SSmo die 3 Octobris », apud. Caval. tom. II, c. 31, decr. 1. — Ita Tetamo (*Diar. Liturg. etc., notand. in 15 Augusti n. 30*). — Cfr. Mühlbauer (*tom. I. pag. 898*).

Cavalieri (*loc. cit. n. 2 et 3*) de praefato Decreto loquens, sequentia animadvertit:

« Etsi autem de anno institutionis (*Officii » S. Annae*) non constet, antiquius esse Officio » S. Ioachim, verisimiliter ostendit vetustus cultus, » quo S. Anna gavisa est prae S. Ioachim, et » sane Commeni edictum ante annum 1200 S. An- » nae celebritatem memorat, et Constitutione Em- » manuelis Imperatoris ponitur inter eas solem- » nitates, quibus vacandum est religionis gratia, » quas inter pro Ecclesia universali etiam collo- » cata extitit a Gregorio XV anno 1622, 23 April., » nec Urbanus VIII in reformatione Festorum circa » eamdem quidquam immutandum esse duxit.

« Qui festivationis honos ut itidem S. Ioachim, » qui in generatione Deiparae, si non potiores,

(1) Hoc Festum, una cum illo S. Annae, ad ritum duplicem 2 classis evectum est Decreto S. R. C. *Urbis et Orbis* d. d. 1 Augusti 1879.

» nec utique minores habuit partes, deferretur,
» cum enixe supplicaretur, *Congregatio advertens*
» *incommoda plurima quae ex Festorum numerosi-*
» *tate proveniunt* in hac senescentis mundi aetate
» in qua refrigescit charitas multorum, et tanta
» malignatus est inimicus in Sancto, ut quae ad
» glorificandum divinum nomen sunt instituta,
» in eiusdem offensionem perversi convertant ho-
» mines, *et adeo, ut Urbanus VIII ad Festorum*
» *moderationem progrediendum esse censuerit, haud*
» *putavit diem 20 Martii, in qua S. Ioachim Fe-*
» *stum recurrebat, indicendam esse festivam, sed*
» *magis Festum S. Ioachim e die 20 Martii ad*
» *Dominicam post Assumptionem Deiparae esse trans-*
» *ferendum,* **eleganti admodum, ac industrio modo, par-**
» **cens indictioni novorum Festorum de praecepto**, et
» promovens honorem praedicti S. Ioachim, cuius
» cum laus plurima, et potior sit tantae Filiae
» genitorem prae caeteris fuisse, praefata Domi-
» nica, quae post Festum praecipuum, et infra
» Octavam eiusdem Filiae recurrit, ad id muneris
» merito delecta extitit ».

Ex dictis iam sufficienter sequi mihi videtur Festum S. Ioachim, Dominicae infra Octavam Assumptionis B. M. V. affixum, nullimode *ex se* considerari posse tamquam Festum *de praecepto quoad forum,* quoniam S. R. C. a die 20 Martii ad Dominicam praefatam expresse transtulerit, *ne catalogus seu numerus Festorum de praecepto, ab Urbano VIII constit.* **Universa** *statutus, augeretur.* Hinc dictum Festum privilegio *feriationis,* uti alia Festa de praecepto in memorata Constitutione laudati Pontificis contenta, nullo modo gaudere potest; et consequenter Festum S. Ioachim

Festis *particularibus* (quae nempe alicui Ecclesiae, Ordini etc. sunt *vere propria*) praeferri nequit casu, quo haec sunt aequalia quoad ritum, qualitatem, solemnitatem extrinsecam et dignitatem personalem.

Adde insuper quod Cav. (*tom. II, c. XXV, decr. 6, n. 3*) loquens de Festo Ss. Rosarii B. M. V., a Gregorio XIII primae Dominicae Octobris assignato, de eo recte observat:

« Contendit quis forsitan *feriationem* venire, « quod Gregorius XIII ut supra Festum Rosarii » concedens, in Dominica praefata *sanctificandum* » indixerit; at super hac re immorari non duci» mus, quoniam cum Rosarii Festum sit Domini» cae affixum, *eiusdem feriatio* adhuc in numero » non esset, nec ad eiusdem translationem trans» ferretur, instar aliorum Festorum de praecepto, » quae dum incidunt in diem Dominicam, *quae » ex se festiva est, nec festivationem multiplicant, » nec eamdem protrahunt ad diem, ad quam ipsa » quandoque transferuntur* ».

Demum praefata conclusio quoad Festum S. Ioachim manifeste sequitur ex pluribus Decretis S. R. C.: die 22 Aprilis 1741 (*apud Gardell. n. 4110 ad 3*) S. Congregatio ita interrogata fuit:

« Cum Dominica infra Octavam Assumptionis » B. M. V. celebretur in Regno Poloniae Festum » S. Hyacinthi Patroni principalis duplex 1 clas» sis cum Octava, et eadem Dominica recenter » sit assignata perpetuo a S. R. C. Festo S. Ioa» chim, possitne dictum Festum S. Ioachim licite » celebrari 20 Martii, ut olim, cum haec Domi» nica numquam de eo Officium fieri posset, vel » transferri in aliam diem non impeditam, vel in

» Dominicam ante Nativitatem B. M. V. num-
» quam impedibilem, cum Dominica post Octa-
» vam Assumptionis sit iampridem assignanda
» translationi S. Casimiri? Et si fieret de S. Ioa-
» chim 20 Martii, *utrum sit celebre ad populum,*
» *secundum Decretum nuper emanatum 20 Sept.*
» *1738?* » — Et eadem S. Congregatio respondit: « Faciendum esse in Regno Poloniae in Dominica
» infra Octavam Assumptionis Officium de S. Hya-
» cintho, assignata prima die Officio S. Ioachim,
» *cum huius Festum non sit de praecepto,* neque
» eius Festum possit celebrari ante Dominicam
» infra Octavam Assumptionis ». — Vide pariter Decreta eiusdem S. Congr. d. 22 Martii 1817, n. 4530 ad 4 et 20 Mart. 1869, n. 5430 ad 1.

His omnibus spectatis, nullo modo admittere possum id quod dicitur ab Al. a Carpo (*Kalend. Perp., C. IV, n. 2, IV^a et Comp. Biblioth. Liturg. P. IV, n. 165*), Nouvelle Revue Théologique (*tom. XVII, pag. 227*) et recentius a Cl. Doct. P. Piacenza (*ap. Ephemer. Liturg. Vol. X, pag. 152*), nimirum quod Festum S. Ioachim privilegio *feriationis* gaudeat.

Nunc vero quoad Festum Patrocinii S. Ioseph certum est illud impraesentiarum pro Ecclesia universali esse Festum *praeceptivum,* hoc sensu nempe quod Clerus tam saecularis quam regularis de eo Officium recitare Missamque celebrare teneantur. Quod autem idem Festum *ex se* non sit Festum *de praecepto quoad forum,* et consequenter privilegio *feriationis* non gaudeat, uti gaudent Festa in Const. *Universa* Urbani VIII contenta, nullum dubium quoque esse potest. Et sane S. M. Pius Pp. IX. Festum Patrocinii S. Ioseph ad Ecclesiam

universalem decreto S. R. C. *Urbis et Orbis* d. 10 Sept. 1847 (*ap. Gardell., n. 5098*), extendens, terminis sequentibus utitur:

«... Hinc passim misericors veneratur (*inclitus* » *Patriarca Ioseph*) ad Deum Mediator, efficaxque » Patronus, eiusque Patrocinii Festum cum Officio » ac Missa longe lateque instituitur Dominica ter» tia, quae a Paschalibus gaudiis occurrit. *Verum* » *quod unum adhuc exoptandum supererat, nimirum* » *ut* Officium *Patrocinii S. Ioseph de praecepto ad* » *universalem extenderetur Ecclesiam,* id Emus et » Rmus Dnus Cardinalis Constantinus Patrizi a » Ss. D. N. Pio Pp. IX, humillibus precibus pro» prio, et aliorum S. R. Ecclesiae Cardinalium, ac » quamplurium etiam exterorum Fidelium nomine » porrectis, enixe imploravit. Quas quidem preces » apprime conformes singulari pietati suae erga » S. Iosephum Apostolica Benignitate excipiens » Ssmus idem Dnus, referente me subscripto S. Ri» tuum Congregationis Secretario, *benigne in omni*» *bus annuit, praecepitque ut deinceps ab utroque* » *Clero Urbis et Orbis sub ritu duplici 2 Classis* » *persolvatur Officium proprium cum Missa Patro*» *cinii S. Ioseph Dominica tertia post Pascha,* qua » impedita alio Officio potioris ritus, vel maioris » dignitatis, indulsit, ut Officium Patrocinii S. Io» seph transferatur ad primam diem liberam iuxta » Rubricas».

Recitatio itaque Officii proprii cum Missa Patrocinii S. Ioseph, antea concessa vi indulti specialis quibusdam Ecclesiis, Ordinibus et Dioecesibus, nunc vi decreti memorati pro Ecclesia universali obligatoria facta est. Sed ex hoc inferri nequit quod dictum Festum sit simul Festum *de praecepto*

quod forum, et ita ex se gaudeat privilegio *feriationis;* contrarium potius ex praefato decreto deduci licet, in eo enim legitur « *praecepitque* (S. Pontifex) *ut deinceps* AB UTROQUE CLERO *Urbis et Orbis... persolvatur Officium proprium cum Missa Patrocinii S. Ioseph Dom. 3, post. Pascha* ». Festum ergo Patrocinii S. Ioseph, Dominicae affixum, nec magis quam Festum S. Ioachim et Ss. Rosarii B. M. V., privilegio *feriationis* gaudet, ideoque Festis quae sunt alicui Ecclesiae, Ordini etc. vere propria seu particularia, in occurrentia praecedere nequit.

Adverte insuper, eo quod S. Pontifex Pius Pp. IX, per Decretum S. R. C. d. 8 Decembris 1870 (*apud Gardell.*, n. 5487) S. Ioseph, Sponsum B. M.V. Patronum Ecclesiae Catholicae constituerit, nihil tamen immutatum fuisse quoad ritum et dignitatem Patrocinii S. Ioseph; « *nullam immutationem factam esse quoad ritum et dignitatem Festi Patrocinii S. Ioseph* » declaravit S. R. C. d. 7 Augusti 1871 (*n. 5489 ad 3*).

Placeat demum hîc afferri indultum speciale d. 5 Martii 1885 (*V. Analecta Ord. Capuc. vol. I, pag. 129*), quo SS. D. N. Leo Pp. XIII Ordini Minorum Capuccinorum indulsit ut Festum Patrocinii S. Ioseph *cum Octava* ibi in posterum recolatur:

« Quum singulari devotionis affectu S. Ioseph » Sponsum B.M.V. universus Ordo Minorum S. Fran- » cisci Capucinorum ad haec usque tempora prose- » cutus fuerit; hodiernus Rm̃us P. Minister Genera- » lis ipsius Ordinis, piissimis Alumnorum suorum » votis satisfacturus, solemniori ecclesiastico ritu » Festa eiusdem castissimi Deiparae Sponsi pera-

» gere cupientium, a SS. D. N. Leone Pp. XIII » humillimis precibus efflagitavit, ut Festum illius » Patrocinii, Dominica secunda (*hoc debet esse* **tertia**) » post Pascha occurrens, in posterum sub ritu du- » plici primae classis cum Octava ab Alumnis to- » tius memorati Ordinis celebrari valeat, Sancti- » tas porro Sua has preces ab infrascripto SS. Ri- » tuum Congregationis Secretario relatas pera- » manter excipiens, *benigne indulgere dignata est,* » *ut, nulla facta immutatione ritus, nempe secun-* » *dae classis, praedictum Festum* **cum Octava** *in* » *universo Fratrum Franciscalium Capucinorum* » *Ordine amodo recolatur:* servatis Rubricis. Con- » trariis non obstantibus quibuscumque ».

In praefato indulto nihil pariter invenitur, ex quo patet Festum Patrocinii S. Ioseph in Ordine Minorum Capuccinorum considerandum esse tamquam Festum pollens privilegio *feriationis,* seu praerogativis, Patronis principalibus propriis.

Antequam conclusionem nostram proferamus, videamus tandem: an pro casu nostro in Festo Patrocinii S. Ioseph non inveniatur *quaedam solemnitas extrinseca,* quam auctores ceu titulum sufficientem praeferentiae in occurrentia admittunt, ante illum titulum quidem qui a *proprietate* Festi petitur?

Porro inter ea quae solemnitatem *extrinsecam* constituere possunt, *celebratio Festi cum Octava* haud dubie ponenda est. A. a Carpo (*Kalend. Perp. c. IV, n. 2, IV*[a]), Wapelhorst (*Comp. S. Liturg. n. 240, V*), Rubricae peculiar. Breviarii Rom. Seraph. (*n. 81*) inter ea, quae eiusmodi solemnitatem constituunt, *celebrationem Festi cum Octava* explicite memorant. Alii auctores, ex. gr. Caval.

(*tom. II, c. XXVI, Decr. 1, n. 3 et 7 et Decr. 10, n. 2*), eandem solemnitatem sub terminis « *et caeteris* », « *aliisque similibus* » satis includunt. Et sane *Octava*, quamvis ritum Festi non elevat, uti feriatio Festi hoc non efficit (declarante S. R. C. *d. 2 Septembris 1741, n. 4119 ad 3 et d. 11 Ianuarii 1749, n. 4198 ad 4*), sine dubio est nota et signum evidens solemnitatis extrinsecae, quacum Festum celebratur: « **Octava nota est** (*teste Radulpho prop. 19*), **et inde magnae prae aliis solemnitatis** » (V. Caval. *tom. II, c. 18, n. 18*, et Tetamo *app. c. VII, n. 18*). — Et de facto, ratio ob quam Rm̃us Minister Generalis Ordinis Capucinorum a S. Sede privilegium celebrandi Festum Patrocinii S. Ioseph *cum octava* postulavit et obtinuit, nonne haec praecipua fuerit, ut celebratio eiusdem Festi splendidior redderetur, seu ut huic Festo solemnitas extrinseca maior, quam qua antea gaudebat, adderetur? Ut quis dubitans de eo convincatur, satis erit legere postulatum in casu, quod ita sonat:

« Bm̃e Pater. — Infrascriptus Ordinis Minorum » Sancti Francisci Capucinorum Procurator Ge- » neralis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolu- » tus, humillime exponit qualiter cultum erga » Sanctum Ioseph B. M. V. sponsum, familia Fran- » ciscalis, tum actis saeculis egregie promove- » rit, tum impraesentiarum magis ac magis hae- » reditario zelo promovere satagat. Ex hinc quam- » plures enunciati Ordinis alumni, pro sua in » praelaudatum S. Ioseph devotione plenissima, » *maxime in votis habent, ut Ipsum solemnioribus* » *laudibus frequentare possint*. Quum autem Eius- » dem festum, sub die 19 Martii, propter Sanctae

» Quadragesimae occurrentiam, cum Octava cele-
» brari nequeat, humilis Exponens nomine R̃mi Pa-
» tris Ministri Generalis cum suo Definitorio, enixe
» Sanctitatem Vestram supplicat, quatenus, ad
» normam gratiae Presbyteris Societatis Missio-
» num ad Exteros, aliisque familiis religiosis, iam
» a Benignitate Apostolica elargitae, concedere
» dignetur ut in universo Fratrum Minorum S. Fran-
» cisci Capucinorum Ordine, Festum Patrocinii
» S. Ioseph, dominica tertia post Pascha, sub ritu
» duplici primae classis cum Octava, celebrari
» possit et valeat. Die 1 Martii 1885. Fr. Bruno
» a Vintia, Proc. Glis. Cap. » (*V. Analect. Ord. Cap., vol. I, pag. 129*).

Conclusio. — Ex iis, quae in hoc et in articulo praecedenti super casu praesenti occurrentiae diximus, ceu responsum satis fundatum, conclusiones sequentes recte inferri licere arbitror:

1.° Quod Festum B. M. V. de Bono Consilio pro Ordine Minorum Capuccinorum non minus Festum *praeceptivum* (i. e. quod recitatio eius Officii sit de praecepto) dicendum sit, quam illud Patrocinii S. Ioseph censeatur pro Ecclesia universali. Opinio vero Cl. de Herdt, docentis Festa *praeceptiva* in paritate ritus praeferenda esse Festis *facultativis* (quae nempe iuxta laudatum auctorem ex speciali indulto aut privilegio concessa sunt), nulla solida ratione niti mihi videtur.

2.° Quod Festum B. M. V. de Bono Consilio, licet *subiective* dignius appareat, *qua tale* praeminentia super Festo Patrocinii S. Ioseph eiusdem ritus et qualitatis gaudere nequeat, ita non imprimis si hoc ultimum Festum extrinsece solemnius celebretur, cum dignitas *personae* in Festis

secundariis ad effectum praeferentiae probabilius non attendatur, vel ad minus numquam applicari possit, nisi quando eiusmodi Festa sint aequalia quoad ritum et solemnitatem extrinsecam.

3.° Quod opinio Cl. D. Herdt, quatenus iuxta ipsum Festa *fixa* in paritate ritus Festis mobilibus in occurrentia praecedere deberent, mea sententia nullimode probabilis dici possit. Principium vero praeferendi Festa fixa Festis mobilibus applicari non posse mihi videtur nisi casu, quo eiusmodi Festa sint aequalia inter se tum quoad ritum et qualitatem Festi, tum quoad solemnitatem extrinsecam, dignitatem personae et proprietatem Festi. Ex hoc sequitur Festum B. M. V. de Bono Consilio, praesertim cum hoc Festum sit institutionis recentioris in Ordine Minorum Capucinorum, *qua Festum fixum* praecedentia gaudere non posse supra Festo mobili Patrocinii S. Ioseph, imprimis casu, quo hoc ultimum Festum extrinsece solemnius celebretur.

4.° Demum supra satis probatum esse arbitror, quod Festum Patrocinii S. Ioseph, Dominicae affixum, in Ordine Minorum Capuccinorum considerari debeat, non minus quam Festum S. Ioachim et solemnitas Ss. Rosarii pro tota Ecclesia, tamquam Festum *de praecepto quoad forum*, gaudens *privilegio feriationis*, seu praerogativis quae Patronis principalibus sunt propriae. Quum autem Festum praefatum S. Ioseph in memorato Ordine *cum Octava* celebretur, eo ipso illud quadam solemnitate extrinseca pollet, quae iuxta auctores in occurrentia constituit titulum praeferentiae sufficientem, inferiorem sane illi solemnitati qua gaudent Festa *de praecepto quoad forum*, superio-

rem tamen illi titulo qui a proprietate Festorum petitur.

Omnibus itaque consideratis, quum Festum Patrocinii S. Ioseph in casu tamquam Festum *solemnius* et institutionis vetustioris, quam illud B. M. V. de Bono Consilio censeri oporteat; quumque insuper haec duo Festa quoad alios titulos praeferentiae, in occurrentia vigentes, inter se aequalia considerentur; hinc mea sententia, in casu praesenti, Festum Patrocinii S. Ioseph praeferendum est et illud B. M. V. de Bono Consilio ad primam diem liberam iuxta Rubricas transferendum.

Ita salvo meliori.

BATAVUS *Ord. Min. Capuc.*

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Caurio in Hispania.* **De ordine distributionis Palmarum.** 1.° In Dominica Palmarum, quando Ordinarius peragit benedictionem et distributionem ramorum et prima Dignitas Capituli Missam Conventualem celebrat, est ne hic qui dare Palmam Praelato debet et continuo suam ab eo recipere, an prima Dignitas eorum quae sunt in Choro?

2.° Quinam ordo sequendus in distributione ceteris, seu Ministris seu choralibus?

3.° In ista Cathedrali viget consuetudo, qua Celebrans et Ministri de Missa, in dicta Dominica assistant Processioni, potest ne continuari?

4.° Celebrans in Missa legere debet Evangelium S. Ioannis an illud benedictionis Palmarum?

Resp. 1.° Supponimus Praebendas in hac Cathedrali esse distinctas, ita ut de iure non prima Dignitas debeat assistere Episcopo non celebranti, sed dignior seu senior Canonicus post Dignitates, sicque prima Dignitas celebrare Missam valeat. Nunc Dignitas seu alias Canonicus celebrans, infra benedictionem Palmarum, in Choro assistit, ac se gerit sicut omnes alii Canonici; recedit vero in Sacristiam ad paramenta sumenda pro Missa celebranda aut statim post acceptam Palmam, aut saltem ante Processionem. Ergo optime potest et debet Palmam Praelato porrigere, tum recedere ut imponatur gremiale Episcopo, ac deinde primus omnium Palmam ab eo cum osculis accipere.

2.° Diaconus et Subdiaconus Epistolam et Evangelium in benedictione decantantes iidem esse debent, qui in Missa ministrabunt, sint Canonici vel non sint, Missam celebret Episcopus vel alius *(Cfr. Decr. S. R. C. in una Venetiarum 25 Sept. 1852 ad 1)*. Si sint Canonici, Palmas suo ordine accipiunt cum aliis Canonicis (idem dicas de Presbytero et Diaconis assistentibus), si autem non sint Canonici, eas accipiunt post illos, etiam non paratos, ante Beneficiatos ceterosque pares. Palmis acceptis vel saltem ante Processionem cum Canonico celebraturo ad Sacristiam revertuntur *(V. De Herdt, Praxis Pontificalis T. II, n. 321)*. Subdiaconus qui Crucem defert in processione, diversus a ministrante in benedictione ac Missa esse debet *(S. R. C. 6 Maii 1826 in Alexandrina ad 1)*: accedit autem ordine iuxta suum gradum, nempe ante Beneficiatos si sit ex illis, secus ante

alios Clericos. Vicarius Generalis si sit Canonicus et assistat in habitu canonicali, nullam habet praecedentiam et suo ordine accedet inter Canonicos. Si autem non adsit ut Canonicus, praecedit omnes habitu canonicali indutos, non tamen paratos.

3.° Consuetudo de qua, in casu, est contra Caeremoniale haec statuens: « Interim (dum Processio ingreditur) Canonicus Missam celebraturus cum Diacono et Subdiacono *debent* esse parati ». Quod si consuetudo sit ut iam parati ad Missam in Processione locum teneant, hoc praeter Caeremoniale fieret, sed laudabilem usum non diceremus, cum saltem Celebrans aptum invenire locum nequeat. Concludendum ergo legi consultius obtemperandum.

4.° Absque dubio legere debet Evangelium S. Ioannis. Non enim attendendum personae sed unitati functionis, quae nempe, quamvis ab Episcopo partim peracta, continuatim a celebrante Missam persolvitur.

II. *Ex eodem loco.* **De duabus Crucibus in Processione**. Potestne continuari consuetudo deferendi in Processionibus duas Cruces, quarum una magni ponderis et formae a Sacrista defertur, alia a Subdiacono Missae?

Resp. Ex Rubricis et Decretis S. R. C. has deducimus conclusiones: 1.° In Processionibus anteferri debet Crux cum imagine SS. Crucifixi, cuius facies respicere debet non Clerum sequentem, sed viam arripiendam. 2.° Officium est Subdiaconi assistentis Crucem deferre, praeter quam in Processionibus, in quibus SS. Sacramentum defertur vel Reliquia, aut alias cum solemnitate fiunt, quibus in casibus, si haberi potest, alter Subdiaconus sacris vestibus indutus illam prae-

fert, sin vero, Clericus superpelliceo indutus. Clericus quoque hoc munere fungetur, si itineris longitudo aut difficultas, Subdiaconum paratum minus convenienter admitteret. 3.° Totus Clerus saecularis, etiam cum Capitulo, si adsit, sub una eademque Cruce procedere debet. Si tamen consuetudo obtineat, quilibet Clerus sub propria Cruce incedere potest. Religiosi Ordines et Confraternitates, suam quique Crucem sequentur.

Si ergo Crux quam Clericus seu Sacrista defert, praecedit aliquem caetum a Clero Ecclesiae distinctum, consuetudo servari potest; si autem post Crucem hanc magnam immediate sequatur Subdiaconus cum alia Cruce, hoc nullimode tolerandum. Ceterum serventur iuxta circumstantiae diversitatem alia quae in praecedentibus adnotavimus.

III. *Ex eodem loco.* **De quadam consuetudine in renovatione Sacrarum Specierum.** His in locis antiquissima adest consuetudo, qua, in Missa pro renovatione Sacrarum Specierum in Tabernaculo asservandarum, ante offertorium extrahitur S. Pyxis, deinde Missa continuatur usque ad sumptionem Sanguinis, qua peracta, veteres Species consummantur, et novae reservantur. Nunc quaeritur utrum in hac Missa fieri debeat commemoratio SS̃mi Sacramenti, et in casu affirmativo, utrum in sola Secreta ratione actualis expositionis, an etiam in principio et post communionem?

Resp. Haec praenotanda censemus: 1.° S. Pyxidis expositionem tempore divini Sacrificii vetitam non esse arbitramur, quamquam minus conformem videmus communi Ecclesiarum praxi. 2.° Cum Missa celebratur sive cum cantu sive

plana coram Sanctissimo exposito, ipsam interrumpere non licet, sed ab initio iam expositum esse debet almum Sacramentum, eaque absoluta reponi debet. 3.° Commemoratio de SSmo Sacramento in Missis privatis, tempore expositionis, fieri potest (non debet, nisi in Devotione Quadraginta Horarum iuxta Instructionem Clementinam) omnibus diebus, exceptis Festis 1ae et 2ae classis, et Missis plures Orationes excludentibus, ex. gr. Vigiliae Pentecostes, etc.

Nunc autem quid dicendum de casu proposito? Usum praedictum, abusum et corruptelam iudicamus, prorsus abolenda; non enim ratio plausibilis apparet huius expositionis, nullam relationem habentis cum Specierum renovatione, nec insuper recto modo et tempore peragitur.

Nota. Cappella in qua erecta extat paroecia in Ecclesia Cathedrali, censenda est ceu pars ipsius Ecclesiae, uti ab expositis apparet, idcirco nullum dubium quoad conformitatem ritus et coloris paramentorum cum ipsa Cathedrali, ex parte Parochi.

IV. *E Padua.* **Iterum de benedictione post Communionem fidelibus distributam immediate ante Missam.** Unus ex adm. Rev. Consociatis nostris, iis quae alibi diximus *(num. 1 pag. 57, IV)* super benedictione in casu non omittenda parum adhaerens, plura nobis exponit, ut probet, post Communionem, quae immediate ante Missam distribuitur, benedictionem non esse impartiendam. Notat primo, non esse probandam responsionem simpliciter affirmativam, quia distinguendum erat inter casum Missae de vivis, et casum Missae defunctorum. Ne tempus frustra teramus, respondemus distin-

ctionem certe esse admittendam; sed in casu nostro, res adeo patebat ex toto contextu et Dubii et responsi, ut necessarium id advertere non iudicaverimus: lectores ceterum iudicent. Hoc praemisso, notat primo, Communionem immediate ante Missam esse *privilegium*, seu *concessionem*, pro qua requiritur rationabilis causa, quae ad Communionem dandam in fine Missae *nullo pacto* requiritur. Reponimus, eiusmodi Communionem esse veluti privilegium concedi posse, quod tamen bona mater Ecclesia facile concedit filiis suis. Sacerdotibus autem, spiritu caritatis Ecclesiae praeditis, certe non licet aliter se gerere. Requiri autem rationabilem causam admittendum quoque, sed eam praesumendam esse diximus et dicimus, ut Communionem in casu petentibus denegare Sacerdotes non debeant. Asseri autem nequit, causam requiri tantum pro Communione ante Missam, non post Missam distribuenda, quia Rituali id contradicit *(Tit. IV, cap. 2, n. 10)*. Nec nimis super dicta rationabili causa insistendum, quasi ageretur de *gravi necessitate*, esset enim id quoque a veritate alienum, uti et Ecclesiae spiritui oppositum. Adm. Rev. Consociatus legat declarationem S. R. Congregationis, satis ad rem facientem *(Vol. 9 Ephem. pag. 710)*, et qualis Ecclesiae spiritus sit facile perspiciet. Alia plura, quae adm. Rev. Consociatus disserit, praeterimus ne in longum abeamus; sed tanti non esse ponderis arbitramur, ut a proposita sententia, quae uti veritas, omnibus inspectis, considerari potest, recedere possimus. Ceterum quaestio benedictionis minus gravis est, quam alia Communionem respiciens; ut si illa omitti non debeat,

ista omnino petentibus sit concedenda, etiam in casu exposito.

Convenimus nihilominus de gravi, quod ex praefata Communione oriri potest, incommodo pro iis, qui diutius detineri coguntur in templo, maxime si plures essent communicandi. Id autem suggerere Ecclesiae rectori plures valet modos dicto incommodo eundi obviam. Ex. gr. fideles moneri tempestive possunt, ut alio tempore communicent, si fieri possit, vel statui potest, ut Missa in alio altari celebretur, et altare Sacramenti liberum relinquatur, vel quid aliud. Sed ex hoc incommodo argumentum derivare ad sustinendum Communionem immediate ante Missam non esse ex lege distribuendam, vel etiam benedictionem esse omittendam, id aequum non est: meliori qua ratione potest fieri evitetur incommodum, non tamen cum damno communicare volentium.

Nota. Quanta et nos expectamus anxietate resolutionem quaestionis super *Angelus Domini* dicendo vel *Regina caeli* in notis casibus, vix adm. Rev. Consociatus intelligere valet. Sed patientia opus est: quaestio resoluta est, non adhuc tamen communis iuris facta: quam citius eam evulgabimus, et probabilius num. sequenti.

V. *Ex eod. loco.* **De Vesperis defunctorum mane non decantandis**. Inquiritur utrum licite decantari possint Vesperae mane loco Matutini cum Laudibus, quia Missa non est dicenda.

Resp. Vesperas mane pro Matutino, seu integre seu partialiter, decantare non respondet spiritui, neque ipsi literae Sacrae Liturgiae. Non spiritui, quia defunctorum officium duabus partibus constat: Vesperis nempe, quae Matutinum praecedunt tan-

tum non vero sequuntur, et primam constituunt: Matutino cum Laudibus, quae alteram partem efformant. Iam nunc, sicuti Matutinum est Hora diei, nec vespertino tempore dicitur nisi per anticipationem; ita Vesperae Horam constituunt vespertinam, et contra morem Ecclesiae est, illas mane recitare, atque ordinis inversionem id contineret. Sed neque litterae Liturgiae respondet. Nam Rituale (*Tit. VI, cap. 3, n. 4*) supponens tempus matutinum, cum sequenti numero (6) verba de Missa faciat, loquitur de *tribus nocturnis et Laudibus*, non autem de Vesperis. Aliis vero sequentibus numeris (16, 18, 19) declarat unum posse recitari nocturnum cum Laudibus ob temporis angustiam, non tamen Vesperas indicat, quae breviori tempore recitarentur. Imo, si talis esset angustia temporis ut nec unum nocturnum permitteret, vult quidem ut aliae *preces et suffragia* nunquam omittantur, sed semper de Vesperis silet. Quod si subsumas, Rituale, supponere Missam cantandam, reponimus, id non esse verum absolute; namque ait: *Missa... si hora congruens fuerit..., non omittatur, etc....* Id quoque eruitur e Rubrica speciali Breviarii, quae Vesperas defunctorum vespertino tempore recitandas iubet. Adeo ut, omnibus probe perpensis, Vesperas defunctorum Matutino sufficere inordinationem sapere dicendum sit.

VI. *Ex Hispania.* **De iure corrigendi Calendarii.** Ad quem pertinet ius corrigendi et approbandi Calendarium dioecesanum?

Resp. Supponimus Calendarium iam existere, et illud aut esse simpliciter corrigendum in erroribus, qui forte in ipso lapsu temporis irrepserunt, aut aliqua nova officia in eo inserenda, vel tantum non-

nullas sedes immutandas. Si primum, ad Episcopum pertinet; ei enim ius competit et onus providendi, ut divinum officium fiat in omnibus et per omnia iuxta normas a Summis Pontificibus praescriptas. Sed et pertinere quoque dicendum est ad Capitulum, cui onus quoque incumbit recitandi ac decantandi divinum opus iuxta ecclesiasticas leges. Si alterum, neque ad Episcopum, neque ad coetum hominum pertinet, sed ad S. R. Congñem, quod probatione non indiget. Nova enim festa inducendi liturgica, aut sedes officiorum immutandi ius S. R. Congñi tantum reservatum est ex Constitutione Xysti Papae V, et S. R. Congñis Decretis. In primo autem casu ipse Episcopus potest, in altero vero S. R. Coñgtio approbare Calendarium potest, uti patet. Caeremoniarum magister, si errores, certos tamen, emendare voluerit, rem cum suo Episcopo componet, ad quem errores deferat, ut omnia rite fiant.

VII. *E Dioecesi Briocensi.* **De concursu inter officia votiva.** Si officia votiva, sive ex recentibus sive ex antiquis, inter se concurrant, habenda ne est ratio dignitatis personalis?

Resp. Incerta res est; et donec S. R. C. quaestionem definiat, Rubrica specialis sequenda, quae praemittitur officiis votivis a Summo Pontifice regnante concessis. Cumque eadem dispositio iam ab antiquo servata fuerit quoad alia officia votiva, hinc Vesperae in omnibus et quibuscumque officiis votivis inter se concurrentibus, erunt dividendae (1).

VIII. *Ex eod. loco.* **De concursu inter dupl. min. primarium et diem octavam dignioris festi.** Si concur-

---

(1) Dubium hoc resolutum fuit antequam quaestio definiretur; nunc legas Decretum Urbis in principio Ephemer.

rant simul duplex minus quodcumque primarium et dies octava Ss. Apostolorum, S. Io: Baptistae, S. Raphaelis Arch., quomodo ordinandae sunt Vesperae?

Resp. Res item incerta. Hinc primo reponimus, Vesperas ordinari posse in casu secundum quod exigit dignitas personalis festorum. Hinc dies octava festi ad personas pertinentis, de quibus Rubricae Generales, dummodo primarii, integras sibi vindicabit Vesperas prae quocumque concurrente alio duplici min. primario. Ratio est, quia definitum cum sit, qualitatem primarii in diebus octavis pro praecedentia esse attendendam; eo ipso sequitur, attendendam etiam esse, post illam, qualitatem dignitatis personalis. Et sane, si dies octava festi primarii, eo ipso praevalet in concursu duplici minori secundario, et dies octava festi secundarii cedit duplici minori primario; aeque certum est, *ex duobus festis primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis, praecedentiam competere digniori:* ita ex Decreto *Viglevanen.* 21 Febr. 1895 ad I. Atqui dies octava uti dup. min. considerandum est, vel primarium vel secundarium iuxta qualitatem festi; ergo, sicut in occursu, ita et in concursu dies octava festi dignioris praevalere debet duplici minori, si ambo sint primaria vel secundaria. Ita quoque quaestionem resolvit Doct. Piacenza (*V. Ephemer. 1894, pag. 28, Tabell. Concur.*).

Sed reponi quoque potest secundo, Rubricas Generales privilegium concedere in concursu festis potioribus Domini, ut eorum octavi dies nonnisi duplicibus II classis cedant, et festis potioribus Deiparae, ut horum dies octavi solis cedant duplicibus maioribus. Certe autem per hoc privilegium,

sicuti Domini ita Deiparae festa ab aliis distinguuntur, quae etiam ad personas pertineant, quas Rubricae Gen. nominant. Porro si concedatur, dies octavos quorumcumque festorum, ad personas pertinentium in Rubricis nominatas, cuique duplici minori in concursu praevalere, privilegium Deiparae festis concessum evaderet prorsus inutile, esset enim et aliis commune, quae iam innuimus (1).

Nota. Incidente Dominica maiori in diem 13 Dec. in qua S. Lucia ad instar simplicis est redigenda, cum die sequenti 14 fieri debeat de die 7.^{ma} infra octavam, in secundis Vesperis prima com. facienda est de eadem die 7.^{ma} infra octavam; quia ante ceteras prima com. facienda est de officio quod concurrit: concurrit autem dies 7.^{ma} infra octavam; postea de S. Lucia.

IX. *E Parisiis.* **De Gloria et Credo omittendis in quibusdam Missis votivis.** Qui facultate gaudet, uti caecus, Missam de Beata M. V. faciendi, debet ne semper omittere *Gloria* et *Credo?*

Resp. Affirmative, sub unica tantum ac limitata exceptione. Inutilis ratiocinatio, ubi lex positiva est explicita ac perspicua. Nunc autem quaesitum est: « An Sacerdos, qui ex indulto quotidie celebrat Missam votivam B. M. Virginis, in Sabbatis et per octavas Festorum Deiparae addere possit hymnum angelicum, uti ex Decretis concessum est in Missis votivis eiusdem Deiparae, quae in Sabbato celebrantur? » Responsum est autem: « Affirmative in Sabbatis: in reliquis negative (*Congr. Oblator. B. M. V. 23 Febr. 1839*

(1) Hanc solutionis partem alteram pro nihilo habeas; sed vide idem Decretum iam superius citatum.

ad 1). » Nota autem 1. Decretum ad rem nostram optime facere, quia agit de quocumque Celebrante privilegiato; ergo etiam de caeco. 2. In Decreto agi de solo hymno angelico omittendo; sed a fortiori de symbolo intelligi potest, quia et gravior exigitur ratio pro *Credo* in Missis votivis addendo, quam pro *Gloria*, et difficilius est coeco Symbolum addere quam *Gloria* ratione memoriae, ut si addi *Gloria* non debeat, a potiori nec *Credo*. 3. Limitatam exceptionem solum Sabbatum respicere, et hymnum angelicum, nunquam vero Symbolum.

Obiicies: Missa semiduplici respondens, Missa respondens officiis votivis ad libitum habent *Gloria;* quare ergo *Gloria* omitti debet in Missis votivis de Beata V., Sabbato tantum excepto? *Resp.* quia Missa respondens officio cuicumque, esto etiam votivum ad libitum, stricte votiva nequit dici, et ad summum *votiva* appellatur, quia officio *votivo* respondet; sed eo ipso quod cum officio concordat, iam festivi naturam iure induit. Hoc autem de Missa votiva, quam coecus dicit ex privilegio, praedicari non potest.

X. *Ex eod. loco.* **De inclinatione Celebrantis in Missa dum a se Missale transfert.** *Ritus celebrandi* notat Celebranti genuflectendum esse dum altare incensat quoties transit ante medium ipsius altaris in quo asservatur Sacramentum *(Tit. IV, n. 6);* quare autem eadem de causa genuflectere non debet cum missale ipse Celebrans transfert ex altero ad alterum cornu; et cum per medium transit Passionem lecturus?

Resp. Simplex videtur esse ratio, sapiensque simul, diversae dispositionis Rubricae. Nam aliud est altari in solemni Missa thus adhibere, aliud

est Missam facere. In primo casu Celebrans cum ministris solemnem exercet ritum circa altare, quod thurificare debet; convenit ergo omnino, si in eo asservatur Sacramentum, ut per medium transiens genuflectat. In altero duplici casu nihil circa altare agit, sed Missam dicit. Porro lex est, ut Celebrans in Missa facienda, prima et ultima genuflexione excepta, ante scilicet et post Missam, Sacramentum quod in tabernaculo asservatur, non consideret, sed eadem se ratione gerat, ac si Sacramentum non adesset. Ratio est, quia Celebrans stat in altari rem divinam faciens, hoc est ipsimet Sacramento novam dans existentiam, ut sacrificet. Cumque omnes et singulae actiones Missae, seu ante consecrationem et post consummationem, seu a consecratione ad sumptionem, pro una eademque actione complexiva accipiantur, quippe quae omnes Missam constituunt, Celebrans in omnibus et singulis se habet, ac si Sacramentum in tabernaculo non adesset. Verum, cum altare thurificat caeremoniam peragit, quae pertinet quidem ad Missae solemnitatem, sed Missae actum non constituit, unde in privata thurificatio omittitur, et etiam in Missa cum cantu sine ministris. Ratio ergo genuflexionis sapiens in thurificatione, vim non habet in aliis allatis vel afferendis casibus. Ceterum Rubricas servare potiusquam discutere consultius est.

Nota pro Consulente e Parisiis. Utcumque S. R. Congñis Officialis se exprimere potuerit, certum est, nec in dubium ponendum, Regulares recolere debere festum Titularis Ecclesiae Cathedralis in tota dioecesi sub ritu dup. 1 cl. sine octava, et festum Dedicationis eiusdem Cathedralis in sola

civitate episcopali sub ritu dup. 2 cl. item sine octava.

XI. *E Turiasona in Hispania.* **De 9 lectione in festo Nativitatis B. M. V. Ecclesiae Titularis.** Quaenam nona lectio in Matutino festi Nativitatis B. M. V. Titularis Ecclesiae legenda est, cum de S. Adriano nihil fiat, et nequeat desumi ex lectionibus de die 2 infra octavam, quum de ea fiat officium.

Resp. Vel iuxta Gavantum (*Sect. VII, c. XI ad 8 Sept.*) de duabus lectionibus fiunt tres, octavam partim ex septima partim ex initio octavae conflando; vel iuxta Calendarium Ecclesiae Vallicellianae Urbis, octava lectio in duas dividitur, octavam legendo usque ad verba: *super sedem tuam* inclusive; nonam incipiendo a verbis: *Iudas autem.*

Nota 1. Missae *communitatis* appellatae in Seminariis, non sunt conventuales, ideoque in iis facienda est commemoratio simplicis in dupl. 2 classis, et in fine recitandae sunt preces a SSmo D. N. praescriptae. Quoad duos ministros sit satis referre Decretum S. R. C. 12 Sept. 1857 *in Molinen.* ad 7: « Servanda esse quidem Decreta quoad Missas stricte privatas, sed quoad Missas Parochiales vel similes, diebus solemnioribus, et quoad Missas quae celebrantur loco solemnis atque cantatae occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis tolerari posse duos ministros Missae inservientes, servatis ordinationibus Sacrae Congregationis in una Tuden. die 7 Septembris 1816 ad dubia XI et XII, (de Ministro folia vertente et Calicem tractante) ».

Nota 2. Verba Rubricae in Dominicis Septuagesimae, etc.: « et repetitur a Choro Invitatorium », intelligenda sunt ut Chorus *semel* repetat, nempe

rursum dicat ℣. Invitatorii, qui ante Psalmum *Venite* primo dictum est.

XII. *E Strigonia*. **De Officio votivo Imm. an recitari valeat ritu dup.** Hic recitatur in omnibus Sabbatis, extra Quadragesimam, Vigilias et Adventum, Officium votivum B. M. V. Imm. ex indulto Benedicti XIII. Hinc quaeritur: cum etiam diebus in indulto exceptis, ex alio indulto Leonis Papae XIII, nunc dictum officium recitari possit, debetne omnino fieri sub ritu semiduplici, an fieri etiam potest sub ritu duplici?

Resp. Nequimus quin affirmative ad primam partem, et negative ad secundam respondeamus. Ratio est, quia de re agitur ex indulto facienda; ergo nonnisi prout indultum pemittit fieri potest. Fortasse indultum Benedicti XIII, uti ex dubio apparet, dictum officium concedit sub ritu duplici; sed certum est, indultum Leonis XIII solum ritum semiduplicem concedere pro eodem officio. Ergo in Sabbatis in quibus favet utrumque indultum, liberum erit choro non obligatis officium votivum recitare sub ritu aut dup. aut semiduplici; sed quando unum tantum ex duobus indultum favet, nonnisi sub illo tantum ritu officium votivum recitari poterit, quem concedit Indultum. Idem dicendum pro Capitulis, sed Canonici antea convenire inter se debent, an sub altero an sub altero ritu recitare velint, ne incommoda in actu recitationis suboriantur.

XIII. *Ex Apuliis*. **De Missa lecta in die obitus occurrente semiduplici.** Si die cuiusdam obitus celebrare quis velit Missam de requie, quam occurrens semiduplex permittit pro anima defuncti,

quam Missam ex quatuor in Missali inscriptis dicere debet? Quot Orationes?

Resp. Abstrahimus a iure quod Rubrica facit, legendi quamcumque ex dictis Missis, Orationibus exceptis, quas Rubricae moderantur, et sequentia quae propriis quoque normis dirigitur, uti notum est. Reponimus; Missam dici posse ut in die obitus, ex simplici ratione, quia dies obitus est. Una esse potest pariter Oratio, quia Missam in die obitus seu depositionis unam Orationem habet, eaque conveniens animae, pro qua Missa dicitur, iuxta Rubricas. Consequenter dicenda quoque erit sequentia, quae ex Rubrica dicitur quandocumque una erit Oratio. Namque ait cl. De Herdt: « Rubricae enim non distinguunt quoad hos dies (*obitus, tertium, septimum etc.*) inter Missam solemnem et privatam, et loquuntur eodem modo de die depositionis et aliis, sicut de Commemoratione fidelium defunctorum, in qua in omnibus Missis dicitur una tantum Oratio (*Pars I, n. 65, Resp. 1*) ».

Diximus nihilominus, *dici posse;* quia negotium nondum clarescit; clarescet tamen quamprimum, uti iure confidimus, cum Commissio Liturgica hanc quaestionem iam Emis Patribus definiendam proposuerit. Sane haud certa videtur ratio ab auctore praefato allata, quod videlicet *Rubrica quoad hos dies non distinguat inter Missam solemnem et privatam.* Etenim manifesto loquitur Rubrica de Missa in die obitus, quae praesente cadavere, quantum fieri potest, nunquam omittenda est, *nisi obstet magna diei solemnitas;* non ergo loqui videtur de Missa privata, quae in omnibus duplicibus etsi minoribus est vetita.

Praeterea Missa cum unica Oratione habet rationem solemnitatis, quae non videtur admittenda in Missis privatis nisi die 2 Novembris, uti e Missali patet. Hinc qui in casu exposito plures diceret Orationes, uti in Missis quotidianis, et sequentiam consequenter omitteret, vel certe non esset damnandus, nisi forte etiam laudandus. Concludimus, legem incertam non esse legem, et unumquemque posse se gerere uti melius arbitratur, donec legitima auctoritas quaestionem authentice resolvat.

XIV. *E Baiona.* **De officio ad libitum absolute suppresso.** In quibusdam Calendariis officium S. Canuti semid. ad libit. absolute suppressum est ob occurrentiam festi SS. Nominis Iesu dup. II classis: rectene?

Resp. Officium *ad libitum* dicitur illud, quod, vel diei mensis affixum vel feriae alicui, *pro lubito* fieri vel omitti potest; sed si fiat, unicam sedem occupare debet, nullamque aliam nisi ex indulto. Nihilominus sedem pro officio ad libitum assignatam nullum aliud officium occupare potest in perpetuum; tunc enim cum aliam sedem illud habere nequeat, amplius non posset recoli. Verum si officio per accidens transferendo locus non suppetat, optima pro eo erit sedes officii ad libitum, quod consequenter omittendum: nisi esset quoque simplex de praecepto, tunc enim commemoratione gauderet. Hinc quaerimus: festum SS. Nominis, per accidens ne, an in perpetuo repositum fuit in sede S. Canuti? Si primum, res processit ad normam iuris: si alterum, inordinatio facta est. Casum excipe, quo in singulos annos plura essent transferenda semper officia, quae nunquam

permitterent recitationem officii votivi, cuius sedes a translato aliquo semper et necessario occupata maneret. Tunc, ait P. a Carpo, non videretur interdicta perpetua occupatio sedis officii ad libitum; quia, inquit, lex prohibens ad casum inutilem extendi non potest; et eiusmodi esset ille de quo agimus.

XV. *Ex eod. loco.* **De sensu verborum « alicui Ecclesiae adscriptus ».** Quaeritur, quisnam dici possit stricte adstrictus alicui Ecclesiae, quod officium attinet Dedicationis et Titularis Ecclesiae recitandum?

Resp. Ille alicui Ecclesiae stricte adstrictus dicitur in casu, pro quo Ecclesia, cui inservit, vere *propria* est. Propria autem plus minusve Ecclesia dicitur illius, qui de ipsius gremio est, ad ipsamque pertinet, vel *ratione beneficii,* quod ad chorum obligat, vel *ratione muneris sacri,* quod a competenti auctoritate commissum exercet, vel *ratione subiectionis.* Inferes 1. Titulum vel Diaconiam pro Cardinali, Cathedralem pro Episcopo dioecesano, Capitularem pro relativo Canonico, Parochialem pro curam animarum in ea habente, Collegialem pro Beneficiario illius, esse Ecclesias severiori sensu proprias. 2. Ecclesiam proprii Conventus pro utriusque sexus Regulari, Ecclesiam regendam, ac spiritualiter administrandam, sacris functionibus ex potestate Episcopali excolendam pro Oeconomo, Viceparocho, Cappellano, Coadiutore, Custode illi addictis, minus stricte, vere tamen, esse proprias. 3. Ecclesiam cathedralem pro clero illi non adscripto, sive saeculari in tota Dioecesi, sive regulari in civitate episcopali, esse quoque, latiori tamen sensu, propriam ac proinde

secundariam. Nota, alicui Dioecesi, vel Ordini, vel Nationi privilegio tributo, ut Dedicationis omnium Ecclesiarum anniversarium una eademque die sub ritu maximo celebretur, Ecclesiam principalem pro aliis loci non consecratis Ecclesiis, saltem fictione iuris, censendam esse quoque latiori sensu propriam ac proinde secundariam. Hos ergo omnes teneri ad officium Dedicationis ac Tituli relativae Ecclesiae abunde constat seu ex ratione, seu ex Rubricis, seu ex Decretis.

Nota 1. Seu ad 1as seu ad 2as Vesperas, semper dicitur doxologia propria prae communi, si officium, ad quod illa pertinet, saltem commemoratione gaudeat.

Nota 2. *a*) Dies propria (natalitia) S. Ioannis Nepomuceni est 16 Maii, sicuti etiam S. Ubaldi: hinc qua de causa, utroque perpetuo occurrente, primas habeat iste inferioris, prae illo superioris ritus, nescimus; praevalere enim de iure debet S. Ioannes Nepomucenus. Prorsus autem non intelligitur quo iure a die 17 eiusdem mensis amotus sit S. Paschalis Baylon (die natalitia) translatusque ad 23 in Calendario Urbis, ut eadem dies 17 seligeretur pro S. Ioanne Nepomuceno. Ex eo enim sequitur, utriusque festum sine causa recoli extra diem propriam, quod irregulare est. *b*) Dies natalis S. Elisabeth Vid. est 19 Nov. a qua iure translata fuit, ut Romae fieret de S. Pontiano Mart. cum dicta dies sit utriusque propria, et reposita in die 27 Nov. prima libera. Idem dicas de S. Leonardo a Portu Mauritio, qui ex die propria 26 eiusdem mensis impedita a S. Silvestro Abb. (etiam propria) translatus fuit in 17^{am} Novembris, primam pariter liberam. *c*) S. Veronica de Iulianis iure

assignata fuit in Calendario Urbis die 27, prima libera post 9 Iulii, quae a festo secundario quidem sed potioris ritus impedita erat pro illa. Idem iudices de S. Alexio Conf. et de S. Vincentio a Paulo. Sed nota: cum S. Vincentius a Paulo Baionae sit dupl. 2 cl. perperam ageretur die 24 Iulii, uti Romae quae eum recolit sub ritu dup. min. Etenim dicta dies propria pro utroque est, et Roma praefert in paritate ritus S. Pontificem Symmacum, quia proprium; sed Baiona tenentur praeferre S. Vincentium potioris ritus, cum ceteri qui utuntur extra Calendario Urbis, teneantur in eo inducere variationes quas ritus festorum propriorum exigit.

Nota. 3. Officium votivum, consequenter et Missa, de Ss. Petro et Paulo recitandum est, prae alio votivo Ss. Apostolorum, ab omnibus illis, « qui Calendario Cleri romani utentes, extra degunt quidem, sed ad officium quod spectat quid unum efficiunt cum Clero romano (*Romana 18 Maii 1889*) ».

PRAENOTANDA

Calendariis locorum praemittenda.

I. **Missam privatam votivam aut de requie impediunt:** 1. Festa duplicia: 2. Dominicae: 3. Vigiliae Nativitatis D. N., Epiphaniae, et Pentecostes: 4. Dies infra eorumdem festorum octavas, atque etiam Paschae et Corporis Christi: 5. Feria IV Cinerum: 6. Integra Hebdomada maior. 7. **In Ecclesiis paro-**

chialibus, ubi una tantum Missa habetur, etiam dies Rogationum, si habeatur Processio. 8. **Missam privatam votivam de vivis** etiam dies II Novembris. *Missa votiva solemnis, nisi sit pro re gravi, uti privata habenda est in casu. Missa de requie, etsi solemnis, nisi ad illas pertineat, de quibus dicemus, item uti privata habenda est. Eadem Missa in Com. Omn. Fidel. Defunct. dici etiam potest, Eucharistia pro Oratione 40 Horarum ex praecepto solemniter exposita, sed in colore violaceo.*

II. **Missam votivam solemnem pro re gravi impediunt:** 1. Duplicia I classis: 2. Dominicae I classis: 3. Feria IV Cinerum: 4. Vigiliae Nativitatis D. N. et Pentecostes: 5. Integra Hebdomada maior. *Missa votiva nunquam potest dici aut cantari de quo festum recolitur.*

III. **Missam solemnem de Titulari, vel de alio festo cum concursu populi celebrando, si occurrant et transferri debeant, impediunt:** 1. Dominica prima Adventus et Quadragesimae, et Dominica Palmarum: 2. Feria IV Cinerum: 3. Integra Hebdomada maior: 4. Dominicae Resurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus: 5. Festa Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini.

IV. **Missam votivam pro sponsis impediunt, non tamen de die cum com. pro sponsis et benedictione:** 1. Duplicia I et II classis: 2. Dominicae, aliaque festa de praecepto: 3. Integra octava Epiphaniae ac Pentecostes, nec non huius Vigilia: 4. Dies octava Corporis Christi: 5. Dies, qui duplicia II classis respuunt: 6. **In Ecclesiis parochialibus, ubi una tantum Missa habetur:** Dies etiam festi suppressi; nec non dies Rogationum, si habeatur Processio, et dies 2 Nov. si dicatur officium Defun-

ctorum. *Com. pro sponsis dicenda post alias ex Rubrica, et nunquam sub eadem conclusione cum prima Oratione.*

V. **Missam cum cantu aut solemnem de requie praesente cadavere impediunt**: 1. Omnia festa solemniora universalis Ecclesiae, nempe, Dominica Paschae et Pentecostes, Nativitas, Epiphania, Ascensio, et Corpus Christi, Imm. Conceptio, Annuntiatio et Assumptio Deiparae, Nativitas S. Io: Baptistae, S. Ioseph, Ss. Apost. Petrus et Paulus, et festum Omn. Sanctorum: 2. Dies solemnitatis festi ex indulto translati, modo celebretur in populo: 3. Ultimum triduum maioris Hebdomadae: 4. Festa solemniora localia, hoc est: Patronus loci praecipuus, Dedicatio et Titulus Ecclesiae propriae: 5. Tempus solemnis Expositionis Eucharistiae: 6. **Pro Ecclesiis parochialibus unam tantum habentibus Missam:** Dies omnes festi, suppressis non exceptis, quibus Parochus debet applicare pro populo, feria IV Cinerum, et vigilia Pentecostes si fieri debeat benedictio Fontis; atque etiam dies S. Marci et Rogationum, si fiat Processio. *Cadaver censetur praesens, cuius praesentiae defectum excusat causa gravis, dummodo non ultra biduum ab obitu sit tumulatum. Secus, Missa exequialis praefatis diebus impedita, cantari potest et debet prima die libera a die Dominico vel festo, vel dup. I et II classis.*

VI. **Missam solemnem aut cantatam diebus: III, VII, XXX et anniversaria ab obitu vel depositione impediunt:** 1. Duplicia I et II classis: 2. Dominicae ac festa de praecepto: 3. Vigiliae Nativitatis D. N. et Pentecostes: 4. Dies infra Octavas eiusdem Nativitatis, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corporis

Christi: 5. Feria IV Cinerum: 6. Tota Hebdomada maior: 7. Tempus solemnis Expositionis Eucharistiae: 8. **Pro Ecclesiis parochialibus unam tantum habentibus Missam**: Omnes etiam dies festi suppressi, quibus Parochus debet applicare pro populo; atque Rogationum, si fiat Processio. *Missa, ut supra, impedita vel anticipari vel transferri potest ac debet in primam diem a superioribus impedimentis liberam. Inter anniversaria fundata et privata non datur distinctio in casu.*

VII. **Missa in aliena Ecclesia, aut Oratorio publico,** semper debet convenire cum officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii publici, nisi de semiduplici aut simplici in iis fiat: quo in casu Sacerdos celebrare potest iuxta officium vel Ecclesiae vel proprium, vel de feria vel de requie, etc. prouti ei libuerit. Missa autem vel Ecclesiae vel proprio officio conformis erit festiva, non votiva. In privatis vero Oratoriis Missa semper conveniet cum officio Celebrantis.

VIII. **Missam in Oratoriis privatis per se impediunt:** 1. Nativitas D. N. Epiphania, Triduum ultimum maioris Hebdomadae, Resurrectio et Ascensio D. N. ac Pentecostes: 2. Annuntiatio, Assumptio, et Conceptio Imm. Deiparae: 3. S. Ioseph, Festum Ss. Petri et Pauli, atque Omnium Sanctorum: 4. Patronus loci praecipuus: si tamen de praecepto servantur. *Dictum est:* **per se**, *ut unicuique innotescat, in singulis locis unamquamque personam posse ac debere relativo indulto se conformare.*

APPENDIX

E SUPREMA S. O. CONGREGATIONE.

I.

Beatissime Pater,

In hac Argentinensi dioecesi a longo iam tempore invaluit usus, ut tempore Quadragesimae diebus in indulto comprehensis, ad collationem adhiberetur non solum condimentum suinum, sed quodlibet iusculum carnis. Quum autem ex una parte haec praxis ecclesiasticis sanctionibus minime consonet, ex alia vero parte perspectis locorum ac temporum necessitudinibus ac circumstantiis, fideles huius dioecesis nonnisi aegre ab ea avelli possint; ideo Episcopus Caesaropolitanus ad S. V. pedes provolutus, humillime supplicat S. V. pro benigne concedenda facultate, qua et in posterum praefatus usus hac in dioecesi sequi valeat:

Suprema autem S. Offic. Congr. die 20 ianuarii 1885: *Si adest usus, Episcopus sileat.*

II.

Feria IV, die 18 Martii 1896.

Post latum fer. IV die 5 Decembris 1894 Supremae huius Cong'nis S. O. Decretum, quod incipit *Cum recenter*, quo facultas fit locorum Ordinariis anticipandi in alium diem vel

etiam, gravissimis de causis, dispensandi super ieiunii et abstinentiae lege, occasione solemnitatum, in vetitum aliquem diem incidentium, a pluribus locis, circa eiusdem Decreti genuinum sensum, dubia proposita fuere, quae sequuntur.

I. Utrum ad hoc ut Episcopus dispensare valeat ad tramitem dicti Decreti necesse sit ut festum celebretur semper magno populorum concursu?

II. Utrum Episcopus dispensare possit quando agitur tantum de festis duplicis praecepti; an etiam quando agitur de alio festo vel de alia catholica solemnitate, ex. g. de centenariis, de peregrinationibus et similibus?

III. Quomodo sit intelligendus *magnus populorum concursus*, an populorum extraneorum, vel etiam eiusdem civitis aut loci?

IV. Utrum inter causas gravissimas ob quas Episcopus non sòlum anticipare, sed etiam dispensare potest, assignari valeat grave periculum quod abstinentia anticipanda non observetur?

V. Utrum in diebus exceptis ieiunio consecratis vetitum sit Episcopis tantum dispensare super abstinentia; vel etiam illam anticipare?

VI. Utrum ex rationabili causa possit Episcopus committere Parochis ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia?

Quibus dubiis ad examen sedulo vocatis, in Congregatione Generali habita feria IV die 18 Martii 1896. E.m̃i ac R.m̃i D.ñi Cardinales Inquisitores Generales, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum mandarunt:

Ad I. — Affirmative.

Ad II. — Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, modo adsit magnus populorum concursus.

Ad III. — Attentis omnibus intelligi potest etiam de concursu civitatis aut loci, facto verbo cum SS.m̃o.

Ad IV. — Affirmative, modo periculum sit generale.

Ad V. — Affirmative, scilicet utrumque vetitum est Episcopis.

Ad VI. — Affirmative.

Sequenti vero feria VI die 20 eiusdem mensis SS.mus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, in solita audientia r. p. d. Adsessori impertita, relatas Sibi E.morum Patrum resolutiones benigne adprobare et confirmare dignatus est.

I. Mancini Can. Magnoni *S. R. et U. I. N.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

Episcopus Iacensis in relatione status suae Ecclesiae sequens postulatum exhibuit Sacrae Congregationi Concilii die 27 aprilis 1894, quod ab eadem Sacra Congregatione ad hanc Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam transmissum fuit, nimirum: — Sunt plures Reliquiae in pretiosis argenteis thecis inclusae, fere in omnibus Ecclesiis Dioecesis, etsi pauperrimis, quarum authenticae non habentur, nec notitia habetur eas olim extitisse, nec tempus cognoscitur a quo illae Reliquiae possidentur. Numerus earum, praesertim in Ecclesia paroch. vulgo Siresa, quae per aliquod tempus residentia fuit Episcoporum Oscensium tempore invasionis mahometanorum, est considerabilis, et quamvis thecae antiquitatem redoleant, in archivis tamen parochiarum, vel in historiis nullum extat certum documentum earumdem authenticitatem comprobans. — Magna tamen pietate a populis coluntur, ita ut nequeat sine scandalo hic cultus prohiberi. Cum igitur antiquissimae sint, ita ut ipsa antiquitas possit constituere argumentum sufficiens ad certitudinem moralem gignendam, et apud omnes in maxima semper fuerint et sint veneratione, opinatur Episcopus orator huiusmodi cultum permitti posse: ad omnem tamen anxietatem tollendam, implorat quoad hoc iudicium S. V.

Quibus praefata Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, omnibus perpensis, ita respondendum censuit die 30 Ianuarii 1896: « Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi

in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel suppositias esse ».

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die et anno uti supra.

A. Card. STEINHUBER, *Praef.*
A. Archiep. Nicopolit., *Secret.*

DE RELIQUIIS AQUISGRANI.

Pretiosiores Aquisgranum, vetusta Caroli Magni quondam civitas, reliquias servat, quas ipsemet summus Princeps pari diligentia ac pietate collegit, et in unoquoque septemnio impraesentia fidelium devotio a 10 ad 24 diem Iulii veneratur expositas. Ipse Magnus Carolus primam paraverat expositionem die 13 Iunii anno 809, et quoad vixit subditos sibi populos per speciales nuntios quotannis invitavit, ut feria IV post Pentecostes solemnitatem una secum tam pretio digna monumenta, quae suam Áediculam decorabant, honore haberent.

Peculiari mentione digna iudicanda *Camisia Beatae Mariae Virginis.* Illa creditur, quam Deipara gestabat, uti fert traditio constans, in Christi Filii sui nativitate. Textilis est coloris albidi, ex gossipio, altitudinis metr. 1.60: latitudinis vero, 1, vestibusque mulierum orientalium plane similis. Iesuli Filii indumenta ex lana sunt obscura, imitanturque satis coactile villum.

Perizonium divini Infantis, seu vestis qua cum duceretur ut crucifigeretur induebatur, ex rudi panno confecta est, communi, ac sanguine conspersa, hinc et rigida apparet. Sindon, qua caput Ioannis Bapt. Praecursoris involutum fuit, iuxta alios ipsemet truncus, ex subtili textili est, ac sanguine similiter inquinata.

Aliae non desunt notabiles Reliquiae, quae facilius videri possunt: inter quas Christi Domini zona, et altera

almae Virginis, duo satis notabilia verae fragmenta Crucis, et pars spongiae, quam aceto onustam milites exhibuerunt morienti Domino.

Expositio septennalis, quam superius innuimus, solemnior est; et indigenorum non tantum commovet pietatem, sed exterorum quoque, qui tam insignia monumenta veneraturi peregre Aquisgranum proficiscuntur.

MONITUM.

Certiores facti sumus, a S. C. Sancti Officii, Decretum brevi evulgatum iri, quo indulgetur butyri condimentum, quando laridi permissum est. Curabimus, ut insequenti mense eiusmodi nova benignaque dispositio lectoribus nostris innotescat.

Additio ad Notam pro Rmo Dom. in fine fasciculi quinti. Cum tamen aliqua Collecta ab Ordinario praescripta ex alia lege praescribitur, ex. gr. pro Papa in die Coronationis eiusdem, eadem Collecta semel dicitur, et alia non additur. Si vero ex Rubrica dicenda sit Oratio pro Ecclesia vel pro Papa, et una ex iisdem alia lege praecipiatur, utraque dicenda est.

IMPRIMATUR
P. Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A
Magister.

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriarc. Antiochiae.
Vicesgerens.

Proprietas literaria

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896.

SACRA RITUUM CONGREGATIO

I.

VICENTINA.

In Kalendario Dioceseos Vicentinae anno 1894 edito proposita, et menstruis coetibus casuum conscientiae quaestio agitata fuit super benedictione puerperae, cuius proles sine baptismo decesserit. Sententiis in contraria abeuntibus, Rm̃us Canonicus qui eisdem coetibus praeerat, de legum liturgicarum observantia sollicitus, sequens dubium pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi, de consensu Rm̃i Episcopi Vicentini, humillime proposuit; nimirum: « Utrum, vi decreti ab ipsa Sacra Rituum Congregatione dati die 12 Septembris 1857 in Molinen. ad XX^{um}, liceat Benedictionem *mulieris post partum,* iuxta Rituale Romanum, impertiri puerperae, cuius proles mortua fuerit sine baptismo; an vero abstinendum sit ab ea Benedictione? » Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris et alterius ex Sacrae ipsius Congregationis Consultoribus, enuntiato dubio ab Em̃o et Rm̃o Dño Cardinali Andrea Steinhuber, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, proposito, respondendum censuit: *Non esse negandam benedictionem.* Die 19 Maii 1896.

Hisce vero omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 8 Iunii eodem anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

II.

DUBIUM.

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit: An Decretum Generale ab eadem S. Rituum Congregatione die 27 Augusti 1894 editum, quo, ad omnem ambiguitatem tollendam et uniformitatem inducendam, methodus in professione et renovatione votorum intra Missam servanda statuitur, vi obligandi polleat penes quaslibet religiosas utriusque sexus Congregationes?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, proposito Dubio respondendum censuit: *Affirmative, ubi vota nuncupantur vel renovantur intra Missam coram celebrante Sacram Hostiam manu tenente.*

Atque ita rescripsit. Die 5 Iunii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefect.*

L. ✠ S. Aloisius Tripepi, *Secretarius.*

III.

BRUNEN.

In relatione status Ecclesiae Brunensis exhibita Sacrae Congregationi Concilii die 26 Februarii 1894 declaratum fuit Praelatos saeculares, Decanum et Archidiaconum Capituli Ecclesiae Cathedralis, nec non Praepositum Capitulo Ecclesiae Collegiatae Nicolsburgensis, ex Apostolico Privilegio, ad instar Abbatum infulatorum, benedictione Abbatiali muniri. Quum vero Abbatialis benedictio, prouti legitur in Pontificali Romano, nonnullis in partibus existimetur minus congrua praelatis saecularibus, qui non habent populum sibi subditum, nec regulam nec alia huiusmodi servanda, ideo Rm̃us Dñus Franciscus Bauer, Episcopus Brunensis, quum suis tum aliorum Episcoporum votis satisfacturus, ab Apostolica Sede humillime postulavit: Utrum et quomodo, in supradicta benedictione Praelatis saecularibus impertienda iuxta ritum Pontificalis Romani, aliquae variationes fieri possint? Porro, exquisito voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris et alterius ex Sacrae Rituum Congregationis Consultoribus, quum Em̃us et Rm̃us Dñus Cardinalis Andreas Steinhuber in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, enunciatum Dubium, super ritu benedicendi praelatum saecularem discutiendum proposuerit, Ipsa Sacra Congregatio, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit: *Nihil innovetur in Pontificali, sed eadem Sacrorum Rituum Congregatio*

in singulis casibus respondeat, formulam accommodando casibus ipsis, demptis, quae praelatis saecularibus minime convenire noscuntur. Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae eiusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die 8 Iunii eodem anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

IV.

URBIS ET ORBIS.

Plures Sacrorum Antistites Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII humillimas porrexerunt preces, ut in bonum fidelium atque in dignitatis Episcopalis decus, dispositionem Decreti, die 22 Augusti 1818 editi, super satisfactione praecepti de audienda Missa in Episcopali Sacello, relaxare dignaretur. Sacra porro Rituum Congregatio, de mandato ipsius Sanctissimi Domini Nostri, eiusmodi negotium maturo examine perpendens, audito voto Commissionis Liturgicae, ad quaestionem per infrascriptum Cardinalem eidem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, propositam, respondendum censuit: « Postulandum a Sanctissimo, ut, deinceps Episcopi omnes, sive

dioecesani, sive titulares, eodem privilegio condecorentur, quo fruuntur Patres Cardinales; scilicet, ut, non solum Ipsi in propriae habitationis Oratorio, aut super ara portatili, ubicumque degant, Missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant; sed etiam Fideles omnes alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant: contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Maii 1896 ». Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, enunciatum Patrum Cardinalium privilegium ad quoscumque Episcopos cum Apostolica Sede communionem habentes extendere dignata est, die 8 Iunii, eodem anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

V.

DECRETUM.

Aucto, postremis hisce temporibus, maxime in calendariis particularibus, Officiorum Duplicium numero, quum pauci supersint per annum dies, qui Missas privatas de Requie fieri permittant, et ipsa Officia semiduplicia interdum ab aliis potioris ritus impediantur, nonnulli ecclesiastici viri pietate, doctrina ac dignitate praestantes, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillimis enixisque precibus rogarunt, ut, ad iu-

vamen fidelium defunctorum et ad spirituale solatium vivorum, in Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive privatis, praesertim iis, quae in sepulcretis rite erecta sunt vel erigentur, Missae lectae de Requie diebus etiam duplicibus aliquoties per annum de Apostolica Benignitate celebrari valeant. Placuit autem eidem Ssm̃o Domino Nostro huius negotii examen Sacrae Rituum Congregationi committere; quae, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature perpensis, attentisque hac de re etiam peculiaribus locorum circumstantiis, in Ordinario Coetu subsignata diē ad Vaticanum coadunato, ad propositam per infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum quaestionem, respondendum censuit:

Si Sanctissimo placuerit: I. In quolibet Sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missas, quae inibi celebrari permittuntur, posse esse de Requie diebus non impeditis a Festo duplici 1ae vel 2ae classis, a Dominicis aliisque festis de praecepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis; item II. quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis quum publicis tum privatis et in Sacellis ad Seminaria, Collegia et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus, Missas privatas de Requie, praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis: verum sub clausulis et conditionibus, quibus, iuxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascri-

ptum Cardinalem, relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habere et confirmare dignata est, die 8 Iunii, eodem anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius*.

ARCHAEOLOGIA SACRA

XIV.

De Coemeteriis veterum christianorum quae Romae extant.

(*Confer dissertationem praecedentis mensis*).

Coemeterium SS. Petri et Marcellini.

Via Labicana, quae Labicum ducebat, destrorsum, ubi extat adhuc mausoleum Helenae (Torre Pignattara) magnum extenditur sub terris coemeterium, de quo iam saeculo tertio fit mentio. In huius loculis plurimi martyres depositi sunt, persecutione omnium maxima Diocletiani saeviente, quos inter adnumerantur Petrus Praesbyter et Marcellinus exorcista (1), Gorgonius domus imperialis cubicularius, Nicome-

(1) V. P. Bruder. *Die eiligen Märtyrer Marcellinus und Petrus ihr martyrium. ihre Verehrung und ihre Reliquien etc.* Mrinz, 1878.

diae necatus ac Romam dein translatus, Tiburtius, quatuor milites Cornicularii, qui *quatuor Coronati* vulgo appellantur, passi anno 304, quinque lapicidae seu artifices, qui in Pannonia ad metalla laborabant (1), sculptoria opera exequentes. Ibidem necati (2) sub Galerio, anno 305 expirante, et ipsi Romam translati sunt ad hoc coemeterium. Eorum acta, maxima ex parte sincera, a Porphirio viro imperiali fisco addicto, aetate Galerii, eodemque christiano, conscripta scimus; quorum nomina sunt haec: Claudius, Castorius, Simphorianus, Nicostratus ac Simplicius. Feriale Filocalianum, saeculo quarto compositum, festum memorat die 8 Decembris *in comitatu via labicana, milliario ab urbe III.*

Hos martyres una cum quatuor Coronatis Leo IV in ecclesiam eorum nomini dicatam in Coelio monte transtulit, quae etiam nunc a SS. Quatuor Coronatis appellatur (3). Horum actus confusi admodum sunt cum artificibus Pannoniae: narrationi et actus insertos invenies quinque martyrum qui in territorio Albanensi prope Romam passi sunt.

Horum martyrum implicatam admodum historiam declaravit clarissimus De Rossi, vera a falsis seiungens ac

(1) Non tamen ad eadem metalla damnati, qui inibi prout liberi operabantur.

(2) In flumen Savam coniecti martyrium consummarunt, eo quod *Asclepii*, seu Esculapii, *simulacrum non fecerunt.* Qua de re Cyrillus quidam Episcopus, qui eos ad fidem converterat, maximo correptus dolore, obiit.

(3) Leo IV ecclesiam hanc restituit, quae saeculo V aedificata est in regione Coelii Montis ad locum *Caput Africae* nuncupatum. Honorius I refecit. Multa damna passa est, cum Robertus Guiscardus Roma potitus regionem coelimontanam vastavit saeculo XI. Tandem primum Pascalis II, ac deinde Martinus V et Pius IV illam restaurarunt. In pavimento multos invenies sectos lapides, qui e coemeteriis christianorum suburbanis eruti sunt, ac lapidem Damasianum.

actus ab actis, qui collecti in unum reperiebantur (1), ita ut unusquisque coetus habeat suam historiam passionis. Quatuor igitur Coronati, quorum nomina ignorantur, milites cornicularii fuerunt, seu ex his qui in domo Caesaris custodiae imperatoris addicti erant. Eorum, qui in Pannonia passi sunt, nomina notavimus; qui vero Albani pro Christi confessione obierunt vocantur Severus, Severianus, Christophorus, et Victorinus fratres.

Petrus et Marcellinus passi sunt anno 304 (2) in *Silva Candida*, iuxta viam Corneliam, ac deinde ad coemeterium, de quo loquimur, ad *Duas Lauros* translati cura Lucillae illustris foeminae. In eorum honorem Damasus Pontifex carmen composuit et hypogeo affixit, quorum passionem, ut ipse testatur, ab ipso spiculatore seu percussore excepit, cum adhuc puer esset. Ipsum audiamus (3).

MARCELLINE TVOS PARITER PETRE NOSSE TRIVMPHOS
PERCVSSOR RETVLIT DAMASO MIHI CVM PVER ESSEM.
HAEC SIBI CARNIFICEM RABIDVM MANDATA DEDISSE:
SENTIBVS IN MEDIIS VESTRA VT TVNC COLLA SECARET
NE TVMVLVM VESTRVM QVISQVAM COGNOSCERE POSSET;
VOS ALACRES VESTRIS MANIBVS MVNDASSE SEPVLCRA
CANDIDVLE OCCVLTO POSTQVAM IACVISSE SVB ANTRO;
POSTEA COMMONITAM VESTRA PIETATE LVCILLAM
HIC PLACVISSE MAGIS SANCTISSIMA CONDERE MEMBRA.

Locus coemeterii huius appellatus est *Ad Duas Lauros* (4), vel in *Comitatu*, vel *sub Augusta*, seu sub Augusta Helena, ob eius mausoleum ibi erectum. Huic proximus pagus exti-

---

(1) *Boll. d'arch. crist.*, an. 1879.
(2) Allard. *La persécut. de Diocletien. I.*
(3) Etiam Gorgonii martyris sepulcrum carmine exornavit.
(4) Pro nominis huius origine confer De Rossi *Boll. d'arch. crist.*, an. 1879, p. 76, 77.

tit (1) qui pro cura animarum suum habuit episcopum, cuius sedes *sub Augusta* dicta est. De appellatione *Ad Duas Lauros* mentionem facit et Tertullianus inquiens de his ethnicis qui imperatori insidiabantur: *Unde qui inter duas lauros obsident Caesarem?* Nam eo in loco villa imperialis exstructa erat; unde appellatio *in Comitatu*, in qua Valentinianus III, dum ludo incumberet, a satellitibus Petronii Maximi occisus est, anno 455 die decima sexta Martii (2).

Constantinus Magnus, parta Ecclesiae pace ac libertate, supra coemeterium, basilicam SS. Petri et Marcellini, prope matris suae mausoleum, condidit. Ibi item oratorium Tiburtii exaedificatum est.

Annuat lector ut aliquid modo de eiusdem coemeterii picturis disseramus. Bosius coemeteriorum investigator illustris coepit primus locum explorare, saeculo XVI, ubi plura reperta sunt cubicula depicta variis imaginibus, quas etiam in aliis coemeteriis licet intueri; hae sunt: Jonas, Pastor bonus, Lazari resurrectio, Petrus et Paulus, Moises, panes multiplicati, Noe in arca, Daniel, sacrificium Abrahae, Adam et Aeva post peccatum prope arborem, cui serpens haeret. Hic item plures Beatissimae Virginis imagines depictae extant (3), quas inter: eadem Virgo cum Magis, qui elevatis manibus stellam indicant ad modum monogrammatis expressam, seu hac forma >|< ; ipsaque sedens in cathedra et ab Angelo, tunica pallioque induto, salutata, ac alia effigies ipsius cum puero Jesu cui duo Magi sua offerunt dona.

---

(1) Alii pagi in suburbio memorantur, exempli gratia, Triopius Lamonius.

(2) Alii minus probabiliter in Campo Martio necatum fuisse autumant.

(3) De insigni eiusdem Virginis pictura, quae hoc in coemeterio reperitur, loquuti sumus in fasciculo n° 6 mensis Iunii 1895 p. 324.

De Christo vero has picturas conspicimus, nempe: Emoroissam ad pedes eius, quae tangit fimbriam vestimentorum, coecum a nativitate sanatum tactu manus Christi super oculos, Samaritanam ad puteum, Salvatorem in forma pueri nudi inter aquas, quem Ioannes baptizat, ac desuper columbam descendentem, Iesum sedentem, thomum evangeliorum ferentem manu, cui quatuor viri adstant, sive Evangelistae.

Verum percelebris pictura quater in arcosoliis repetita, de qua disseruere Bosius, Garruccius, Marchius ac praesertim De Rossi (1) ea est quae coeleste convivium exprimit. In triclinio enim ad formam semicirculi nec panes aut pisces superpositi sunt, nec septem accumbunt viri (quod quidem convivium ad littus Tiberiadis maris significaret, symbolum Eucharistiae aliis in coemeteriis repraehesentatum), sed pueri, viri ac mulieres, quae tamen ministrant, variato personarum numero. Id innuit nobis coelestem beatitudinem, in qua Christo Dei Filio (per ἰχθὺν seu piscem significato) vescuntur ac perfruuntur electi.

Reapse in dictis picturis super tripodem unicus *piscis* prostat absque panibus: aliquando etiam amphoram conspicimus; viri discumbentes super *toralia segmentata* (2) dalmaticam induunt calliculis ornatam seu vestem convivalem: manducant ac bibunt poculis; duae mulieres tunica succinctae absque velo, nempe puellae, quibus nomen *Irenes* et *Agapes*, ad *stibadium* seu ad extremitatem lecti convivalis miscent, quae sunt *Pax* et *Amor*. In coelesti enim mensa per pacem et charitatem satiantur electi.

Quae omnia spei christianae conveniunt ut fidelis anima post mortem convivio Dei fruatur, quod Christus promisit

---

(1) Loc. cit. 1882 p. 3 et seq. et *De christian. monum.* ΙΧΘΥΝ *exhibentibus* ap. Pitra *Spicil. Solesm.* III. p. 570.

(2) Videlicet: *letti listati di tappeti lavorati a ricamo.*

electis (1). Spem eamdem in ephitaphiis, scriptis ac symbolis persaepe expressam reperimus. Sic in actis sinceris sanctorum martyrum Iacobi et Mariani Cirtae passorum, circa annum 269, legimus Iacobum dixisse: *Ad martyrum beatorum pergo convivium; nam ista nocte Agapium nostrum* (2) *videbam..... sollemne quoddam et laetitiae plenum celebrare convivium. Quo cum ego et Marianus quasi ad Agapen spiritu dilectionis et charitatis raperemur adcucurrit nobis obvius puer* etc. (3).

Qua de re unicuique e quatuor picturis, de quibus loquimur inscripta haec verba leguntur:

1ae	AGAPE MISCE NOBIS	—	IRENE PORGE CALDA
2ae	AGAPE DA CALDA	—	IRENE MISCE
3ae	IRENE DA CALDA	—	AGAPE MISCE MI
4ae	AGAPE PORGE CALDA	—	IRENE MISCE (4).

Da calida Romanorum morem memorat, qui in conviviis vino aquam calidam infundebant. Vocabulum autem *pax*, *in pace*, *in refrigerio* saepissime sculptum legimus in epitaphiis; imo defunctis adhuc adprecatur, ut olim in coemeteriis, ut *requiescant in pace* Christi. Hisdem vero verbis *Agape* et *Irene* incisa cognoscimus aliis in coemeteris epitaphia, scilicet.

SABINA IN AGAPE		EVSEBIA IN IRENE	(5)

(1) In Matth. XXII et alibi.

(2) Paulo ante pro fide peremptum.

(3) Ruinart. *Acta Martyr. sinc.*

(4) V. Tabulas delineatas ac signatas numeris III. IV. V. VI. ap. De Rossi, loc. cit. an 1882.

(5) Hoc epitaphium graecis litteris sculptum est.

In coemeterio Praetextati sequens titulus erectus est (1):

LICINIVS IVSTINAE	
CONIVGI MERENTI	
IN AGP (agape)	

Unum e tot epitaphiis proferimus coemeterii SS. Petri et Marcellini quod ad virum spectat Carra oriundum in Mesopotamia, seu Haran, ubi Abraham moratus est et ubi Iulianus Apostata sacrificium Deo Luno obtulit antequam contra Persas proficisceretur (2).

AVR · TEOPHILVS · CI
VIS CARRHENVS · VIR ·
PVRAE · MENTIS · ET · IN
NOCENTIAE. SINGVLA
ris · XXIII · ANNO · DEO ·
*anim*AM · REDDIDIT ·
*terra*E · CORPVS +.

Coemeterium Divae Agnetis M.

Ponitur ad primum circiter lapidem a porta Nomentana (nunc Pia), quae aevo medio, ob sepulcrum divae Agnetis *porta Domnae*, seu Dominae dicta est. Inclyta puella, consummato martyrio, deposita est, iuxta acta passionis, *in agello suo*, sive *in praediolo suo*, quod eius familiae pertinebat, ubi haec hypogeum pro humandis cadaveribus pos-

---

(1) Hanc inscriptionem cum duobus aliis reperies ap. De Rossi, loc. cit. an. 1882, p. 128.

(2) Invenies ap. De Rossi, loc. cit. an. 1873, p. 147.

sidebat prope alia paganorum hypogea (1). Locus decursu temporis coemeterium omnino christianum effectus est.

Cum ab Arianis persequeretur Liberius Papa *habitavit in coemeterio beatae Agnes apud germanam Constantii Constantiam Augusti* (Lib. Pont.) Constantia, seu potius Constantina (2) non filia imperatoris Constantini, sed neptis probabiliter est, primum Hannibaliano regi nupta ac deinde Gallo Caesari (3). Eius mausolaeum rotundae formae prope basilicam divae Agnetis extat (4). Suasu ipsius Constantinus Magnus, saeculo quarto, hanc ipsam basilicam percelebrem supra corpus inclytae martyris condidit, quae idcirco in inferiori humi loco cernitur aedificata ut eius cryptam aedificium complecteretur neve martyris eiusdem corpus e loco removeretur, iuxta laudabilem eorum temporum morem.

Coemeterium, de quo sermo est, multis constat cubiculis et ambulacris subterraneis magna ex parte integris una cum tabulis inscriptis quae adhuc suo loco leguntur; quamvis sepulcra et loculi in superiori area fere omnes devastati perierint. Inter permultos inscriptos lapides ille extat Coelii Saturnini Praefecti Praetorii: in aliquibus nomina leguntur quae in epistolis divi Pauli reperimus, scilicet: Narcissus, Epaphras, Epaphroditus, Eunice, Phoebe, etc.

Notatu dignum ducimus quoddam sepulcrum pervetustum excisum fuisse iuxta morem Iudaeorum cum lapide ad ostium advoluto. In ore vero loculi cuiusdam adhuc extat fragmen-

---

(1) V. Armellini. *Il cemet. di S. Agnese sulla via Nomentana*, 1880, Roma.

(2) Patet ex inscriptione seu carmine ipsius acrostichide in abside olim exarato basilicae Agnetis quod incipit: *Constantina Deum venerans Christoque dicata.*

(3) V. Ammianum Marcellinum, XIV. 1, 2, 7, 4.

(4) Non pauci ex imperiali Constantiniana domo inibi depositi sunt in sarcophagis.

tum vitreum calce adnexum, quo cernitur impressa effigies sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Omnium tamen nobilissimum est sepulcrum sanctae Martyris Agnetis, quod, paucos post dies, sanguine Emerentianae eius collactaneae perfusum est, quae dum inibi oraret, lacessita a paganis, martyr occubuit. Magna ex marmore tabula grandibus litteris pulchrâque paleographiâ inscripta, quae primitus corpus Agnetis tegebat, servatur in musaeo Neapolitano (Museo Nazionale) cui Româ pervenit, cum Cardinalis Borgiae antiqua supellex aliis cessit.

Agneti titulus *Sanctissimae* tribuitur, qui quidem celeberrimae martyris honorem summum denotat (1), quique apprime convenit narrationi eius actuum, in quibus verba haec in principio notantur: *Diem festum* SANCTISSIMAE *Virginis celebremus.* Tabula haec est, veterum inscriptionum simplicitatem redolens.

AGNE · SANC TISSIMA

Haud fugere poterat Pontificis Damasi pietatem tantae virginis celebritas famae, qui sepulcrum eius nobili carmine illustravit, quod adhuc legimus integrum affixum ad scalas per quas descenditur in basilicam:

FAMa refert sanctos dudum retulisse parentes
AGnen, cum lugubres cantus tuba concrepuisset,
Nutricis gremium subito liquisse puellam,
Sponte trucis calcasse minas rubiemq(ue) tyranni
Urere cum flammis voluisset nobile corpus,

(1) V. Armellini, loc. cit.

Virib(us) immensum parvis superasse timorem,
Nudaque profusum crinem per membra dedisse,
Ne Domini templum facies peritura videret.
O veneranda mihi, sanctum decus, alma, pudoris,
Ut Damasi precib(us) faveas precor, inclyta martyr (1).

Ex carmine igitur haec praecipue depraehendimus, nempe parentes divae Agnetis christianos fuisse, cum eos sanctos vocet Damasus, puellam flammis datam, eique crines per membra, Deo sic volente, profusos ne ab hominibus impudicis adspiceretur, cum turpitudinis locum esset ingressa. Secundi versus verba — *Cum lugubres cantus tuba concrepuisset* — initium persecutionis, qua occubuit, denotant, quamvis luculenter adhuc non sit probatum quo principe martyrium subiisset, num sub Valeriano vel Diocletiano. Sed probabilior opinio potius aetati Valeriani favet; nam *Acta Sanctorum* ad diem XXI Ianuarii Monasterii S. Maximini Trevirensis (2) referunt Virginem damnatam capite fuisse ab Aspasio Praefecti Vicario, nomine Valeriani et Gallieni.

Id autem probare videntur primi versus carminis Damasiani — *Fama refert* — Verba enim tempus ab aetate Damasi remotum valde significant, quae Pontifex non adhibuisset, si tempore Diocletiani passa esset beata Agnes, cum ipse proximus fuerit persecutioni quam Diocletianus excitavit (3). Sicut enim martyrium beatorum Petri et Marcellini a percussore excepit, ita a testibus oculatis poterat

(1) Carmen incisum est litteris Philocalianis, ut caetera Damasi carmina, quod variis in codicibus legitur, maxime Prudentianis. Codices nonnulli in ultimo versu ponunt *Inclyta virgo;* sed reapse in marmore legitur *Inclyta martyr.*

(2) Tom. II, § 3. V. Armellini, loc. cit.

(3) Natus est anno 304 aut 305.

passionem Agnetis discere. His positis, minime usus esset verbis — *Fama refert*.

Adnotandum hic censeo nomen *Agnetis* non esse primitivum sed adiectivum, eo quod Agnes idem sonet ac pura, immaculata, prouti profecto erat virgo insignis; illius verum nomen non retulit historia.

Illustris admodum in tota Ecclesia est memoria Beatae Agnetis, de qua omnia Kalendaria et Martyrologia mentionem faciunt. Graeci ter celebrant eius festum, die 21 et 14 Ianuarii e 5 Iulii. Duplex festum colitur in Ecclesia latina, nempe etiam *Natalis secundo*. Patres Ecclesiae summis eam laudibus extulerunt et praesertim divus Ambrosius in libro de Virginibus et Prudentius, qui, eius sepulcrum celebrans, inquit inter caetera — *Agnes sepulcrum est Romulea in domo fortis puellae, martyris inclytae* (1).

Hic addo, coronidis gratia, quod prope tumbam celeberrimae Virginis, quae Romae maxima semper religione culta est, monasterium *ancillarum Dei* iam a saeculo quarto fuerit aedificatum, de quo saepe in codicibus fit mentio, ut hae prae oculis continuo haberent praeclara virginitatis exempla quae imitanda reliquerat beata Agnes.

(*Continuabitur*).

IOSEPH Canonicus CASCIOLI.

(1) Peristeph. XIV. 1 et seq.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

VII.

Perillustri cuidam familiae, quae maxima qua licet solemnitate festum Nativitatis Deiparae quotannis in Oratorio domestico celebrare solet, ex peculiari privilegio iamdudum concessum fuit, ut ea in die ibidem quinque legerentur Missae. Attamen occasione huius festivitatis factum est, ut quamplures Ecclesiae cathedralis canonici, qui communicatione privilegiorum cum insigni quodam capitulo, Oratorii privati munere decoratos se iactant, eadem in die eo confluere, Sacrumque facere minime dubitent. Quinimo decantata solemniter Missa, ac sub vesperum oratione panegyrica recitata, absolutisque litaniis B. V., musicalibus instrumentis perstrepentibus, adstantes cum reliquia eiusdem B. V. benedicunt.

Addendum insuper quod et Parochus ibidem perficere solet solemnem sive nuptiarum benedictionem, sive baptismatis administrationem quotiescumque agatur de aliquo perillustris familiae individuo. Haec non sine animi admiratione animadvertens recens illius dioecesis Episcopus, anceps de consilio capiendo, veritus praesertim querimonias oppugnationesque non leves, alterum ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris sibique fami

liarem scripto consulere statuit, hisce dubiis enucleandis propositis:

1. *Quaenam olim in Oratoriis ecclesiasticae functiones fieri prohiberentur: et quid hac super re a vigenti Ecclesiae disciplina statuatur?*

2. *Num in Oratoriis in quibus Sacrum fieri permittitur, Missa solemnis vel saltem decantata pariter permissa dici possit?*

3. *Numquid vi privilegii personalis Oratorii privati possit privilegiatus in quovis Oratorio domestico indiscriminatim Missam celebrare?*

4. *Utrum consuetudines in casu propositae tolerari queant, an tamquam abusus et corruptelae omnino prohibendae et abolendae sint?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rmi Dom. Sylvii Mariae Can. Nardidei, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 20 Martii 1895; acta Epitoma per Rmum Dom. Chalcedonium Mancini Academiae Moderatorem.

I. Primo inquiritur quaenam olim in Oratoriis ecclesiasticae functiones fieri prohiberentur; et quid hac super re a vigenti Ecclesiae disciplina statuatur. Clare patet hic mentionem haud fieri de publicis Oratoriis, quae publico pateant accessu in via, quaeque circa plura Ecclesiis proprie dictis aequiparantur (De Bonis; *De Oratoriis publicis et privatis*), bene vero de privatis et domesticis. Nunc animadvertendum huiusmodi Oratoria passim persecutionum saeculis erecta et persaepe consecrata fuisse peculiaribus caeremoniis, et divino cultui perpetuo dicata. Ibi Sacramentum Regenerationis conferebatur, ibi Verbum Dei annunciabatur, ibi Mysteriorum tempore Sacra Com-

munio distribuebatur; quinimo supereminenti Christiani fruebantur solatio, exinde domum deferendi Sanctissimum Christi Corpus, ad se reficiendos, cum, ad supremum certamen certandum vocati, fortes athletae mortem ipsam vincendam obibant. Unde recte dicerentur fidelium domus eo tempore Sanctuaria fuisse, quarum Paulus meminit, eas vocans *domesticas Ecclesias*. Si ergo sermo sit habendus de persecutionum saeculis, quemadmodum saepius in catacumbis, ita et interdum in domibus privatis, omnes, nulla excepta, peragebantur ecclesiasticae functiones, omnia administrabantur Sacramenta. Haec autem privata Oratoria, quarto et quinto saeculo rarius erigebantur, vel ex eo quod Ecclesia pacem adepta, nulla pertimebat pericula in cultus publici exercitio, vel quia, titulis seu paroeciis constitutis, quilibet Sacerdos alicui adscribebatur Ecclesiae, nec facile inveniri poterat, inter paucos tunc existentes Sacerdotes, necessarium vix numerum ad opus ministerii pertingentes, qui divina faceret privatis in locis (V. Gatticum, *De Oratoris domesticis, C. IV,* §. *VII*). His rationibus illa addi potest, qua, cum Basilio quisque Sacerdos Domino dicere poterat: « Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi Sacrificium *(In Psalm. 115)* », ad errorem Eustatianorum conterendum, qui Ecclesias aspernabantur, in quibus fidelium multitudo conveniebat, et secreta loca praeferebant. Non ita tamen id severiori sensu est accipiendum, ut sacrae functiones absolute prohiberentur infra domesticos parietes; huiusmodi enim facultas interdum dabatur, sive ob gravem necessitatem, sive ob extraordinarium spirituale emolumentum pietatis. Certum est au-

tem Romanos Pontifices, praecipue ob infirmitatis causam, divina celebrasse Mysteria in privato Patriarchii ubi degebant Sacello *(Op. cit.* §. *V, VI, VII).* Existimamus nihilominus, temporis decursu, tam in monasticis communitatibus, quam in laicorum domibus, illustrium vel nobilitate generis vel muneris amplitudine, rursum adhibita privata Oratoria, ut in primis Ecclesiae saeculis, ad sacra celebranda. Patres Concilii Trullensis *(Can. 31)* declararunt neminem posse *sine licentia Episcopi, in Oratoriis quae sunt intra domos, Sacra facere vel baptizare.* Conqueruntur inde de Severianorum temeritate, qui *in multas domos eorum, qui in excellentia sunt intrant et indecentia faciunt. Etiam in propris domibus et suburbiis Altaria et Baptisteria erigunt in oppositum veri Altaris et sacri Fontis (Op. cit. ibid.).* Unde patet nullimode quemquam potuisse Missam celebrare aut eo minus baptizare, in domibus privatis, nisi obtenta prius Episcopi licentia. Et quia plures irrepserant abusus hac de re, cautum fuerat decretorum vi ad eos pervincendos. Quod autem Oratoria Regularium spectat, quamquam illa iam a IX saeculo publice patebant, divinum Sacrificium tantum poterat inibi celebrari *(Op. cit. C. VIII,* §. *XVI),* vetita semper manente Baptismi et Poenitentiae Sacramentorum administratione, nec non verbi Dei praedicatione aliisque parochialibus functionibus. Praestat ob oculos ponere Callixti II verba in Concilio Lateranensi (1123): « Interdicimus Abbatibus et Monachis publicas poenitentias dare et infirmos visitare et unctiones facere, et publicas Missas facere ». Et Honorius III servata voluit parochialia iura, cum *(Cap.* In his, *Tit. De Privilegiis)* Mi-

noritis concessit, « ut ubique fuerint, sine parochialis iuris praeiudicio, celebrare valeant ». Ita generatim Romani Pontifices, praecipue autem post Concilium Tridentinum, quod, in Decreto *de observandis, et evitandis in celebratione Missae,* praecepit Episcopis ne sinerent sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari *privatis in domibus,* et in Oratoriis non prius ab ipsis designatis et visitatis *(Sess. XXII),* Romani Pontifices, inquam, in suis apostolicis diplomatibus, privilegium concedentes Oratorii domestici, expresse declarant: *Sine quorumcumque iurium parochialium praeiudicio* (*V. Tom. 41 Pos. S. C. C. et in Regest. Apostolic. Brevium*). Et merito, beneficium namque alicui concessum, laedere nunquam debet alterius iura, aut molestiae illi esse. Ad recte ergo dignoscendum quaenam sacrae functiones in privatis Oratoriis prohibeantur, consideremus oportet quae iuxta notas Ecclesiae leges iurisdictionis sunt parochialis.

Parochorum iura in eo praecipue consistunt, quod decimas oblationesque respicit, quod Baptismi administrationem, nec non Matrimoniorum benedictionem et ecclesiasticam sepulturam. Nunc domestici Oratorii privilegium nulli sacrorum huiusmodi iurium adversatur. Et imprimis sane decimae seu primitiae ad Parochum exclusive pertinent, non ad Sacerdotes sacra exercentes munia in privatis Cappellis; idcirco in alicuius Oratorii fundatione, conveniens dos, aut certi ac perpetui proventus exigebantur. Patres Concilii Parisiensis (ann. 855, *Capitul. Par. 2, c. 12*) conquerebantur apud Ludovicum II imperatorem, quod quidam laici decimas propriis Pastoribus non persolve-

rent, sed Sacerdotibus in eorum Oratoriis (ibi appellatis Basilicis) celebrantibus. Textum referre opportunum ducimus, eo quod legem firmat qua functiones nonnullae, parochialibus Ecclesiis reservabantur: « Canonibus praefixum est ut decimae iuxta Episcopi dispositionem distribuantur. Quidam autem laici, qui vel in propriis aedibus vel in beneficiis suis habent Basilicas, contempta Episcopi dispositione, non ad Ecclesias, *ubi* (notentur haec verba) *Baptismum et Praedicationem, Manus impositionem et alia Christi Sacramenta percipiunt,* decimas suas dant, sed propriis Basilicis pro suo libito tribuunt; quod omnibus modis divinae legi et SS. Canonibus constat esse contrarium ». Nec minus certum ac inconcussum est ius Parochi quoad Baptismum. Est enimvero Baptismo mediante, quod infidelis aut catechumenus ovile Christi ingrediuntur; at cuiusnam erit, nisi Pastoris et Rectoris eos introducere? Satis autem superque constat de Ecclesiae voluntate.. hoc super negotio, nimirum *ne in Oratoriis privatis Baptisteria erigerentur* (*Gatticus, op. cit., Cc. VIII et XI*) e Chalcedonensi Concilio, ex Gregorii Magni ac Zachariae Summorum Pontificum epistolis, ex Iustiniani ac Leonis Sapientis Imperatorum edictis, aeque ac ex Episcoporum et Synodorum constitutionibus. S. Carolus in actibus Ecclesiae Mediolanensis (*Par. IV*) statuerat solemnem Baptismum non debere conferri « neque in privatis aedibus, Oratoriis aliove loco, praeterquam in Ecclesia Parochiali Baptismalive ». Quod insuper a Benedicto XIV confirmatur, in sua Notificatione prima. Ad licitam ergo Baptismi collationem, necesse est, quod personam

administrantem spectat, ut sit Parochus aut Sacerdos ab illo delegatus, et quoad locum in quo confertur, ut sit Ecclesia Parochialis aut baptismalis, alias Baptisterium vocata. Unde in privatis Oratoriis, ex alterius conditionis defectu, nec Parochus baptizare valet nisi obtenta prius Ordinarii licentia. Idem dicendum venit de Matrimoniorum benedictione. Hoc Sacramentum iam ab antiquo publice in Ecclesia celebrabatur, Tertulliano teste: « Nuptiae fieri debent in Ecclesia coram populo (*Lib. de Monogamia*) ». Ita pariter innotescit e vetustis Sacramentariis ac libris Ritualibus a doctissimo Martenio editis (*Lib. I De antiquis Ecclesiae ritibus, Cap. IX, art. 5*), nec non ab Eucologio Graecorum, in quo Missa pro Sponsis habetur cum relativa benedictione in Ecclesia impertienda. Asserit idem Auctor aliquando vetitam extitisse nuptiarum benedictionem in privatis Oratoriis, etiam sub excommunicationis poena: cuius disciplinae severitas, nimia non videtur si considerentur plura inconvenientia ex occultis Matrimoniis non semel promanantia. Ceterum excipiebantur personae regali dignitate distinctae quibus dabatur sacrum obstringere Matrimonii vinculum etiam in privatis suis Sacellis. Exemplum praebet Theophilactus (*in historia Mauritii, lib. 1*) narrans Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum exoratum ab Imperatore Mauritio, huius nuptiis benedixisse in Palatii Sacello. Nostris diebus eadem viget lex prohibens celebrari coniugia privatis in locis, praeter auctoritatis dioecesanae indultum. Multoque magis vetantur, in dictis domesticis Oratoriis, denuntiationes seu banna, pro Matrimoniis contrahendis, quae, iuxta

Concilii Lateranensis IV praeceptum, *in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur*, et iuxta Concilium Tridentinum (*Sess. 24 cap. I*) fiunt *ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur.* Qui sane finis, ut patet, non attingeretur, si coram paucis imo ipsa contrahentis familia fierent. Etiam Benedictio mulieris post partum, quamvis non sit de iuribus mere parochialibus, tamen in Ecclesia parochiali, a Parocho fieri debet (S. C. Concilii 18 Nov. 1662 et S. Rituum C. 10 Dec. 1703). Quod si postea fuerit aliter statutum, nihilominus quoddam Parochus in sua Ecclesia ius adhuc retinet, uti constat ex recentiori iure. Ita pariter in Oratoriis privatis S. Communio recipi nec potest absque peculiari licentia, quae nunquam ab Apostolica Sede conceditur pro Communione paschali; debet enim, iuxta Concilium Lateranense IV c. 21 in unaquaque Paroecia, a *proprio Sacerdote* administrari. Nec ipsa familia pontificia eximitur; et revera, in amplissimo indulto, quod ei datur, audiendi Missam et SS. Sacramenta recipiendi in Oratorio, expresse adnotatur: *sine ullo... iurium parochialium praeiudicio,* et clausula apponitur, quoad communionem: *praeterquam in Paschate Resurrectionis Domini.*

At Parochorum iura, non tantum vivos respiciunt, bene vero ad defunctos quoque extenduntur. Nunc vero Ecclesiae canones (Cfr. Decret. Bonifacii VIII *cap. I, tit. I, De Procurat. in VI,* et *cap.* Dudum § Huius. *lib. 3 Clement. Tit. VII de Sepult.*) nec non sacrarum Congregationum declarationes (V. Monacellum in *Formular. Fori Ecclesiast. Tit. 13 n. 75*) requirunt defunctos non in privatis Oratoriis sepeliri, sed in Eccle-

siis, ubi perplura Sacra litantur, et ubi frequentius populi preces fundunt et suffragiis defunctorum animas solantur.

Quoad autem alias ecclesiasticas functiones minores, veluti benedictionem et distributionem candelarum, cinerum, ignis, ovorum, etc. a S. R. C. declaratum fuit (*Urbis et Orbis, 10 Dec. 1703* approbante Clemente XI *d. 12 Ianuar. 1704*) non computari inter iura parochialia, proindeque posse in Oratoriis Confraternitatum celebrari. Non tamen plane innotescit an dicta facultas extensa existimari debeat etiam ad Oratoria privata, Apostolico Privilegio gaudentia, pro Missa celebranda. At nos negativam tenemus opinionem, sive ob communem servatam praxim, quae legitima haberi debet interpres huius privilegii, et talem extensionem non admittit; sive ob ipsam horum rituum indolem, quae ideam includit multitudinis assistentis, prout significare videtur verbum illud: *distributio*.

Quoad aquae benedictae aspersionem, dicendum venit habere rationem solemnitatis, quae proinde non permittitur in privatis Cappellis (Cfr. *can. IV conc. Nann. capitul. Hincmari ad suos Parochian. c. 5. — Leo IV P. de Cura Pastorali — Capitul. Caroli Magni lib. V, c. 210*). Ceterum nil prohibet aquae benedictionem fieri ad usum praecipue Sacerdotis Missam celebraturi; potest enim quocumque tempore et loco expleri etiam non sacro (Merati, *in Rubr. Miss. Par. IV Tit. 19 n. 2*).

Admirationem quis forte passus erit, eo quod loqui omiserimus de magni momenti re, utrum nempe valeat Poenitentiae Sacramentum administrari in Oratoriis privatis; at huiusmodi tractationem ul-

timo loco reservavimus, uti de re minorem difficultatem exhibente. Profecto privilegium apostolicum de Missa domestica, facultatem non includit confessionem peragendi; sed cum Episcopi sit locum determinare, ad Confessiones audiendas congruum, uti et Sacerdotes approbare nec non iurisdictionem pro lubito limitare, consequitur Sacerdotem auctoritatem habentem confessiones audiendi in domibus privatis, idem decentius peragere posse in Oratorio domestico. Id tamen intelligitur fieri ex rationabili causa, et per modum exceptionis; debent enim regulariter fideles confiteri cupientes ad Ecclesias accedere, in quibus, ad hoc eriguntur tribunalia ad animas tergendas salutari lavacro.

Conclusionem cum Gattico (*Op. cit. c. XXVIII n. 18*) deducimus: *quod proprie ad Missam dumtaxat non pertinet, illicitum sapit excessum.* Etenim absque expressa facultate, alias functiones in Oratoriis privatis celebrare, praeterquam Missae privatae Sacrificium, non licet: *quia singulariter est commemorandum, quod penitus est singulare.* Hoc fert reapse praesens disciplina, dum vetus, maxime primis Ecclesiae saeculis, hoc super negotio ampliori favebat libertati.

II. Breviter nunc enucleandam arripimus alteram quaestionem: num in Oratoriis, in quibus Sacrum fieri permittitur, Missa solemnis vel saltem decantata pariter permissa dici possit?

Privilegia tantum valent quantum sonant et cum contra legem communem conceduntur, strictiori subiiciuntur interpretationi. Huiuscemodi privilegium habetur in concessione Missam celebrandi *in privatis aedibus;* dum lex communis

nonnisi in publicis Ecclesiis permitteret, a domibus seiunctis, et speciali ac solemni dedicatione, vel benedictione divino cultui addictis. Tale ergo privilegium interpretandum est iuxta strictum verborum sensum, facultatem *Missae celebrandae* non extendendo ad aliam *Missae cantandae.* Praeterea si finis consideretur ob quem privilegium petitur et conceditur, unice videtur intelligi, personam facilius ac commodius celebrare seu audire Missam posse, atque ita inextimabili frui tesauro tanti Sacrificii. Nunc nescit nemo cantum et omnem externum apparatum nihil addere fructui potissimo a pretiosissimo Christi Redemptoris Sanguine germinanti. Observandum quoque, plerumque talium Sacellorum augustiae haud sinere exerceri debitis pompa ac decore pulchras multiplicesque Missae solemnis caeremonias. Et quamvis perampla, locus aptus non esset ad Ecclesiae intentionem obsecundandam, quae vult publicis in locis fideles efficaci ac suavi Sacrorum rituum tacita loquela docere. Consequitur ergo privilegium simplex celebrandi in privato Oratorio probabilius facultatem canendi Missam non inducere (V. Gatticum; *Ibid. XIII*). Quod ceterum communi confirmatur praxi, iuxta quam in Oratoriis domesticis *abest cantus et organa silent,* Cappellis Episcopalibus haud exceptis, quamquam ibi praecepto satifacere omnes valent, ac Sacri Ordines in iis conferri. Excipiuntur tantummodo laicorum Sodalitates et Monasteria, quibus semel in anno Missa solemnis conceditur; est autem rationabilis exceptio, locorum conditione, et assistentium numero consideratis (V. Decretum S. R. C. *10 Dec. 1703* a S. M. Clemente XI confirmato *12 Ian. 1704*).

Ampliorem huiusmodi facultatem factam cernimus Cappellis palatinis magnorum Principum, quae similes fere habebantur dignitate, publicis Ecclesiis (Gatticus; *op. cit. XIII*), quarumque Cappellani erant ipsorum Principum filii, qui « psallebant semper... reverenter horas nocturnas sibi quotidieque diurnas (Doniz. *Lib. I, c. XIV*) ». Neque obstare quis diceret inveniri haud semel dictum, quod in Oratoriis *cantabatur Missa;* cantare enim, apud veteres scriptores, idem sonat ac celebrare. Et sane, ad exemplum, in libro Ordinis S. Victoris Parisiensis (*c. 32*) legimus: « Omni tempore ante Missam maiorem, possunt *privatae Missae cantari.* Nec errore dictio laborat; latine enim *cantare* idem est ac *laudare*, versibus aut soluta oratione, harmonice compositis vocibus, aut una tantum deprompta. Nunc quaenam inveniri potest pulchrior excelsiorque laus, quam Missae Sacrificium, ex quo ad Deum dirigitur quasi e caelesti poemate, infinitus honor et gloria?

Tandem Sacramentalia, Ordines Romani aliique liturgici Codices omnes supponunt Missam solemnem in publicis Ecclesiis celebrari (V. Card. Bona, *Rerum liturgicarum Lib. I, c. 13, n. 3*). Standum est ergo pro negativa ad secundam quaestionem responsione. Transeamus nunc ad tertiam.

III. Fit quaestio, numquid vi privilegii personalis Oratorii privati possit privilegiatus in quovis Oratorio domestico indiscriminatim Missam celebrare? Huic quaestioni respondemus praenotando, privilegium personale Oratorii privati respicere posse Sacerdotem celebrantem aut laicum celebrationem petentem. Nunc, primum aut alterum respiciat, nunquam tam amplum et univer-

sale esse solet, ut facultatem impertiat Missam in quocunque privato Sacello celebrandi; sed contra, ad certum et determinatum locum coarctatur, adeo ut extra illum, privilegium non extare dicendum sit. Hic autem locus, ad quem usus refertur huiusce facultatis, quemadmodum e formula eruitur, in Apostolico Rescripto contenta, est *in domo suae habitationis*, vel *in domo solitae habitationis*. Ex quo infertur: 1.° non posse Missam celebrari in domo habitationis alterius, quia clausula non impleretur: *in domo suae habitationis;* 2.° neque in loco, ubi hic et nunc privilegiatus moram ducit, negotiorum aut animi recreandi causa, quia recte domus ista non diceretur *solitae habitationis* eius; 3.° Privilegium apostolicum Missae domesticae recte haberi eo putatur, quo quis se confert animo semper manendi, aut maiori anni parte, si nempe ibi domicilium vel quasi domicilium eligat. Hoc dicimus iuxta communes regulas et consuetum tenorem litterarum pontificiae concessionis, quae ceterum a Pontificis beneplacito pendet, et magis minusve abundare potest. Hinc saepe nobilibus personis conceditur celebrandi facultas, non modo in urbani palatii Sacello, sed etiam in illo, quod habent in villa, dum ibi moras ducunt nonnullis mensibus anni (requiritur autem semper visitatio et approbatio Ordinarii). Nullum tamen extat exemplum de amplissimo indulto Missam celebrandi in quocunque domestico Oratorio, peculiari privilegio non ditato; ideoque si quis in quocunque privato Oratorio Sacrificium offerre praesumeret, in omni domo Altare constituens, ecclesiasticae disciplinae ordinationes violaret, nec in re parvi momenti.

IV. Reliquum est videamus, an consuetudines in casu propositae tolerari queant, an tanquam abusus et corruptelae omnino prohibendae et abolendae sint. Peculiare privilegium perillustri familiae concessum permittebat, ut in festo Nativitatis Deiparae celebrari possent quotannis in domestico Sacello quinque Missae, sed planae: *quinque legerentur Missae.* At excessum admissum fuit; etenim, quinque Missarum numero superato, quamplures Ecclesiae cathedralis Canonici, qui Oratorii privati munere decoratos se iactant, eo confluere eadem die minime dubitarunt. Et sane nil Canonicis profuit privilegium, quod, ut superius vidimus, exerceri non valet *in aliena domo.* Quid vero dicendum de Missa cum cantu celebrata? Ex allatis in 2.ª quaestione rationibus, videtur id peractum fuisse contra aut saltem praeter mentem apostolici privilegii. Quid insuper de Oratione panegyrica? Locus proprius et dignius ad Verbum Dei annunciandum et Sanctos eius glorificandos est Ecclesia, ut superius innuimus. Concedunt nihilominus auctores etiam in privatis Cappellis loqui de rebus sacris et exhortationes fieri ad virtutes, iuxta morem S. Caroli Borromaei, qui solitus erat familiam in Sacello coadunare eamque aeternas veritates docere. Notandum tamen id nunquam tempore Sacrorum fecisse, sed semper privatim, veluti simplicem catechistam, et potius patrisfamilias more, quam Sacerdotis aut Episcopi. Hanc ergo praedicandi formam non dedecere arbitramur privata Oratoria; proindeque ad decernendum an Oratio panegyrica recitari potuerit in casu, distinguendum est. Si in forma privata prolata fuit, tolerari

absque dubio potuisset, esset imo laudanda; si autem in forma solemni prouti in Ecclesiis mos est, cum apparatu cathedrae, cum habito sacro, nempe superpelliceo et stola, minus videretur opportuna; non auderemus tamen eam omnino condemnare. Litaniae cum cantu nunquam vetitae haberi poterunt; imo caelestis suavitatis laetitiam in circuitu proferent, ad maiorem Deiparae gloriam. Ritus adstantes cum S. Reliquia benedicendi, formam non habet functionis stricte liturgicae, proindeque permitti potest; non tamen satis congrue pluviale et incensum adhiberentur. Demum deneganda omnino est Parocho libertas benedicendi nuptiis et Baptismum solemniter administrandi in privato Oratorio, absque Ordinarii licentia. Quamvis enim ad eum de iure pertineat eas peragere functiones, non pro libito eas exercere potest, sed iuxta Ecclesiae institutum.

Episcopus ergo iuxta superius enucleata sedulo invigilet, ut praeceptum Apostoli servetur: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant.*

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Cont. V. n. 5. pag. 329).

N. B. Cum in tabellis in numero praecedenti editis, pro commemorationibus, nonnullae mendae irrepserint, hic denuo sub lectorum oculis emendatas et ampliatas eas subiicimus.

I. TABELLA COMMEMORATIONUM IN PRIMIS VESPERIS.

IN 1. VESPERIS — FITNE COMMEMORATIO	de Simplici occurrenti?	de Feria Adventus vel Quadragesimae?	de Die infra octavam communem?	de Die infra octavam privilegiatam?	de Semiduplici simplificato occurrenti?	de Semiduplici praecedenti?	de Dominica quacumque occurrenti?	de Dominica minori praecedenti?	de Dominica maiori praecedenti?	de Die octava communi occurrenti?	de Die octava communi praecedenti?	de Die octava privilegiata occurrenti?	de Die octava privilegiata praecedenti?	de Duplici minori simplificato occurrenti?	de Duplici minori praecedenti?	de Duplici maiori simplificato occurrenti?	de Duplici maiori praecedenti?	de Duplici 2. classis praecedenti?	de Duplici 1. classis praecedenti?
Duplicis 1. Classis	2	1	2	1	2	2	1	2	1	1	2	1	1	2	2	2	2	1	1
Duplicis 2. Classis	2	1	2	1	1	2	1	2	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0
Duplicis maioris	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	1	0	1	1	1	1	1	0	0
Duplicis minoris	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	1	0	0	1	1	0	0	0	0
Diei Octavae Domini	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	1	0	0
Diei Octavae B. M. V.	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	0	0	0
Diei Octavae communis	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	0	0	0
Dominicae maioris	1	0	1	1	1	1	0	0	0	1	0	0	0	1	0	1	0	0	0
Dominicae minoris	1	0	1	1	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Semiduplicis	1	1	1	1	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Simplicis	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

1. Fit commemoratio.

2. Non fit commemoratio.

0. Casus impossibilis vel Vesperae sunt de praecedenti.

II. TABELLA COMMEMORATIONUM IN LAUDIBUS.

IN LAUDIBUS — FITNE COMMEMORATIO	de Simplici?	de Vigilia?	de Feria maiori?	de Semiduplici simplificato?	de Die infra Octavam communem?	de Die infra Octavam privilegiatam?	de Dominica minori?	de Dominica 2. Classis?	de Die Octava communi?	de Die Octava Corporis Christi?	de Dupl. minori simplificato?	de Dupl. maiori simplificato?
Duplicis 1. Classis	2	2	1	2	2	1	1	1	1	1	2	2
Duplicis 2. Classis	1	1	1	1	2	1	1	0	1	0	1	1
Duplicis maioris	1	1	1	1	1	1	1	0	0	0	1	1
Duplicis minoris	1	1	1	1	1	1	1	0	0	0	1	0
Diei octavae cujuscumque	1	1	1	1	1	1	1	0	1	0	1	1
Dominicae 1, vel 2 classis	1	0	0	1	1	0	0	0	1	0	1	1
Dominicae per annum	1	0	0	1	1	1	0	0	0	0	0	0
Diei infra octavam privilegiatam	1	1	1	1	1	0	0	0	1	0	1	1
Diei infra octavam communem	1	1	1	0	1	0	0	0	0	0	0	0
Semiduplicis	1	1	1	1	1	1	0	0	0	0	0	0
Feriae majoris	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Vigiliae	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
S. Mariae in Sabbato	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

1. Fit commemoratio.

2. Non fit commemoratio.

0. Casus impossibilis.

III. TABELLA COMMEMORATIONUM IN 2. VESPERIS.

IN 2. VESPERIS / FITNE COMMEMORATIO	de Simplici sequenti?	de Feria Adventus vel Quadragesimae?	de Semiduplici simplificato occurrenti?	de Semiduplici sequenti?	de Die infra octavam cuius cras officium dicetur?	de Die infra octavam communem occurrenti?	de Die infra octavam privilegiatam occurrenti?	de Dominica sequenti vel occurrenti?	de Die octava communi occurrenti?	de Die octava communi sequenti?	de Die octava privilegiata occurrenti?	de Die octava privilegiata sequenti?	de Duplici minori simplificato occurrenti?	de Duplici minori sequenti?	de Duplici maiori simplificato occurrenti?	de Duplici maiori sequenti?	de Duplici 2. classis sequenti?	de Duplici 1. classis sequenti?
Duplicis 1. classis	2	1	2	1	2	2	1	1	1	1	1	1	2	1	2	1	1	1
Duplicis 2. classis	1	1	1	1	1	2	1	1	1	1	0	1	1	1	1	1	1	0
Duplicis maioris	1	1	1	1	0	1	1	1	0	1	0	0	1	1	1	1	0	0
Duplicis minoris	1	1	1	1	0	1	1	1	0	0	0	0	1	1	0	0	0	0
Diei octavae Domini	1	1	1	1	0	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	1	0	0
Diei octavae B. M. V.	1	1	1	1	0	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	0	0	0
Diei octavae communis	1	1	1	1	0	1	1	1	1	0	0	0	1	0	1	0	0	0
Dominicae maioris	1	0	1	1	0	1	0	0	1	0	0	0	1	0	1	0	0	0
Dominicae minoris	1	0	1	1	0	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Diei infra octavam privilegiatam	1	1	1	0	0	1	0	0	0	0	0	0	1	0	1	0	0	0
Diei infra octavam communem	1	1	0	0	0	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Semiduplicis	1	1	1	0	0	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feriae maioris	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

1. Fit commemoratio.

2. Non fit commemoratio.

0. Casus impossibilis, vel Vesperae sunt de sequenti, saltem a capitulo.

Notanda ad Tabellas.

1. Commemoratio *diei infra octavam privilegiatam,* facienda in officio duplicis 1 classis, intelligitur de octavis Epiphaniae, Corporis Christi, et Nativitatis Domini; in officio duplicis 2 classis, duplicis maioris et minoris, de octavis Corporis Christi et Nativitatis; in officio vero semiduplici de octava tantum Nativitatis.

2. Post decretum de festis primariis et secundariis, advertendum est in concurrentia de quo agendae sint vesperae ex duobus festis eiusdem ritus.

3. Licet in III Tabella dicatur quod in secundis Vesperis duplicis 1 vel 2 classis agenda sit commemoratio occurrentis dominicae, nihilominus, si ante commemorationem dominicae fiat commemoratio alterius duplicis 1 vel 2 classis sequentis, tunc dominicae occurrentis commemoratio omittitur, nisi sit dominica maior.

4. Sub nomine *diei octavae Domini,* in usu III Tabellae venit quoque dominica *in Albis.*

5. Licet pro 2 Vesperis duplicis maioris et minoris et semiduplicis, nec non diei octavae et dominicae ponatur nota 0, in linea concurrenti cum *die infra octavam cuius cras officium dicetur,* commemoratio tamen non est omittenda, et tunc est commemoratio *diei infra octavam occurrentis,* de quo in subsequenti linea.

TEXTUS

(TITULUS IX)

N. 8.

Commemorationes fiunt hoc modo (310): Post Orationem diei in primis Vesperis (311), dicitur Antiphona quae posita est ad *Magnificat*, et in Laudibus quae posita est ad *Benedictus* (312) in Communi (si propriam non habuerit) conveniens eius Officio cuius fit commemoratio (313). Post Antiphonam dicitur Versus, inde sumendus unde sumpta est Antiphona, scilicet post hymnum Vesperarum et Laudum (314): deinde dicitur Oratio (315). Si Antiphona et Versus Festi, de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei (316), in Festo commemorationes variantur (317), ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis eiusdem Communis (318), nisi aliter signetur (319). Et similiter si in secundis Vesperis sanctae Agathae, aut alterius Sanctae novem lectionum fieri debeat commemoratio beatae Mariae, pro eius Officio in sequenti Sabbato celebrando (320), ne repetatur ℣. *Diffusa est gratia*, dicatur *Benedicta tu* ex Laudibus (321). Si item occurrat ut eadem sit Oratio Festi de quo fit Officium, et eius de quo fit commemoratio, mutetur Oratio pro commemoratione in aliam de Communi (322). Si de Tempore fiat commemoratio, de Dominica scilicet, vel de Feria, Antiphona et Versus ante

Orationem eodem modo sumantur ex proprio de Tempore, si habuerit proprium, alioquin de psalterio, Oratio vero ex proprio de Tempore (223).

(310) *Commemorationes fiunt hoc modo*... Supra iam vidimus commemorationem nihil aliud esse nisi partem exiguam officii alicuius, quod ab alio nobiliori impeditur. Aliis verbis est quasi, officii impediti aliqua contractio; contrahitur autem sumendo antiphonam, versus et orationem, et aliquando etiam lectionem IX, ne penitus pereat.

(311) *Post orationem diei, in primis vesperis*... Curnam haec Rubrica loquitur de *primis vesperis*, et tacet omnino de secundis? Nonne et in secundis vesperis fiunt commemorationes? Nullum Rubricarum commentatorem, non exceptis Gavanto et Guyeto, ex antiquis, et De Herdt atque A Carpo ex recentioribus, qui huius silentii rationem porrigant, invenimus.

Si bene quis aciem suae mentis acuerit, intelliget hic primum Rubricam loqui de officiis sanctorum impeditis, de dominica vero et de feria paulo inferius. Cum ergo hic agat Rubrica de officiis sanctorum, de illis tantum loqui debuit, quae tunc temporis, quando nempe Rubricae emendatae fuerunt (sub Pio V et Urbano VIII) si impedita non transferebantur, sed eorum agebatur commemoratio, quae erant tantummodo festa simplicia. At, cum huiusmodi festa vesperas secundas non habeant, bene hic Rubrica loquitur de primis vesperis, nihil autem de secundis, dicens: *post orationem diei in primis vesperis.*

Nihil ergo mirum si antiqui commentatores, in quorum aetate duplicia et semiduplicia sanctorum transferebantur, neque dies unquam deficiebant pro eorum translatione, non sibi proposuerint quaestionem, de

commemoratione sanctorum etiam in secundis vesperis. Recentiores autem qui scripserunt postquam S. R. C. decrevit festa sanctorum, pro quorum translatione desunt dies vacui usque in finem anni, esse commemoranda in sua die ad instar dominicae, ac proinde etiam in secundis vesperis, aliquid dicere debebant hanc Rubricam exponendo. *In primis vesperis* hic dicitur, quia numquam erat casus faciendi commemorationem *in secundis.* Audiamus Guyetum *(lib. 4, sect. 1, c. 1, q. 1)* qui docet: *Eius fit commemoratio de quo fieret officium, nisi ab alio digniore impediretur. Est itaque commemoratio pars quaedam exigua officii, in ipsius integri locum substituta, et quasi vicem supplens. Ex quo sequitur, eorum duntaxat fieri commemorationem, quorum contingit officium ab alio impediri. Sunt autem horum quinque capita, videlicet Dominicae, Feriae, Festa simplicia, Vigiliae et Octavae, de quibus singulis agetur post hoc seorsim. Festa vero duplicia, et semiduplicia hic non recensuimus, quia licet commemorationem aliquando suscipiant, haud tamen vice officii integri, quod numquam ex toto deperditur,* (in casu enim impedimenti tunc omnia duplicia et semiduplicia transferebantur) *sed tantum vice Vesperarum in concursu, qua de re iam hic non agitur.*

Ex quibus Guyeti verbis clarissime patet, hic optime Rubricam de primis vesperis, et non de secundis loqui debuisse.

(312) .... *in primis Vesperis dicitur antiphona, quae posita est ad* Magnificat, *et in Laudibus quae posita est ad* Benedictus. Ratio, dicit Gavantus *(sect. III, c. 11 n. 31)* "cur pro commemoratione sumantur Antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus,* ea esse potest, quia sunt nobiliores Antiphonae, tum ratione canticorum evangeliorum, tum vicinioris aditus ad orationem, seu collectam quae dicitur pro commemoratione„. Cui adsti-

pulatur Guyetus *(loc. cit.; q. 2)*. Cum pace tamen tantorum virorum nobis placet rationem hic proferre, quae ex natura rei profluit. Commemoratio officii impediti, fit tantum in vesperis et laudibus, et dicitur IX lectio aliquando in matutino, nihil vero in aliis minoribus horis. Cum ergo commemoratio fit in vesperis, post orationem officii, naturaliter antiphona pro commemoratione sumenda est illa, quae in illo momento liturgico diceretur, si de festo impedito ageretur officium. Sumus in fine vesperarum, post *Magnificat*, dicatur ergo antiphona ad *Magnificat*, quae unica prae omnibus tunc temporis congruit. Ita dicatur pro laudibus. Sint ergo vel non sint nobiliores antiphonae ad *Magnificat* et ad *Benedictus*, ut volunt Gavantus et Guyetus, illae et non aliae sumendae sunt in commemorationibus, quia respondent momento liturgico illius horae.

(*Continuabitur.*)

Doct. PETRUS PIACENZA.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E. Verona.* **De occursu Desponsationis Deiparae et S. Familiae.** Anno insequenti 1897 occurrunt et concurrunt simul Desponsatio Deiparae cum S. Ioseph, et Sacra Familia, ambo eiusdem ritus: de quo ex iis recolendum festum, et quomodo ordinandae Vesperae?

Resp. 1. Iuxta Decretum *Viglevanen. (V. n. 3 praes. an. pag. 135)* et aliis anterioribus, hae

normae sequendae semper sunt pro praelatione festorum in eamdem incidentium diem: 1. Praevalet festum superioris ritus: 2. in paritate ritus praevalet festum primarium, personali dignitate neglecta: 3. in paritate ritus et qualitatis primarii aut secundarii praevalet festum potioris dignitatis personalis: 4. praefatis singulis paribus, praevalet festum fixum alteri ad instar mobilis. His positis, cum habeatur in casu paritas ritus et qualitatis secundarii, praevalet indubie festum dignius ratione personae, nempe Sacra Familia. Namque in hoc festo habemus Christum, a quo dignitas festi desumenda, sive quia est praecipuus in S. Familia, sive quia decet omnino ut personae minus dignae participent de dignitate personae dignioris, et non e contra, quod grave esset incommodum.

Resp. 2. Festum Sacrae Familiae integras sibi vindicat Vesperas concurrens cum Desponsatione Deiparae: quae nihilominus num habere debeat, an non, commemorationem, questio est. In num. 2 Ephemeridum praesentis anni *(pag. 111)* affirmatum sempliciter fuit de Desponsatione fieri commemorationem in casu. Sed negotium non videtur exploratum; et fortasse illam relinquere consultius est. Brevi, ancipites haeremus, et certa definitio rei ab auctoritate potiusquam a scientia est inquirenda.

Resp. 3. Quid vero agendum in concursu, si Desponsatio potiori gauderet ritu, uti Veronae accidit? Facienda ne Sacrae Familiae commemoratio? Haec quoque incerta responsio; sed fortasse ea fieri debet, quia Dominus principale festi obiectum constituit. Hoc autem commemorari de-

bet; quia a festo Desponsationis est omnino diversum. Intelligimus, quoad Deiparam comprobari quodammodo *bis in idem;* sed fortasse minus id est incommodum, quam commemorationem omittere sequentis, ratione Christi principalis obiecti in festo.

II. *Ex eodem loco.* **De conformitate Missae cum officio Ecclesiae.** Sacerdos habens officium duplex, et celebrans in Ecclesia ubi fit de semiduplici, facere ne potest Missam officio suo duplici conformem?

Resp. Affirmative. Ratio simplicissima est, quia Ecclesia quae facit officium semiduplex, admittit Missam suo officio conformem, et non excludit alias aliis officiis conformes, vel extra officium quodcumque, uti sunt votivae. Ergo quaecumque Missa, ex permissis, fieri potest in casu. At dices: Esto, sit permissa quaecumque Missa, non tamen festiva esse poterit, sed votiva. Respondemus negando assertum, quia nulla lex extat prohibens in semiduplici Missam festivam, officio vel duplici vel semiduplici conformem. Sicut ergo permittitur festiva Missa conformis officio Ecclesiae, ita et permissa dicenda erit festiva quae respondeat officio celebrantis. Ita permittitur quoque Missa de simplici occurrente, quae pariter est festiva. Hoc quoque infertur ex Decreto Gen. Urbis et Orbis super conformitate Missae cum officio; namque tacet de Missa officio vel Ecclesiae vel Celebrantis conformi, dum Ecclesia semiduplex officium agit, et explicite loquitur de Missa respondenti feriae quae occurrit. Tacet autem primum, quod unicuique patet semper fieri posse Missam officio conformem: explicite loquitur

de altero, ut, significet, fieri posse Missam de die, quae votiva esse nequit. Hic est sensus Decreti.

III. *E Legione in Hispania.* **De chirothecis in Episcopo assistente Missae solemni cum pluviali, vel cappa.** Quaeritur utrum Episcopus dum Missae solemni vel etiam Vesperis assistit, pluviali vel cappa indutus, assumere possit chirotecas?

Resp. Chirotecae sunt caligarum et sandalium veluti complementum: ut Episcopus vel Archiepiscopus illas debeat induere, quando et istas vestes induere tenetur: quando autem caligis et sandaliis uti non debet, tunc nec chirothecis utitur. Id satis abunde constat ex Caeremoniali, dum agit de Missa, de Assistentia, de Vesperis Pontificalibus: ita ut quando Episcopus pluviali utitur, aut cappa, nunquam chirothecas adhibere debeat. Hinc Decretum S. Iacobi de Chile 6 Sept. 1895 ad 2 inquirit: «Utrum Archiepiscopi uti possint chirothecis cum ad Ecclesiam accedunt, vel ab ea recedunt, ante et post Missam pontificalem?» Et S. R. C. respondet: *Negative iuxta Caeremoniale Episcoporum et Decreta.* Ratio autem negativi responsi est profecto, quia in casu sandalia non habet, nec caligas; ergo neque chirothecas habere debet. Porro etiam in casu nostro habetur Episcopus vel pluviali indutus vel cappa, sine sandaliis tamen et caligis, quia Pontificalia non agit, sed tantum assistit; ergo etiam sine chirothecis esse debet. Hinc neque ipse Pontifex in duplici casu, de quo dubium, chirothecis utitur, consequenter nullus alius sive Episcopus sive Archiepiscopus.

IV. *E Curenna.* **De quodam festo in die sua recolendo.** Die 28 Nov. hic agimus de S. Colum-

bet; quia a festo Desponsationis est omnino diversum. Intelligimus, quoad Deiparam comprobari quodammodo *bis in idem;* sed fortasse minus id est incommodum, quam commemorationem omittere sequentis, ratione Christi principalis obiecti in festo.

II. *Ex eodem loco.* **De conformitate Missae cum officio Ecclesiae.** Sacerdos habens officium duplex, et celebrans in Ecclesia ubi fit de semiduplici, facere ne potest Missam officio suo duplici conformem?

Resp. Affirmative. Ratio simplicissima est, quia Ecclesia quae facit officium semiduplex, admittit Missam suo officio conformem, et non excludit alias aliis officiis conformes, vel extra officium quodcumque, uti sunt votivae. Ergo quaecumque Missa, ex permissis, fieri potest in casu. At dices: Esto, sit permissa quaecumque Missa, non tamen festiva esse poterit, sed votiva. Respondemus negando assertum, quia nulla lex extat prohibens in semiduplici Missam festivam, officio vel duplici vel semiduplici conformem. Sicut ergo permittitur festiva Missa conformis officio Ecclesiae, ita et permissa dicenda erit festiva quae respondeat officio celebrantis. Ita permittitur quoque Missa de simplici occurrente, quae pariter est festiva. Hoc quoque infertur ex Decreto Gen. Urbis et Orbis super conformitate Missae cum officio; namque tacet de Missa officio vel Ecclesiae vel Celebrantis conformi, dum Ecclesia semiduplex officium agit, et explicite loquitur de Missa respondenti feriae quae occurrit. Tacet autem primum, quod unicuique patet semper fieri posse Missam officio conformem: explicite loquitur

de altero, ut, significet, fieri posse Missam de die, quae votiva esse nequit. Hic est sensus Decreti.

III. *E Legione in Hispania.* **De chirothecis in Episcopo assistente Missae solemni cum pluviali, vel cappa.** Quaeritur utrum Episcopus dum Missae solemni vel etiam Vesperis assistit, pluviali vel cappa indutus, assumere possit chirotecas?

Resp. Chirotecae sunt caligarum et sandalium veluti complementum: ut Episcopus vel Archiepiscopus illas debeat induere, quando et istas vestes induere tenetur: quando autem caligis et sandaliis uti non debet, tunc nec chirothecis utitur. Id satis abunde constat ex Caeremoniali, dum agit de Missa, de Assistentia, de Vesperis Pontificalibus: ita ut quando Episcopus pluviali utitur, aut cappa, nunquam chirothecas adhibere debeat. Hinc Decretum S. Iacobi de Chile 6 Sept. 1895 ad 2 inquirit: «Utrum Archiepiscopi uti possint chirothecis cum ad Ecclesiam accedunt, vel ab ea recedunt, ante et post Missam pontificalem?» Et S. R. C. respondet: *Negative iuxta Caeremoniale Episcoporum et Decreta.* Ratio autem negativi responsi est profecto, quia in casu sandalia non habet, nec caligas; ergo neque chirothecas habere debet. Porro etiam in casu nostro habetur Episcopus vel pluviali indutus vel cappa, sine sandaliis tamen et caligis, quia Pontificalia non agit, sed tantum assistit; ergo etiam sine chirothecis esse debet. Hinc neque ipse Pontifex in duplici casu, de quo dubium, chirothecis utitur, consequenter nullus alius sive Episcopus sive Archiepiscopus.

IV. *E Curenna.* **De quodam festo in die sua recolendo.** Die 23 Nov. hic agimus de S. Colom-

bano, de quo Martyrologium Rom. die 21 eiusdem mensis: S. Clemens e dicta die 23 translatum perpetuo est in diem dicti mensis 28. Nunc Calendarii redactor optat S. Clementem ponere in die sua, nempe 23, et S. Columbanum die 28; sed cum una ex paroeciis S. Columbanum die 23 Nov. uti titularem recolat, a mutatione agenda ille interdicitur: quid iudicandum?

Resp. Certum est, diem 23 Nov. esse propriam S. Clementis P. M., sicuti diem 21 eiusdem mensis esse propriam S. Columbani, uti constat ex Martyrologio Romano. Cum autem, nisi quid obstet, quivis ex Sanctis celebrari debeat die sua, indubium quoque est, S. Clementem celebrandum esse die 23 Nov. prout in Breviario. Qua ergo de causa ab anno 1839, uti consulens advertit, usque nunc praefata dies 23, S. Clementis propria, statuta sit pro S. Columbano, cuius dies propria non est, prorsus non intelligimus. Hinc, si liceret, concludere oporteret: Unicuique suum; ac proinde probanda omnino est agendi ratio Calendarii redactoris, cui est in votis diem suam S. Clementi restituere. Quid autem de ratione, quae in contrarium adducitur? Reponimus, eam non esse computandam, imo prorsus reiiciendam, quia Ecclesiae omnes, nisi graviori de causa impediantur, ius habent et onus, ut festum titulare die sua celebretur. Sed dies S. Columbani est 21 Nov. non autem 23; ergo illa, non ista die, Ecclesia, de qua in casu, recolere debet S. Columbani festum. Sed dato etiam, diem 21 pro dicta Ecclesia esse ita impeditam, ut perpetuo titulare festum agere debeat die 23, nil sequitur contra dicta superius. Ratio est, quia dicta Ecclesia po-

test celebrandi tale festum die 23 Nov. ius habere, cum Titularis sit; sed eodem iure carent aliae Ecclesiae, quae proinde die 23 Nov. celebrare debent S. Clementem. Concludimus: grave esse inconveniens, ut in dicta dioecesi tam S. Clemens quam S. Columbanus extra suos dies ab omnibus Ecclesiis sine ulla causa celebretur. Quod enim S. Columb. extra diem suum recolatur, cum a Praesentatione Deiparae impediatur, saltem in Ecclesiis alium Titularem habentibus, satis videmus; at quod occupet diem propriam alterius Sancti, qui proinde extra pariter diem propriam recolendus est, hoc intelligi nequit.

V. *Ab Etruria.* **De aliquorum festorum die mutanda in anno bissextili.** Alicubi die 22 Febr. recolitur S. Margarita cortonensis sub ritu dupl. 1. cl. cum octava, cuius proinde dies ultima est 1.ma mensis Martii. Hac die autem, cum B. Mathias recolendus esset, utpote a dicta die octava impeditus translatus perpetuo est in diem 13, quae est prima libera. Hinc sequentes oriuntur difficultates pro anno bissextili: *a*) Hoc enim anno dies octava S. Margaritae, quae die 1. Martii agenda esset, die 29 recolitur, in qua occurrit B. Thomas: redigendus hic ne est ad instar simplicis? *b*) Die 13 Febr. celebrandus ne est etiam in anno bissextili B. Mathias, an diei 1. Martii restituendus, utpote liberae? *c*) An potius hac eadem die celebrandus est B. Thomas? *d*) Si alicubi aliae octavae occurrant, ex. gr. S. Mathiae Apostoli, ubi est Titularis, quid foret agendum?

Resp. Ultimi quinque dies Februarii, videlicet, 24, 25, 26, 27 et 28, quod attinet festa liturgica, mutationi subiacent, uti notum est: adeo ut festa, quae anno communi dictis diebus affixa sunt ce-

lebranda, in anno bissextili postponantur, et sequentibus relativis diebus celebrentur, nempe S. Mathias Ap. die 25, atque ita reliqua festa. Proinde ultimum festum diei 28 affixum, die sequenti 29 recolendum. Ita perspicue constat ex Martyrologio Romano, ex Breviario et ex Missali secundum peculiarem Rubricam, quae post mensem Februarium inscribitur. Hinc sequitur duplicem in casu habendum esse calendarium, alterum pro anno communi, alterum pro bissextili. In primo habebitur dies 28 pro B. Thoma, 1.ma Martii pro octava S. Margaritae, dies 13 pro B. Mathia a die 1. Martii translato: in altero autem habebitur: dies 29 pro octava S. Margaritae, dies 1.ma Martii pro B. Thoma et 13 pro B. Mathia, vel illa pro B. Mathia, ista pro B. Thoma, iuxta sequentem, quam exhibemus, animadversionem. Aut dies 1. Martii est natalitia vel quasi-natalitia pro B. Mathia, aut dies assignata: si primum, in anno bissextili diei suo restituetur, ad quem ius habens, semper, ut ita dicam, clamat: si alterum, consultius die 13 remanebit, sive enim die 1.ma sive 13.tia celebretur, semper extra diem propriam remanet. Hinc patet ad tres primas exhibitas difficultates responsio. Quod vero spectat ultimam circa alias octavas a die 24 ad 28 occurrentes, reponimus, hypothesim non posse subsistere. Ratio patet, quia dictorum festorum octava dies nunquam mutari potest; nam si festum insequenti die celebretur in anno bissextili, tunc mensis unum diem acquirit, quo in anno communi carebat, atque ita eadem semper remanet dies octava, uti consideranti palam fiet.

VI. *E dioecesi Briocensi.* **De festis Titularis et Depicationis per accidens secundariis.** Festum Titu-

laris Ecclesiae extra ipsam, et Dedicationis omnium Ecclesiarum pro non consecratis, sunt ne habenda uti festa secundaria?

Resp. Affirmative, vel certe etsi dicta festa inter primaria velis recensere, minus erunt nobilia aliis festis primariis eiusdem ritus, quae respiciunt Ecclesias proprias. Sit casus ex. gr. quo die 30 Septembris pro Caio Parocho occurrit in sua Ecclesia Titulus, nempe S. Hieronymus, dum in civitate episcopali, in qua Ecclesia dicti S. Tituli sita est, recolitur Titulus Cathedralis Ecclesiae; certe Caius celebrabit Titulum Ecclesiae suae, sive dicas hoc festum magis proprium quam illud, sive primarium prae illo secundario. Nobis arridet magis festum Tituli extra Ecclesiam propriam esse vere secundarium, sicuti secundarium est festum Dedicationis Ecclesiae non propriae: secundarium, inquam *per accidens* utrumque, licet *per se* primarium sit.

Idem dicendum iudicamus, ac tamquam certum censemus, de festo Dedicationis omnium Ecclesiarum pro illis quae consecratae non sunt. Ratio est, quia per Gen. Decretum definit S. R. C. « anniversarium Dedicationis Ecclesiae non propriae uti secundarium habendum esse *(4 Febr. 1896)* »; atqui pro Ecclesiis non consecratis Dedicatio omnium Ecclesiarum est Anniversarium Dedicationis Ecclesiae non propriae, ergo. Haec quidem impraesenti, post citatum et partim relatum Gen. Decretum, contra quae nil potest doctrina, quam forte auctores tradere hucusque potuerunt.

VII. *Ex Algeria.* **De festo S. Familiae et Desponsationis Deiparae occurrentibus.** Sacra Familia

et Desponsatione in paritate ritus occurrentibus, quomodo ordinandum calendarium?

Resp. Non est dubitandum, festum dignius esse celebrandum dignitate personali, et alterum minus dignum transferendum. Verum dignius est festum Sacrae Familiae ratione SSm̃ae personae Christi, quae est praecipuum obiectum; ergo de eo agendum, eritque transferenda Desponsatio. Ratio festi mobilis et fixi vim non habet in casu, quia prius computanda est personalis dignitas, uti alibi dictum est.

VIII. *E Sinis.* **De non praemittendo** *Dominus vobiscum* **Orationibus in Expositione solemni.** In laudibus vespertinis, quae communiter cantantur coram Sanctissimo exposito, mos est canendi Antiphonam SSm̃i Sacramenti, aliam in honorem B. M. Virginis, etc. Sequitur Versiculus cum Responsorio Deiparae, cum Oratione vel Orationibus diversis. Sequitur *Tantum ergo,* versiculus etc., Oratio SSm̃i Sacramenti.

Quaeritur: An Orationi B. M. Virginis et aliis praemittendus sit ℣. *Dominus vobiscum,* nec ne?

Mihi videtur quod instructio Clementina pro Oratione XL Horarum dicit: quando Benedictio cum SS. Sacramento *immediate* sequitur Orationem, non dicitur ℣. *Dominus vobiscum*; sed ℣. *Dominus vobiscum* dicendus est quando mediate tantum.

Resp. Negative; et ratio a Rm̃o Domino allata, licet extrinseca, aliam intrinsecam includit, quam verbis ipsius Gardellini referre malumus, vel potius Merati, imo et Cavalerii, a quibus eam Gardellinius deprompsit. En itaque eius textualia verba: « Ideo enim in repositione et in aliis om-

nibus expositionibus non praemittitur Orationi de Sacramento ℣. *Dominus vobiscum*, quia immediate post cum Sacramento populo astanti impartienda est benedictio, quae est realis et validior deprecatio, quod Dominus sit cum adstantibus, quam ea quae per vocem exprimitur (Instr. Clement. § *XXXI, n. 6*)». Ceterum, lege perspicue loquente, ei procul dubio adhaerendum est. Accedit dispositio S. R. Congñis, exigens « in benedictione SSm̃i Sacramenti ante Orationem non esse dicendum *Dominus vobiscum* »: ita ex pluribus Decretis. Ut conclusio omnino certa sit: quando immediate sequitur benedictio, tunc omittendus, quando autem non sequitur, tunc addendus est ℣. *Dominus vobiscum*. Verbum nihilominus *immediate* ita est accipiendum, ut significet, benedictionem sequi non tam ipsam Orationem *materialiter*, quam totam potius functionem: adeo ut, eadem functione absoluta, statim benedictio sequatur. Hinc sequitur, non solum esse omittendum ℣. *Dominus vobiscum* ante Orationem Sacramenti, sed etiam ante aliam de B. Virgine; quia functio cum benedictione absolvitur. Haec ceterum praxis communiter recepta, in ipsaque Urbe servata.

IX. *Ex Ebroïcis in Gallia.* **De Missa festiva praesente cadavere.** In funeribus gaudemus indulto dicendi Missam lectam pro cantata, excipiendis exceptis: in his potestne legi Missa de die, praesente corpore? Si affirmative, potestne postea Celebrans, Missae paramentis in sacrario depositis, ac sumpto pluviali, ad feretrum pergere una cum clerico tantum, et Absolutionem peragere?

Resp. Missam de die posse pro defuncto applicari nemo dubitat; sed inter illam et cadaver

praesens nullam esse, liturgice loquendo, relationem nec dubitandum. Curandum ergo, ut fideles intelligant dictae relationis defectum, quamvis agnoscant, illam pro defuncto applicari. Consultius proinde videretur, praesente in media Ecclesia cadavere, Missam non facere ad altare princeps, sed potius in alio. Quod vero attinet Absolutionem, hanc post Missam de die fieri posse S. R. C. permittit, dummodo independenter a Missa, quod videtur in casu comprobari.

X. *Ex Arequipa in Peruvia.* **De extensione cuiusdam privilegii.** Nobis concessum est privilegium coloris caerulei in sacris paramentis adhibendi, sequentis tenoris:

« Quum Rm̃us Dñus Episcopus De Arequipa in America Meridionali a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII perpetuum privilegium humillime petierit, quo in Ecclesiis Dioeceseos sibi commissae sacra paramenta caerulei coloris adhiberi possint quoties celebratur Missa Immaculatae Deiparae Conceptionis; Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque. — Die 25 Septembris 1891 ».

Nunc quaeritur, utrum vi dicti privilegii Religiosi exempti vel Ordinario subiecti colore caeruleo uti possint in suis ecclesiis, quae intra dioecesis Arequipae limites existunt.

Resp. Affirmative, et dubitandi rationem non videmus. Toti dioecesi, hoc est omnibus et singulis Ecclesiis in Dioecesi praefata existentibus, dictum privilegium concessum est. Atqui Eccle-

siae Religiosorum ex hypothesi intra eiusmodi dioecesis confinia existunt; ergo.

Nota. Resoluto mox dubio ex Arequipa aliud relationem dicit, e Republica aequatoriana nobis missum, quod illi proinde adiungimus. Quaerit, utrum, color caeruleus permissus pro festo Imm. Conceptionis (*8 Dec.*) et per octavam, nec non pro Missis votivis eiusdem Immaculatae, extensus censeatur etiam ad alia duo festa, quae supervenerunt, nempe Apparitionis et Manifestationis eiusdem Imm. Deiparae. Affirmative respondemus; quia, ex una parte idem est horum festorum obiectum ac illud Imm. Conceptionis: ex altera, cum S. R. C. praefatum concesserit privilegium in ipsis Missis votivis Immaculatae, satis innotescit, illud censendum esse extensum ex voluntate legislatoris ad omnia festa quae idem mysterium perspiciunt. Atqui eiusmodi sunt festa Apparitionis et Manifestationis, de quibus supra; ergo.

XI. *Ex eod. loco*. **De sensu cuiusdam privilegii Canonicis Arequipae concessi.** Sequens Canonicis Cathedralis Ecclesiae Arequipae concessum est indultum:

« R̃mus D̃nus Joannes Maria Ambrosius Huerta hodiernus Episcopus de Arequipa, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII supplicibus votis exoravit, ut Canonicos Capituli suae Cathedralis Ecclesiae, quos eximia merita ornant, Rocchetti et Cappae cum pellibus mustelae albae, insignibus condecorare dignaretur.

« Has porro preces, a R. P. D. Secretario Sacrae Congregationis Ecclesiasticis Negociis Extraordinariis pertractandis praepositae relatas, Sanctitas Sua benigne excipiens, praefato Capi-

tulo expetita insignia in choro, et quotiescumque Decreta eorum usum permittunt, concedere dignata est, ac praesens Decretum super hoc expediri mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 5 Decembris 1883 ».

Hinc quaeritur: 1.° Vi dictae concessionis possunt ne Canonici Mozetam induere? 2.° Quinam esse debet color Cappae vel Mozetae? 3.° Tenentur ne Canonici ad habitus mutationem, secundum tempus aestivum aut hiemale, prout Caeremoniale Episcoporum et Decreta praescribunt? 4.° Quaenam est forma Cappae canonicalis? 5.° Verum ne Cappae canonicalis violaceae usum tunc solum esse permissum, quum Episcopus Cappa rubea (ex privilegio) utitur? 6.° In extremis manicis Rocheti et fimbriis Albae, adhiberi ne potest fundus coloratus, ut e textili denticulato appareat? 7.° Sub textili denticulato tobalearum altarium poni ne potest fundus rubeus, violaceus, caeruleus, etc.? 8.° Mozeta Canonicorum potest ne circumdari pellibus mustelae albae, seu armellini? 9.° Possunt ne Canonici Arequipae propriis insignibus induti ad Ecclesias civitatis episcopalis pergere collegialiter canendo Litanias?

Resp. Ad 1. Negative; concessio enim Rocheti et Cappae nulla ratione Mozetam includit, imo excludit. Etenim « quodcumque privilegium ad augendum insignium quarumdam Ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum Dignitati episcopali, de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nihil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum etc.

(*Decr. Gen. 27 Aug. 1822 ad 5*)». Ad 2. Color Cappae canonicalis ex universali consuetudine debet esse violaceus. Ad 3. Affirmative ex patenti Caeremenialis Episc. lege (*Lib. I. cap. 3, n. 3*). Ad 4. Quid nimis est, ut Cappae formam describamus: quaeratur Cappae exemplar ab alia cathedrali Ecclesia, eiusmodi privilegio fruente. Ad 5. Negative, sed relativum privilegium servandum est. Ad 6. Serventur privilegii limites quoad Rochetum: quoad Albae ornatum, affirmative. Ad 7. Affirmative, cum nulla id lex vetet. Ad 8. Provisum in responsione ad 1. dubium. Ad 9. Affirmative, dummodo collegialiter pergant.

BREVIORA RESPONSA

1. *Pro Matera.* Officia votiva, ante annum 1883 indulta, non possunt recitari tempore Quadragesimae et Adventus ex generali lege (*V. Decr. Gen. Breviariis praemissum*).

2. *Pro eodem loco.* Tria Festa localia solemniora, personali dignitate neglecta, cedunt semper festo cuicumque solemniori universalis Ecclesiae; hinc Titulus Visitationis Deiparae praeferri nequit festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli; et error emendandus, si aliter hucusque factum fuerit.

3. *Pro eodem loco.* S. Ioannes Baptista (*die 24 Iun.*), non uti Titularis, sed ut festum solemnius universalis Ecclesiae ex Rubricis primas habet prae Ss. Petro et Paulo (*29 Iun.*). At res inutilis!

Quia neque occurrere neque concurrere possunt, sive die festo, sive diebus infra octavam. Notandum autem, die 30 Iunii in Vesperis Com. S. Pauli praeferri commemorationem S. Petri alii de sequenti die octava S. Ioannis Baptistae, sed hoc accidit, quia com. S. Petri nunquam a S. Pauli disiungitur, uti notum est.

4. *Pro Regio Lepidi.* *a*) S. Silvester ius habet, ut die 26 Nov. celebretur, est enim dies sua, non S. Didaci, neque S. Stanislai Kostkae. *b*) S. Didaco impedito bene assignatur uti dies prima libera, 9 Dec., quin alia officia amoveantur e suis sedibus, quas possident: quod fieri non debet. *c*) Pro hoc agendo nulla requiritur facultas: Ordinarii est, ut calendarium ad normam iuris redigatur.

5. *Pro Gallia.* Dedicatio est festum Domini; ergo eius dies octava concurrens cum duplici minori aut etiam maiori, integras sibi vindicat Vesperas: ita ex iure praesenti, utcumque antiquius fuerit expositum. Item dies octavi festorum ad personas pertinentium, quas Rubricae nominant, digniores considerantur in concursu quam alia duplicia minora.

6. *Item pro Gallia.* Die 8 Apr. fit de feria, die 9 fit de festo Septem Dolorum, et occurrit semíduplex faciendum simplex: Vesperae diei 8 ita ordinandae: Vesperae de Sequenti, com. de semid. et de feria, quia haec non habet secundas Vesperas et non potest proinde concurrere.

7. *Pro Anglia.* Feria sexta, quae est prima mensis Iunii, si incidat infra octavam Corporis Christi, fieri nequit Missa votiva de SS. Corde

Iesu, quia in Decreto Gen. ad rem, et etiam ex communi lege prohibetur.

8. *Item pro Anglia.* Oratio secunda Litaniarum SS. Nominis Iesu habere debet conclusionem « *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum* »: ita in praesentibus editionibus Ritualis typici, nec antiquior obiicienda, quae studio ab auctoritate mutata est in aliam.

9. *Pro Ebroicis: casus 1.us exceptus.* Ubi adest indultum applicandi in festis suppressis Missam pro populo iuxta intentionem dantis cum eleemosyna in favorem Seminarii, Parochus, etsi solus Celebrans in sua Ecclesia, potest in dictis festis suppressis Missam pro aliquo defuncto praesente canere, et celebrare alia die Missam, cuius eleemosyna in bonum Seminarii redundat. Dispensatione posita ab applicanda dictis diebus Missa pro populo, quae tales dies *per se* afficeret, non apparet ratio, ex qua non possit ad aliam diem remitti applicatio Missae in favorem Seminarii.

10. *Pro Gallia: casus alter.* Delegatus ad erigendam Viam crucis, si in ipsa erectione defectum admisit substantialem, ita ut erectio fuerit nulla, nova non indiget facultate pro ea erigenda. Quia de facto Viam crucis non erexit, cum defectus substantialis fuerit concomitans et actum reddiderit irritum. Si post erectionem rite factam, defectus subsequens pariter substantialis intercesserit, delegatus iterum non poterit ad novam erectionem procedere quin nova facultate muniatur.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(*Contin. V. n. 4, anni 1896, pag. 232*).

123. Imagines Viae Crucis. Cum in omnibus fere Ecclesiis parochialibus hodie institutum sit sacrum exercitium Viae Crucis, non parum interest ut Visitator inspiciat num omnia quae illud spectant, rite procedant, non tantum quoad decentiam imaginum, sed etiam quoad legitimam erectionem, ne fideles, si aliquod vitium in ea irrepsisset, indulgentiis priventur.

Itaque in primis Visitator exquirat ab Ecclesiae Rectore instrumentum erectionis, quod iuxta S. Indulg. C. decretum (*Apamien. 25 Sept. 1841*) a Sacerdote qui erectionem peregit, manu propria subscriptum esse debet.

Ut autem Visitator iudicare possit an legitima fuerit ipsa erectio, operae pretium est hic breviter conditiones tradere ut legitime et valide Via Crucis erigatur.

1. Iuxta apostolicum decretum 3 Aprilis 1631, facultas erigendi Vias Crucis reservata est religiosis subditis Ministro Generali Fratrum Minorum tam de observantia quam Reformatorum. Ex his autem superiores tantum locorum seu conventuum, erectionem agere possunt, vel ex eorum commissione alius religiosus sui ordinis qui tamen sit aut concionator aut saltem confessarius. Solus Minister generalis concedere potest facultatem Sacerdotibus sui ordini non adscriptis, vel etiam facultatem subdelegandi, sicut concedi

solet Ordinariis locorum id postulantibus, uti constat ex recenti decreto Leonis XIII die 15 Martii 1884.

2. *Requiritur* etiam licentia Ordinarii loci, qui sciat, et consentiat erectionem; haec licentia requiritur in singulis casibus, scilicet pro singula unaquaque erectione. Item requiritur consensus parochi, vel Rectoris ecclesiae in qua stationes Viae Crucis erigendae sunt. Tam deputatio Sacerdotis erigentis, quam consensus Ordinarii et Rectoris Ecclesiae, dari debent in scriptis, instrumento erectionis coniungendis (*Breve* "Cum tanta" Benedicti XIV *30 Aug. 1741*).

3. Erigendae sunt stationes forma consueta et in Ordine Minorum adhibita, idest:

a) Stationes sint numero quatuordecim.

b) Cruces et aediculae sive imagines sacrae repraesentent singulae singula quatuordecim mysteria passionis dominicae.

c) Cruces sunt de praecepto ad validitatem, imagines vero non sunt necessariae (*decret. auten. S. Indulg. C. n. 258 et n. 275*); non tamen in praxi recedendum, absque gravi causa, a consuetudine constituendi etiam imagines, quae cum non benedicantur ex se, sed coniunctim cum crucibus, possunt esse ex charta, vel oleographia, Cruces vero tam necessario requiruntur ut omnino invalida esset Via Crucis constituta sine ipsis, etiamsi una tantum crux deficeret (*decr. 261 et 270*).

d) Huiusmodi Cruces debent esse ex ligno, exclusa quacumque alia materia etiam pretiosissima, sub poena nullitatis (*decr. 442*); bene tamen Cruces ligneae inaurari vel deargentari aut aliter pingi possunt, vel etiam, ferro aut alio metallo circumcingi.

e) In omnibus ecclesiis et oratoriis publicis erigi potest Via Crucis, et etiam in oratoriis privatis, dummodo in his Missae celebrandae facta sit facultas.

f) In una eademque ecclesia, duo exercitia Viae Crucis institui possunt, in ecclesia et in choro, vel in crypta, dummodo haec sit satis spatiosa.

g) Episcopus a Ministro Generali gaudens facultate erigendi stationes Viae Crucis delegare potest omnes sacerdotes sibi benevisos, in scriptis, pro locis tantum in quibus non adsunt Fratres Minores.

h) Cruces benedicendae sunt a Sacerdote delegato, vel a Religioso, in ipsa ecclesia ubi erigitur Via Crucis, et ab eodem suis locis affigendae sunt.

i) Formula et ritus adhibendus in erectione sumendi sunt a Rituali Romano, in editione typica. Videat ergo Visitator et inquirat an omnia observata sint in erectione huius tam salutaris exercitii, tot tantisque indulgentiis ditati, atque rite examinet an Cruces et imagines nitidae, decorae et decentes sint, et prout fert casus iusta decernat.

124. Fenestrae. Neque negligendae sunt a Visitatore fenestrae ecclesiae, quae tutae, in numero sufficienti, ad lucem et aerem introducendum, esse debent, suis vitreis valvis munitae, nec non velaminibus instructae, ad lucem ipsam moderandam; quae velamina, munda, non lacera, et decentia omnino esse debent. De fenestris haec a S. Carolo mutuamus, ad Visitatoris instructionem (*Instruc. Fab. Eccl. lib. 1*): " De fenestrarum longitudine ac latitudine quidquam, aut de forma, (non est cur) multa tradantur, cum potius ab architectonica arte huius generis praeceptio sumenda sit ".

" Ea autem in sacrarum aedium fenestris forma vel plurium servata est, ut a parte superiori paululum rotundae, a lateribus aliquando intrinsecus latiores appareant quam extrinsecus, prout etiam mysterii ratio a patribus demonstrata suadet ".

“In media Ecclesiae navi, ubi per tecti eminentioris altitudinem potest, tum in navibus etiam inferioribus laterales fenestrae fient, eaeque impares ab utroque latere: atque in uniuscuiusque interculumnii medio ita ordine extructae, ut recta sibi respondeant, neque a zophoro, epistyliove tecti valde distent„.

“Unde vero lumen praecipue Ecclesia et cappella maior excipiat, fenestra orbicularis ampla pro modo Ecclesiae instar oculi a fronte supra ostium maius exaedificetur, atque extrinsecus ornetur pro structurae modo„.

“In aliis navibus a frontispicio item fiant formâ oblonga architecti iudicio; verum lumen etiam excipi potest ad cappellae et Ecclesiae usum, e tholo, ex umbilico scilicet fastigiatae fornicis, lanternis undique factis„.

“In cappella maiori, ac praeterea in singulis minoribus, pro earum magnitudine ac modo, ab utroque latere eae item fiant, ut utrinque lux praebeatur. Si vero a lateribus lumen excipi nullo modo potest, neque satis est, quod ab orbiculari aliisve frontispicii fenestris imbibitur, quodve aliunde excipitur; e pariete qui a tergo cappellae est, recipiatur. Cautio autem adhibeatur, ut nullam altaris cuiusvis partem ne minimam quidem fenestrae posterioris parietis occupent; tum maxime, ne altare quod eidem parieti prope sit, recta spectent, aut ullo sane modo supra altare sint„.

“Ceterum si aliunde lumen commode et decenter sumi non potest, tunc fenestra, quae necessario supra altare extruenda est, ab ima parte paulo acclivius foras prominens, opere testaceo, aut tabula solida marmorea aereave strata, eiusmodi sit, ut aqua foras omnino defluat; intro vero ne gutta quidem penetret„.

“Cautio item sit, ut si montoso, aliove loco ubi ventorum vis maxime esse soleat, Ecclesiam exaedi-

ficari contigerit, ita fenestrae undique a septentrione praesertim architecturae rationibus fiant, ut a nulla parte Ecclesiae detrimentum, neque periculum sacris ministeriis, neque incommodum fidelibus orantibus existat „.

" Fenestrae omnino alte, atque ita extruantur, ut inde qui foris stat, introspicere non possit. Ubi autem necessario fenestra minus alta quam praescribitur, aliquando extruatur necesse esset (quod facile usu veniet in veteribus Ecclesiis resarciendis) ea muniatur vitreis valvis, quae nullo modo aperiri possint, ne introspectetur „.

" Fenestrae autem omnes quales sint, clathris ferreis, ubi potest, muniantur, adiuncto etiam opere vitreo et pellucido, neque ulla ex parte picto, nisi imagine tantum Sancti, cuius nomine Ecclesia cappellave nuncupatur (1); ut lumen illustrius ad illius cappellae Ecclesiaeve usum excipiatur. Sint item extrinsecus filis aeris instar retis undique septae (ne aves in ecclesia volitent). Quae operis vitrei sepimentive extructio ornatior esse potest pro aedificii modo „.

" In ecclesiis autem, quibus ob inopiam vitreo opere confici non possunt, sint opere saltem telae instructae. At e quocumque genere opereve sint, eiusmodi tamen esse debent, ut aperiri, aut amoveri aliquando possint, ad omnis vaporis in Ecclesiae cappellaeve ambitu conclusi exhalationes „ (Actorum Pars IV Instruct. Fabr. Eccles. lib. 1).

(Continuabitur)

P. Vicarius Foraneus S. Florentii.

---

(1) Id iure antiquo erat vetitum, nunc vero permissum (Decr. Gen. Inter Constitutiones d. 14 confirm. 27 Aug. 1894).

APPENDIX

E SUPREMA S. O. CONGREGATIONE.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, habita feria IV. die 13 Maii anno 1896, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales sequens dubium expendendum susceperunt:

« Utrum diebus ieiunio consecratis, in quibus Apostolica venia usus condimentorum ex adipe indulgetur, butyro quoque per modum condimenti uti liceat ».

Atque omnibus sedulo perpensis, habitis etiam prae oculis latis antea a S. Sede hac super re decisionibus, decreverunt: « Supplicandum SSmo pro gratia ».

Sequenti vero feria VI. die 15 eiusdem mensis SSmus D. N. Leo div. prov. Pp. XIII, in audientia r. p. d. Adsessori S. Officii impertita, benigne annuere dignatus est pro gratia iuxta Emorum Patrum suffragium.

I. Mancini, *S. R. et U. I. N.*

QUAESTIO.

De ordine sedendi in sessionibus synodalibus.

Gelasius clericus invenit Opilium caeremoniarium diligenter intentum ad ordinem praecedentiae statuendum, pro clero adfuturo proximae Synodo dioecesanae. Subridens porro, sic eum alloquitur: noli quaeso tempus et atramentum terere in his rebus parvi faciendis omnino, non tantum quia contradicunt aspirationibus democraticis nostrae aetatis, sed eo magis quia non conveniunt cum Evangelio prohibente, ne primas sedes contendamus in conciliis. Desine ergo a labore incepto et prima synodali sessione fac ut legatur decretum de praeiudicio non inferendo, ac postea sinas ut

quicunque sedeat ubi melius placuerit. Opilius autem non parum implicatus, tibi quaerit: 1. Quid respondere debeat Gelasio? 2. Qualis ordo praecedendi servandus sit tam in congregationibus praeparatoriis coram Episcopo, quam in sessionibus synodalibus?

SOLUTIO.

Gelasio respondebit Opilius, quod cum in notione *Societatis* evanescere nequeat idea principis et subditorum, dirigentis et directorum, necessario etiam in hodiernis democraticis aspirationibus numquam auferri poterunt debitae distinctiones honorificae, quibus omnis societas diversis ordinibus regentium honorem exhibet.

Neque aliquid valet Gelasio evangelicum monitum proferre: *nolite quaerere primas sedes in sinagogis;* quia per hoc aureum monitum Salvator noster interdicere voluit ambitionem illorum qui primas sedes quaerunt, non vero modestiam acceptantium etiam primas sedes, cum ipsae eorum dignitatem deceant.

Ceterum Christus Dominus alibi dixit: *obedite praepositis vestris et subiacete eis*; et: *reddite omnibus debita...... cui honorem, honorem.*

Quam ob rem Catholica Ecclesia, cum ordinata societas sit, iure meritoque convenientes distinctiones determinavit pro variis ordinibus suae hierarchiae, ut per externas honoris caeremonias et praecedentias, internae observantiae sensus exprimantur. Nemo autem ignorat, quod, ut summae dignitatis fastigium in superbiam non inducat novum Pontificem, ante illum stipulam siccam incendi iubet exclamando: *sic transit gloria mundi.* Item in Feria V maioris hebdomadae, praescribit ut praelati pauperum pedes lavent. Nihil ergo in praecedentiae legibus, quas Ecclesia praescripsit, inordinati vel contra spiritum Evangelii habetur.

Sed errat quoque Gelasius, cum suggerit Caeremoniario Opilio, ut sinat Sacerdotes in Synodo, sedes prout ipsis placet, occupare, contentus lectione decreti *de praeiudicio nemini*

inferendo; nam decretum hoc legitur ad cautelam ut nemo, qui fortuito locum superiorem occupet, non inde ius aliquod acquirat, et viceversa; alioquin, primas sedes post Episcopum Capitulo Cathedralis negare posset Caeremoniarius, illa fretus ratione, quod praedictum decretum omnem quaestionis locum e medio tollit. Sedes ergo iuxta leges praecedentiae disponat Opilius, et solummodo in casu erroris, decretum *de praeiudicio non inferendo*, iura cuiusque servabit.

Nunc itaque ad secundum nostri casus quaesitum deveniamus. Qualis ordo praecedendi servandus est tam in congregationibus praeparatoriis coram Episcopo, quam in sessionibus synodalibus?

Pro congregationibus coram Episcopo, observandum venit, quod omnes consultores in eis intersunt uti *singuli*, etiam quando plures ex illis eiusdem corporis, seu capituli, essent membra; dum in synodalibus sessionibus omnes qui adsunt, simul cum sodalibus et fratribus corpus constituunt.

Quapropter, iuxta Gavantum, cuius doctrinam in hac re suam fecit S. R. C. in congregationibus *coram Episcopo* hic ordo sequendus erit.

1, Vicarius Generalis, etiamsi in minoribus ordinibus existeret. 2. Abbates. 3. Praelati Pontificii. 4. Protonotarii Apostolici, *ad instar*. 5. Iidem titulares. 6. Dignitates Cathedralis. 7. Dignitates Collegiatarum insignium. 8. Dignitates Collegiatarum non insignium. 9. Canonici Cathedrales. 10. Canonici Collegiatarum insignium. 11. Canonici Collegiatarum non insignium. 12. Parochi Civitatis. 13. Parochi dioecesis. 14. Beneficiati residentiales. 15. Beneficiati simplices. 16. Sacerdotes simplices. 17. Diaconi, Subdiaconi etc.

In sessionibus Synodalibus e contra, Capitulum Cathedralis primum locum tenet cum Episcopo, cum quo unum corpus efficit, testante Benedicto XIV (*de Synodo, lib. 3, c. 10*). II locus assignatur Vicario Generali, qui Capitulum solummodo praecedit quando hoc non est paramentis indutum. III locus datur Abbatibus, Praelatis, et Protonotariis. IV assignatur Canonicis Collegiatarum urbis, et V Collegiatarum in dioecesi existentium, inter quas insignes praecedunt non

insignibus, et antiquiores, minus antiquis, etiamsi minus antiqua honorificentiores habeat vestes (*S. R. C. 8 Maii 1700.* Ferraris *Bibliot. n. 19*). VI locus assignatur Parochis Civitatis et Suburbanis. VII locus Vicariis foraneis. VIII Parochis dioecesis. IX Oeconomis spiritualibus. X Beneficiatis. XI Sacerdotibus etc. Inter autem eiusdem corporis membra, praecedentia desumitur a prioritate institutionis. Iuxta vero consuetudines dioecesum, inter Parochos praecedunt Archipresbyteri, vel Praepositi. In dioecesi Placentina scimus ex. gr. Archipresbyteros praecedere Praepositis, eo quod in signum honoris, Episcopi plurimos praepositos tituli archipresbyteri decorarunt; ergo.

Error typographicus.

Fasc. VI., mense Iunio huius anni pag. 420 legitur: « 4.° Demum supra satis probatum esse » arbitror, quod Festum Patrocinii S. Ioseph, Do» minicae affixum, in Ordine Minorum Cappuc» cinorum *considerari debeat, non minus* quam » Festum S. Ioachim et Solemnitas Ss. Rosarii » pro tota Ecclesia, tamquam Festum *de praecepto* » *quoad forum...* » ; ita corrige: « *nullo modo con*» *siderari possit, nec magis quam Festum* etc. »

IMPRIMATUR
P. Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A
Magister.

—

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriarc. Antiochiae.
Vicesgerens.

Proprietas literaria

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896.

SACRA RITUUM CONGREGATIO

MONITUM. In fasciculo mensis elapsi, Decreto 19 Maii 1896, a SS. D. N. confirm. 8 Iun. eiusd., post verba: *iisdem in casibus decantatur*, addatur: **exceptis duplicibus primae classis et Festis de praecepto.**

I.

DECRETUM.

Instantibus nonnullis Rm̃is Episcopis pro resolutione authentica aliquorum dubiorum consecrationem Ecclesiae respicentium, Sacra Rituum Congregatio, suffragia unius et alterius tum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum ex Sacrae ipsius Congregationis Consultoribus, necnon cl. cuiusdam professoris in Iure Canonico, exquisivit et typis edenda curavit. Hinc Em̃us et Rm̃us Dñus Cardinalis Franciscus Segna in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, eadem dubia discutienda ita proposuit, nimirum:

I. An Ecclesia, in cuius consecratione omissa fuit consecratio Altaris, habenda sit valide consecrata?

II. Utrum Ecclesia, e cuius parietibus vel partim, vel integre disiicitur simul incrustatio, vulgo *intonaco,* ut renovetur, consecrata maneat, vel execrata?

III. An Altare, sive fixum sive portatile, enormiter fractum, sed firmiter coementatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum, valide ac licite consecrari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, propositis dubiis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, nempe valide; sed non licite, nisi habeatur Apostolica dispensatio, quamvis aliqua, vel omnia Altaria iam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur.

Ad II. Ecclesia consecrata remanet, quamvis in eius parietibus opus tectorium sit renovatum.

Ad III. Negative; scilicet non potest Altare, de quo fit mentio, valide ac licite consecrari. Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die 8 Iunii, eodem anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

II.

DUBIUM.

Per decretum S. C. Indulg. die 22 Aprilis 1742 editum et in Actis S. Rituum Congregationis exhibitum die 29 Ianuarii 1746, ubicumque Festum S. Aloisii Gonzagae Conf. cum solemnitate fieri

contigerit, dies pro eodem Festo, in singulis Ecclesiis et Oratoriis, a R̃mis locorum Ordinariis opportune designanda permittitur, cum extensione, ad praedictam diem, indulgentiae plenariae a Christifidelibus in forma Ecclesiae consueta lucrandae, et Officii et Missae propriae de ipso Angelico Iuvene a clero peragendae. Hinc a nonnullis ecclesiasticis Curiis postulatum fuit: « Utrum, iuxta praxim Sacrae Rituum Congregationis, omnes Missae propriae de Sancto Aloisio celebrari valeant qualibet die a R̃mis Ordinariis, ut in casu, designata? » Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, reque mature perpensa, rescribendum censuit: *Affirmative:* dummodo non occurrant Duplex primae classis et Dominica privilegiata item primae classis quoad Missam solemnem; et etiam Duplex secundae classis, nec non Dominicae, Feriae, Vigiliae, Octavaeque privilegiatae quoad Missas lectas; neque omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit onus; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 27 Iunii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefect.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

III.

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM.

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de consensu sui Adm.

R. P. Ministri Provincialis ac Rmi P. Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem humillime flagitavit; nimirum:

I. An festum mobile vel immobile, quod de Apostolica Venia extra diem suam assignatum fuit vel permissum fuit celebrari ob perpetuum impedimentum, cessante hoc impedimento, diei suae restitui debeat, iuxta decretum in *Neapolitana* 18 Octobris 1818, ad 8?

II. Utrum in festis secundariis dignitas personalis attendenda sit in concurrentia, quando eiusmodi festa quoad ritum et reliqua aequalia sunt?

III. Quando, eadem die duo festa occurrunt, unum fixum seu immobile et alterum mobile, ceteris paribus, quodnam ex iis transferri debet, si translationis privilegio gaudeat?

IV. Festum translatum S. Barnabae Apost. estne adhuc celebrandum iuxta ordinem temporis ante alia festa eiusdem ritus?

V. An, occurrente die 16 Ianuarii festo primario et immobili Ss. Martyrum Ordinis Minorum Berardi et Sociorum cum festo secundario et mobili eiusdem 2.ae classis Dominicae II post Epiphaniam affixo scil. SS. Nominis Iesu, huic praeferentia debeatur?

VI. An obtento indulto transferendi particularia Officia Dominicis aut feriis affixa, si haec accidentaliter vel perpetuo impediantur transferri valeant ac debeant in primam insequentem diem liberam, tanquam in sedem propriam?

Et Sacra eadem Congregatio referente subscripto Secretario atque audito voto Commissionis Liturgicae rescribendum duxit:

Ad. I. et II. *Affirmative.*

Ad III. *Servetur Decretum in Viglevanen. 21 Februarii 1896 ad 1.*

Ad IV. *Affirmative, et servetur Decretum in una* Viennen. *in Austria 22. Septembris 1703 ad 10.*

Ad V. *Negative, et servetur Decretum Generale 2 Iulii 1893.*

Ad VI. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 27 Iunii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

IV.

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM.

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek, calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de licentia sui Adm. R. P. Ministri Provincialis, et Rm̃i P. Procuratoris Generalis, sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi demississime subiecit; nimirum:

I. An Indultum fel. rec. Pii Papae VI, die 30 Augusti 1794 datum et Bullario FF. Min. S. Francisci Capuccinorum, tom. IX, pag. 225 insertum, etiam extendatur ad festum S. Jacobi de Marchia, Conf. ritus duplicis 2.classis?

II. An in particularibus Calendariis Ordinis Min. Capuccin. prohibitum sit diei 1 Decembris, quae libera est in Calendario Universi Ordinis,

fixe apponere Officium sua die ob occurrentiam perpetuo impeditum?

III. Et quatenus negative ad 2., an Officium diei 1 Decembris affixum, quod esset ritus inferioris, imo et aequalis sed minoris dignitatis, ab illa die amoveri debeat si translationis privilegio polleat, ut locum suum cedat festo accidentaliter impedito, sive S. Iacobi de Marchia, sive Omnium Sanctorum Ordinis, sive S. Andreae Apostoli?

IV. Ubi Festum Ss. Cordis Iesu, vel Purissimi Cordis B. Mariae Virginis est titulus Ecclesiae, utriusque festi Octava tum quoad Officium tum quoad commemorationem postponendane est Octavis festorum Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli?

V. Secundae Vesperae *festi* Ss. Cyrilli et Methodii Ep. et Conf. dupl. min. concurrentis cum die octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli, vel *festi* primarii dupl. min. sive translati, sive non, concurrentis cum primis Vesperis Octavae festi Omnium Sanctorum suntne dimidiandae, vel dicendae de sequenti cum commemoratione praecedentis?

VI. Utrum in secundis Vesperis diei Octavae Corporis Christi, Vesperae dicendae sint de festo SS. Cordis Iesu, sine commemoratione praecedentis, in Ecclesia ubi hoc festum est titulus et proinde primarium per accidens?

VII. An *Commemoratio* S. Pauli Apostoli ubi est impedita, privilegio gaudeat translationis super aliis Officiis duplicis maioris antea translatis, sive primariis, sive secundariis?

VIII. Quodnam Calendarium sequi debeant illi, qui praedicationis vel alia ex rationabili causa per aliquot dies a suo conventu absunt?

IX. Quale temporis absentiae a Conventu spatium requiratur, ut praedicti sequi teneantur Provinciae Calendarium?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis rescribendum censuit:

Ad. I. *Servetur Rubrica specialis Breviarii Ord. Min. Capuccin. recenter approbati, typisque Salviucci 1894 editi.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Provisum in secundo.*

Ad IV. *Affirmative iuxta Decretum* Urbis *22 Maii 1896 ad III.*

Ad. V. *Quoad concursum duplicis minoris cum die octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli servetur Rubrica specialis dicti Breviarii: quoad concursum vero duplicis min. primarii cum Octava festi Omnium Sanctorum, affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad VI. *Negative, et servetur Decretum* Urbis et Orbis *datum die 28 Iunii 1889.*

Ad. VII. *Negative, et servetur Rubrica Gen. Breviarii Romani, tit. X. De Translat. festorum, n. 7: uti et Decretum Gen. super primariis et secundariis Festis.*

Ad VIII. *Si in choro, standum Calendario Coenobii, apud quod Religiosi hospitantur: si privatim, servandum Calendarium Coenobii, e quo discesserunt.*

Ad IX. *Consulantur probati auctores.*

Atque ita rescripsit. Die 27 Iunii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. A. TRIPEPI *Secretarius.*

V.

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM.

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek, calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de consensu sui Adm. R. P. Ministri Provincialis, ac R̃mi P. Procuratoris Generalis Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit ut sequentia dubia resolvere dignaretur; nempe:

I. An ubi die 18 Augusti festum agitur alicuius Sanctae Virginis et Martyris cum Missa *Loquebar* aut *Dilexisti*, SECRETA vel POSTCOMMUNIO S. Agapiti M. in casu commutanda, desumenda sit ex Missa *In virtute* aut ex alia *Laetabitur?*

II. An licitum sit absque peculiari obtento Indulto, ad diem 30 Decembris fixe apponere Officium ritus vel semiduplicis, vel duplicis vel potioris, per annum ante diem 30 Decembris celebrandum, quod tamen ob occurrentiam perpetuam sua die perpetuo impeditur?

III. Quando plura simul Provinciae et unius alteriusque Conventus Officia particularia fixe sunt transferenda, utpote sua die perpetuo impedita, quaenam prius transferenda seu assignanda sunt?

IV. Ubi unus tantum Sacerdos quoad Missae celebrationem, addictus sit Oratoriis competenti auctoritate erectis in Gymnasiis, Hospitalibus ac Domibus quarumcumque piarum Communitatum; hic si saecularis teneturne sequi Calendarium Dioecesis in qua extat Oratorium, et si regularis Calendarium Ordinis si proprio gaudeat; et si ali-

quando celebrent extranei, hi debentne se conformare Calendario Sacerdotis eiusmodi Oratoriis addicti?

V. Utrum in Ecclesiis et Oratoriis Monialium aut Religiosarum quae chorale Officium habent quilibet Sacerdos Missam Conventualem seu solemnem celebrans, Officio earundem conformem semper dicere teneatur?

VI. An in casu quo unus dumtaxat Sacerdos apud praefatas Moniales seu Religiosas celebret, possit ipse diebus semiduplicibus vel ferialibus semper seu saltem aliquando, loco Missae diei currenti conformis, celebrare Missam Votivam vel de Requie?

VII. Utrum idem Sacerdos apud dictas Moniales vel Religiosas, Missam Conventualem ante vel post Primam celebrare valeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Secreta et Postcommunio sumantur in casu e Missa* Laetabitur, *quae in recentioribus editionibus Missalis assignatae sunt pro S. Agapito M.*

Ad II. *Affirmative, de consensu Ordinarii, si agatur de duplici.*

Ad III. *Calendarium cuiusque Provinciae redigatur super Calendario perpetuo Ordinis: calendarium vero cuiusque Coenobii super Calendario respectivae Provinciae.*

Ad IV. *Affirmative in omnibus, si Oratoria habenda sint ut publica: secus negative.*

Ad V. et VI. *Servandum Generale Decretum 9 Decembris 1895.*

Ad VII. *Missa Conventualis celebranda est horis a Rubrica statutis.*

Atque ita rescripsit. Die 27 Iunii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius.*

VI.

DECRETUM GENERALE

Orationum et Sequentiae in Missis Defunctorum.

Ut omne tollatur dubium super Orationibus et Sequentia dicendis in Missis Defunctorum, Sacra Rituum Congregatio declarat:

I. Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu diebus III, VII, XXX, et die anniversaria, nec non quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis.

II. In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures esse dicendas Orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quae inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.

III. Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant; eodemque ordine quo sunt inscriptae.

IV. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere Orationes Celebranti placuerit, uti Rubricae potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et Orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato.

V. Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus ut supra privilegiatis fiunt: in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis iuxta Rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30 Junii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI, S. R. C. *Secretarius.*

VII.

DECRETUM.

Cum per plura particularia Decreta iam alias edita, S. Rituum Congregatio declaravit, in eadem Ecclesia eademque die plures non posse cantari Missas de eodem officio; in praesenti, ut plurium votis satisfaciat, opportunum ac propemodum necessarium iudicat ulterius declarare, quemadmodum reapse declarat: Plures Missas de eodem Sancto vel Mysterio in eadem Ecclesia prohibitas,

illas esse quae, praeter conventualem nunquam in Collegialibus Ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Quapropter praefatas Missas sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non esse vetitas. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30 Iunii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefect.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

VIII.

STRIGONIEN.

R. D. Theophilus Klinda, redactor Calendarii Strigoniensis, de consensu Emi ac Rmi sui Archiepiscopi ac Primatis Regni Hungarici, a Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

I. An tertia Oratio dicenda *ad libitum Sacerdotis* seligi possit ex Missa in Anniversario electionis seu consecrationis Episcopi, et quatenus affirmative: Utrum haec eadem Oratio, uti Collecta, loco tertiae ad libitum imperari valeat Ordinario loci aegrotante, aut die natali vel onomastica eiusdem recurrente?

II. Sacra Rituum Congregatio saepius declaravit, Missas proprias de Festivitatibus Beatae Mariae Virginis celebrari non posse tanquam votivas, nisi infra earum Octavas quas habent; hinc

quaeritur: « An Missa SSm̃i Rosarii B. M. V. eximatur ab hac regula et, mutatis mutandis, celebrari valeat uti votiva; et mense Octobri etiam extra Sabatum, ratione cuiusdam solemnitatis, recitari in huiusmodi Missa votiva possit *Gloria*?

III. Evulgatum S. Rituum Congregationis Decretum *Urbis et Orbis* die 9 Decembris 1895, quo firma ac certa norma pro celebranda Missa in aliena Ecclesia constituta est, patiturne aliquam exceptionem adeo ut liceat Missam Officio Proprio ritus classici convenientem celebrari aut saltem Symbolum eiusmodi Officio conformi addi, quando in primo et altero casu idem sit color Officii Proprii ac Officii alienae Ecclesiae?

IV. Sacra Rituum Congregatio die 30 Augusti 1892 in *Strigonien.* ad VIII. declaravit Missas feriarum maiorum non esse votivas, sed de die; quare celebrari possunt etiam in festis semiduplicibus: quae sententia confirmatur Decreto Generali 9 Decembris 1895; modo quaeritur, utrum haec concessio adhiberi possit non solum in semiduplicibus, sed etiam in duplicibus, ita ut extra chori obligationem, ubi duo aut plures Sacerdotes in una eademque Ecclesia celebrant, unus de festo duplici, alter de feria Sacrum facere valeat?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto alterius ex ipsius Sacrae Congregationis Consultoribus, re maturo examine perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et detur Decretum 17 Augusti 1709 in Bergomen. ad III.*

Ad II. *Negative in omnibus, iuxta Decretum in Neapolitana, 23 Februarii 1884, Dub. V.*

Ad III. et IV. *Negative.*

Atque ita rescripsit. Die 3 Iulii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. A. TRIPEPI, *Secretarius.*

IX.

STRIGONIEN.

R. D. Theophilus Klinda, redactor Calendarii Archidioeceseos Strigoniensis, assentiente Emo et Rmo suo Archiepiscopo, Primate Hungariae, Sacram Rituum Congregationem pro sequentium Dubiorum resolutione enixe rogavit; nimirum:

I. Commemoratio SSmi Sacramenti facienda in Missa coram SSmo exposito, servatis Rubricis, non excluditur in Festis Domini, iuxta Decreta, dummodo non versetur in eodem Mysterio; quaeritur: « An praedicta Commemoratio omittenda sit in Festis et infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Circumcisionis et Transfigurationis Domini; itemque in Festis SS. Nominis Iesu, SS. Redemptoris et Passionis Domini, prouti ex Decretis omittitur in Festis SS. Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis? »

II. Iuxta Rubricas et Decreta Missa votiva solemnis de Patrono transferendo, infra Octavam Paschae et Pentecostes, praeter Feriam II. et III. celebrari potest, non omissa Conventuali aut Parochiali Missa de die, ubi eam celebrandi adsit obli-

gatio; quaeritur num talis Missa votiva solemnis de Patrono transferendo decantari valeat in Dominica Passionis, in Albis et SSmae Trinitatis?

III. Festum classicum particulare v. gr. Tutelaris Ecclesiae aut Patroni loci, occurrens diebus infra Octavam privilegiatam ac proinde ab Officio occurrente impeditam, potestne eo anno transferri ad primam diem immediate post Octavam et impeditam, translato inde Festo alio occurrente, si transferri potest, sin vero, hac vice, simplificato aut omisso?

IV. Recentiores Editiones Proprii Hungariae Symbolum in Missa S. Ladislai Conf. Regis recitandum praescribunt; quaeritur: An ab Editione, quae mox adornabitur, expungenda sit in dicta Missa Rubrica: *Et dicitur Credo?*

V. In Oratione Festi S. Ioannis Eleemosynarii Ep. Conf., non obstante Decreto d. d. 25 Septembris 1852, legitur pronomen: *Eleemosynarii;* hinc quaeritur, utrum hoc pronomen supprimendum sit in nova Editione Proprii Hungariae?

VI. Quum in plurimis Ecclesiis, die festo S. Marci Evangelistae celebretur unica tantum Missa Rogationum, quaeritur, utrum ea omnino debeat cantari, an possit esse lecta; et 2.° an in ea Missa fieri debeat Commemoratio Festi S. Marci aut Dominicae in Albis, quae proximo futuro anno occurret?

VII. Feria IV. Rogationum, quae est Vigilia Ascensionis Domini, in Missa Rogationum, quae unica in eadem Ecclesia celebratur cum Commemoratione Festi occurrentis fierine debet etiam Commemoratio Vigiliae necnon lectio Evangelii eiusdem Vigiliae in fine?

VIII. Dominica III. Adventus quomodo concludendi sint Hymni, et quale sit dicendum Responsorium breve *ad Primam* infra Octavam Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto unius ex eiusdem Sacrae Congregationis Consultoribus, rescribendum censuit:

Ad I. *Commemorationem SSm̃i Sacramenti, ob identitatem Mysterii, solummodo omittendam esse in Festis Passionis, Crucis, SSm̃i Redemptoris, SSm̃i Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative, sine speciali Indulto S. Sedis.*

Ad IV. et V. *Affirmative.*

Ad VI. quoad primam quaestionem: *Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam iuxta Decretum 14 Augusti 1858 in Briocen.* ad III; quoad alteram quaestionem: *Affirmative et detur Decretum 29 Maii 1846 in Tuden. ad II.*

Ad VII. *Negative ad utrumque.*

Ad VIII. *Hymni concludi et* ℣. *ad Primam dici debent:* « Iesu tibi sit gloria » *et* « Qui natus » *iuxta editionem typicam Breviarii Romani.*

Atque ita rescripsit. Die 3 Iulii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi *Secretarius.*

X.

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM.

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek, Calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de consensu sui admodum Rev. P. Provincialis et Rm̃i P. Procuratoris Generalis eiusdem Ordinis, a Sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum solutionem humillime rogavit; nimirum:

I. Utrum Beatorum Officia, ubi sunt indulta, iisdem subiaceant Rubricarum normis super translatione Festorum, quibus Officia Sanctorum?

II. Dum Sedes Apostolica praescribit aut permittit novum Officium eique assignat diem, qua Festum celebrandum est, si antiquum Officium die propria seu natali fiat, debetne cedere novo Officio, quod est dignius et die propria seu natali peragitur?

III. 1. An, attentis Sacrae Rituum Congregationis Decretis pro Ordine Minorum Capuccinorum 4 Decembris 1894 et 22 Aprilis 1895, sustineri valeat opinio, omnia universo Ordini Capuccinorum concessa particularia Officia mobilia Dominicis aut Feriis affixa, quando sua die accidentaliter impediantur, absque speciali Indulto transferri posse, servatis Rubricis; quasi recensenda forent inter Officia ex praecepto agenda, utpote verbis non facultativis sed praeceptivis concessa? Et quatenus affirmative, an idem dicendum sit si agatur non de Breviario, sed de Calendario a Sancta Sede approbato?

2. In universo Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, die 5 Octobris, ritu duplici celebratur Commemoratio Omnium Fratrum Defunctorum Ordinis, eademque die in Breviario ipsius Ordinis illa Rubrica de Officii Defunctorum recitatione legitur, quae habetur in Breviario Romano ad diem II Novembris; hinc quaeritur, utrum Fratres Minores Capuccini etiam extra chorum in recitatione privata teneantur praedicta die 5 Octobris ad recitationem Officii Defunctorum, et quidem sub eadem obligatione gravi, qua idem Officium die II Novembris praecipitur in universa Ecclesia?

3. An non tantum Minores Capuccini, sed etiam alii Regulares proprio Breviario vel Calendario utentes, ad chorum addicti vel non addicti, si degant in loco, ubi iam celebrant Patronum Loci, teneantur insuper celebrare Patronum Provinciae et Regni et Dioecesis?

4. Utrum Minores Capuccini et praedicti Regulares, habitantes in Civitate Bruxellensi, in Belgio, debeant ibidem sub ritu duplici primae classis absque Octava, celebrare una cum Clero Saeculari vel Festum S. Gudilae Virg. die 8 Ianuarii, vel tantummodo Festum Dedicationis S. Michaëlis Archangeli die 29 Septembris, vel utrumque Festum, quia duo illi Sancti habentur ut Patroni quasi aeque principales Civitatis Bruxellensis et Ecclesiae Collegiatae et a toto Clero saeculari Bruxellensi sub ritu duplici primae classis cum Octava recoluntur?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Servetur Decretum d. d. 30 Iunii 1896.*

Ad III. Quoad 1. *Affirmative ad utrumque.* — Quoad 2. *Affirmative.* — Quoad 3. *Servetur Decretum in una Ordinis Minorum de Observantia 20 Martii 1683 ad VII.* — Quoad 4. *Regulares tenentur ad celebranda Patronorum Festa, quae cum feriatione recoluntur.*

Atque ita rescripsit. Die 10 Iulii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *Secretarius*

XI.

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM.

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek, Calendarista Provinciae Belgicae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, de licentia admodum Rdi sui Provincialis et Rmi P. Procuratoris Generalis eiusdem Ordinis, Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut sequentia Dubia resolvere dignaretur; nempe:

I. Sacra Rituum Congregatio die 16 Septembris 1893 Ordini Minorum Capuccinorum concessit, ut Officia, quae privilegio translationis fruuntur et sunt accidentaliter impedita, nec tamen in dies liberas intra annum reponi possunt, quia huiusmodi dies deficiunt, transferri valeant in dies Festorum semiduplicium, ipsis semiduplicibus ad ritum simplicium redactis, dummodo nulla dies libera omittatur. Hinc quaeritur:

1. An extet aliqua lex statuens ordinem, quo praedictae translationes fieri debeant in semiduplicia?

2. An fieri debeant in proximiora Festa ritus semiduplicis iuxta Decretum in Pisauren. 12 Novembris 1814?

3. Utrum curandum sit, ut quolibet mense una saltem dies libera supersit Festi semiduplicis pro Missis Votivis, vel de Requie pro defunctis?

4. An Festum duplicis minoris, quod transferri potest, uti S. Ecclesiae Doctoris, et sua die accidentaliter impeditur, transferri valeat in dies II Novembris et V Octobris, quibus diebus fit solemnis Commemoratio sive Omnium Fidelium Defunctorum, sive Omnium Fratrum Defunctorum Ordinis Minorum Capuccinorum?

5. Quando plura et diversa sunt in Directorio Officia, sua die accidentaliter impedita, transferenda pro Conventibus respectivis, an tunc pro hoc illove Conventu, antequam reponantur, liceat nonnulla Festa ritus semiduplicis eum in finem omittere, ut in omnibus Conventibus, quantum fieri potest, eadem die recolantur Officia translata?

II. 1. Regulares in Belgio et Gallia commorantes, qui die determinata ex Apostolica concessione celebrant, sub ritu duplici primae classis cum Octava, Dedicationem Omnium Ecclesiarum proprii Ordinis, debentne, iuxta Decretum Cardinalis Caprara, una cum Clero saeculari die Dominica post Octavam Omnium Sanctorum celebrare Dedicationem omnium Ecclesiarum Ditionis sub ritu duplici primae classis cum Octava?

2. Et quatenus affirmative ad 1^{um}, quanam die debent praedictum Festum celebrare, si in Dioecesi in qua morantur alia die ac Dominica, immediate insequenti Octavam Omnium Sanctorum, celebraretur ex Apostolica derogatione facta Decreto Cardinalis Caprara?

3. Regulares praedicti, qui tamen die aliqua determinata non celebrant Dedicationem Omnium Ecclesiarum proprii Ordinis, quanam die debent Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ditionis, celebrare, si in Dioecesi, in qua morantur, haec Dedicatio alia die celebraretur ac Dominica immediate insequenti Octavam Omnium Sanctorum?

III. 1. An Regulares proprio utentes Calendario vel Breviario teneantur in Dioecesibus antiquae Provinciae Ecclesiasticae Mechliniensis in hodierna Dioecesi Tornacensi et in Archidioecesi Cameracensi se conformare Clero saeculari in iis, quae, quoad celebrationem et translationem Festi Annuntiationis, statuta sunt vel per Concilia Provincialia ab Apostolica Sede approbata vel per Decreta particularia Sacrae Rituum Congregationis?

2. Utrum iidem Regulares in supradictis Dioecesibus sese conformare Clero saeculari debeant in iis, quae super celebratione et translatione Festi S. Marci, Litaniis Maioribus ac abstinentia a carnibus statuta sunt ex Decretis particularibus, ab ipsa S. Sede approbatis?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae rescribendum duxit:

Ad I. *Affirmative ad 1, et praestantiora Officia, ut aliis praeferantur, in proximioribus die-*

bus sunt reponenda, quamvis in his Duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus sedibus liberis postea subsequentibus, in quas alia minus solemnia Officia transferantur.

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *Affirmative iuxta alias decreta.*

Ad 4. *Affirmative.*

Ad 5. *Negative in omnibus.*

Ad II. *Negative ad 1; et servetur Decretum « Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Hollandicae », d. d. 22 Iunii 1895 ad II.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *Recurrant in casu particulari.*

Ad III. quoad 1: *servetur Decretum Generale « Urbis et Orbis » d. d. 27 Maii 1895 circa Festum Annuntiationis, eiusque translationem sive quoad Festum sive quoad Officium: per illud nihilominus non derogatur particularibus locorum concessionibus.*

Quoad 2. *Relate ad Festum S. Marci Ev. eiusque translationem servetur Calendarium Ordinis approbatum die 27 Augusti 1893 et Breviarium pariter approbatum die 4 Decembris 1894. Si autem Decreta particularia, de quibus fit mentio, comprehendant ex consuetudine Regulares, ab his serventur: secus stetur Rubricis.*

Atque ita rescripsit. Die 10 Iulii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. A. TRIPEPI *Secretarius.*

ARCHAEOLOGIA SACRA

XV.

De Coemeteriis veterum christianorum quae Romae extant.

(Confer dissertationem praecedentis mensis).

COEMETERIA MINORA

In via Salaria Vetere,

Coemeterium S. Pamphili situm est, ubi praeter hunc martyrem, cuius acta ignorantur, conditi sunt Candidus et Quirinus. Bosius omnium primus locum detexit sub finem saeculi decimi sexti. Memoratur ecclesia S. Pamphili in monte prope Tibur, uti ex documento apocrypho Gregorii I Papae pro monasterio Sublacensi (1). In — Epitome de locis Sanctorum Martyrum — legimus: *In occidente iuxta viam* (2) *in cryptis sub terra LXXX gradibus s. Pamphilus et s. Candidus sanctusque Cyrinus cum multis martyribus iacet.*

Ibi iscriptiones super parietem delineatas repertae sunt, in quibus notatur consulatus Flavii Philippi et Salliae, id est annus 348, et Flavii (Palladii Rutilii) Tauri et Flavii Florentii, seu annus 361. Id autem notatu dignum est quod coemeterii huius quasdam picturas non peritus artifex confecerit, sed rudis admodum auctor, sive fossor sive puer quidam fuerit, quae Veteris et Novi Testamenti narrationes respiciunt. Inter caeteras intuemur simulacrum supra basim

(1) Reg. Sublac. Doc. 216 anni 594.

(2) Idest Salariam veterem.

erectum quod quidam saxo percutit, dum alius, fune ad collum eius alligata, humi deijcere conatur. Quod quidem indicat satis aperte idolorum deiectionem per triumphum nominis Christi.

Coemeterium S. Hermetis non longe extat sinistrorsum, de quo etiam Itineraria loquuntur, ubi eius basilica fuerat aedificata. Locus varios cryptarum ordines complectitur, nec brevi spatio continetur, quamvis inter coemeteria minora recenseatur. Hermes, iuxta acta parum sincera S. Alexandri I Papae, fuit Praefectus Urbi ab ipso Pontifice baptizatus. Attamen, quamvis omnino sinceritatem minime redoleant, personae de quibus loquuntur verae sunt non fictae.

Iuxta codicem Willelmi Malmesburiensis aliaque Itineraria, ibi sepulti iacebant *s. Vasella* (lege Basilla) *et Protus et Iacintus*, *Maximilianus*, *Herculanus*, *Crispus*. Itinerarium Salisburgense addit et Victorem martyrem; et Epitome de locis SS. Martyrum sanctum Leopardum.

Proti et Hyacinti sepulcrum duplici carmine Damasus ornaverat, quorum unus memorat cryptam martyrum insignem maceriis oppletam, restitutam tandem atque ornatam ab eo fuisse, opera et sumptibus Theodori Praesbyteri. Illud legendum profero.

ASPICE DESCENSVM CERNES MIRABILE FACTVM
SANCTORVM MONVMENTA VIDES PATEFACTA SEPVLCHRIS
MARTYRIS HIC PROTI TVMVLVS IACET ATQVE IACINTI
QVAE CVM IAMDVDVM TEGERET MONS TERRA CALIGO (1)
HOC THEODORVS OPVS CONSTRVXIT PRESBYTER INSTANS
UT DOMINI PLEBEM OPERA MAIORA TENERENT.

(1) Ipsi probabiliter Christiani, aetate dirae persecutionis, sepulcrum martyrum terrâ tegerunt ne ab ethnicis corpora eorum raperentur inique et disperderentur.

Hi fratres igne martyrium subiere sub Valeriano, eo quod eorum ossa adusta reperta sint, uti probatum est anno 1845, quo vir clarissimus P. Marchius ossa Hyacinthi detegit, quae lapis ex marmoreum inscriptione tegebat (1). Etiam, tunc temporis, lapis Damasianus inventus est cui incisa haec erat inscriptio — SEPULCRUM PROTI martyris — Cryptam eandem Symmacus Papa restauravit, ex testimonio Libri Pontificalis, ac versibus ornavit, nec non Leopardus Praesbyter (2), iuxta inscriptionem quam Codex Einsidlensis

Epitaphia multa ex hoc coemeterio eruta sunt tum graece tum latine conscripta; multas item picturas sacras ornatusque varios, de quibus fuse loquuntur Bosius, Marchius et De Rossi, inspicere datum est.

Ex pittaciis ampullarum ac indice oleorum quae Iohannes refert.

Abbas, tempore Gregorii Magni, Theodolindae reginae detulit, scimus, saeculo sexto, adhuc lucernas accensas permansisse ad sepulcrum Hermetis via Salaria vetere, cum ex his dictus Iohannes oleum sumpserit. Et alia multa de coemeterio Hermetis brevitatis gratia omittimus. Huic proximum extat

Coemeterium ad septem Columbas, fere totum inexploratum (3) prope clivum qui ad flumen Tyberim ducit, quem *Clivum Cucumeris* dicunt (4). Coemeterium appellatum est etiam *ad caput S. Ioannis*, seu Iohannis Praesbyteri, passi sub Iuliano Apostata, qui plurimorum martyrum, praesertim militum, corpora sepulturae dedit, dum Claudii Gothici ac Iuliani ipsius persecutio saeviret. Huius venerabile caput,

---

(1) Eius reliquae inventae religiose asservantur in sacello oratorii Collegii urbis Romae de Propaganda fide.

(2) Vixit sub finem saeculi quarti ac initium sequentis.

(3) Situm est versus viam quae dicitur *Acqua Acetosa.*

(4) Haec appellatio non recens, sed antiqua est.

a corpore seiunctum, colebatur sub altari in basilica ei dicata supra idem coemeterium.

De ipsa sermo est in *Epitome de locis SS. Martyrum* hoc modo: *Inde non longe est in occidente eccl. s. Iohannis m. ubi caput eius in alio loco sub altare ponitur; in alio corpus.* Hoc in arenario depositi etiam sunt viginti tres martyres, passi die quinta Augusti, quorum fit mentio in actis Abundii et Abundantii, quos Theodorus et Iohannes praesbyter, forsan ille qui supra, sepelivere *in crypta in clivo cucumeris*. Hos memorat et martyrologium Hieronymianum inquiens: *Romae passio Sanctorum XXV martyrum:* quo in numero Abundium praesbyterum et Abundantium diaconum complectimur (1).

Attamen inter celebriores martyres, qui cultu illic speciali prosequebantur, adnotandus est Diogenes, cuius sepulcrum post bellum Gothicum restitutum est versibusque ornatum, et Liberalis consulari dignitate clarus. Huius crypta, post idem bellum, *in melius famulus* restituit *Florus*, uti ex carmine ad tumulum posito eruitur: praeter hoc, aliud carmen tumbam Liberalis decorabat, quod eiusdem Flori pietas affigi curaverat: hoc modo exorditur:

Martyris hic sancti Liberalis membra quiescunt
Qui quondam in terris consul honore fuit (2).

In Via Salaria nova,

Coemeterium S. Felicitatis M. extat, quod dicitur etiam *Coemeterium Maximi ad sanctam Felicitatem*, circa finem primi milliarii ab Urbe: satis spatiosum est ac memoriis marty-

(1) De Rossi, *Boll. d'arch. cris.* 1883, p. 156.

(2) Carmen invenies praesertim apud Gruterum N° 1179 et Marinium *Papir. Dipl.* p. 379.

rum clarum, cui cl. De Rossi verum nomen restituit, ex lapide inibi invento confirmatum, scilicet.

*Jan*VARIVS ET S.....
*lo*CVM BISOM*um*
*e*MIT AT SANCTA FEL*icitatem*

(1)

Cum inter christianos primae aetatis plures Maximi reperiantur, ideo nescimus a quo nomen sumpserit. Nomen autem Felicitatis, percelebris viduae Romanae ac matris septem filiorum, notum est, quorum acta martyrii, authentica et absque mendis (2), antiquissima merito existimantur, quia tum enarratio martyrii, tum personae quae loquentes inducuntur notas veritatis patefaciunt ac tempora Marci Aurelii et Lucii Veri Imperatorum, quorum aetate Felicitas eiusque filii martyrio coronati sunt.

Publius Salvius Iulianus iurisconsultus sedit iudex in foro Martis, qui iussit ut tum mater tum filii, separatim, necarentur (3); quapropter quatuor in diversis locis depositi sunt, scilicet in coemeteriis Maximi, de quo sermo est, Iordanorum, Priscillae et Praetextati.

Feriale Philocalianum, initio saeculi quarti exaratum, notat mense Iulio — *VI id. Felicis et Philippi in Priscillae, et in Iordanorum Martialis, Vitalis, Alexandri; et in Maximi*

(1) De Rossi *l. c.* 1885-85, p. 151. Lapis opistographus est, nempe etiam altera parte inscriptus (graece).

(2) Ex sententia ipsiusmet Aubé. *Hist. des persécut.*, 458.

(3) P. Salvius, auctor edicti perpetui, fuit Praefectus Urbi, anno quo Antoninus Pius mortuus est, nempe 161 et anno insequenti quo accidit martyrium S. Felicitatis. Ille iacuit in suo sepulcro ad V. lapidem via Labicana.

Silani (*hunc Silanum martyrem Noviti furati sunt*), *et in Praetextati Ianuarii* (1). Mater igitur cum Silano seu Silvano condita est, quorum tumulum Damasi pietas carmine illustravit. Ita celebris horum fratrum martyrum *depositio*, priscis Ecclesiae temporibus, evasit ut *dies martyrum* per antonomasiam diceretur (2). Annus ac dies passionis, quae anno 162, die decima Iulii accidit, quamvis in actis non notentur, depraehenduntur tamen ex aliis certis monumentis, uti e. g. ex citato Feriale Furii Dionysii Philocali.

Nuper effossa est crypta S. Felicitatis et Silani (3), ex qua fragmenta marmorea in lucem prodiere nec non pictura quae retrahit matrem cum filiis suis, tunica fasciolis distincta indutis ac pallio super humeros, qui throno Christi Servatoris adstant: personae aureola seu *nymbo* distinctae sunt, nominibus ipsarum inscriptis: quaedam fere deletae propter humorem quo paries scatebat (4). Impraesentiarum crypta pessum ivit propter nova fabricationis opera superposita.

Alia pictura insignis saeculi quinti videbatur olim in oratorio ad Thermas Titi, prope ecclesiam S. Clementis, quam fieri iusserat quidam Victor, prouti ex litteris constabat, ibi exaratis, idest:

Victor votum sulvit et pro votu sulvit.

---

(1) Noviti, seu haeretici Novatiani, qui Romae morabantur, clam corpus sustulerunt et penes ipsos servaverunt; quod tamen deinde ad locum suum restitutum est.

(2) In quodam lapide via Aurelia effosso, nunc in Musaeo ad Lateranum servato, dies undecima Iulii, *dies postera martyrum* appellatur.

(3) Corpus Sanctae Martyris Leo III transtulit in titulum S. Susannae intra Urbem: de Silani translatione nil scimus.

(4) V. Tabulas IX, X quas refert De Rossi *l. c.* 1884-85 p. 149 et seq.

Atque hinc inde ad caput S. Felicitatis haec legebatur inscriptio:

FELICITAS CULTRIX ROMANARUM.

Martyr efficta conspiciebatur ad modum orantis extensis manibus, quam circumdabant septem filii gestantes coronas, iuxta modum musivi operis, quem in basilicis romanis intuemur: Christus Iesus medium locum tenebat coronam gestans, symbolum praemii pro Sanctis martyribus; inferiorem partem occupabant urbes Hierusalem et Bethlem atque oves (1).

In hoc ipso coemeterio *ad Sanctam Felicitatem* depositus est S. Bonifacius Episcopus, seu Pontifex huius nominis primus, (cui martyris titulus non est dandus, sicuti in quibusdam itinerariis legitur), qui aliquando, tempore scilicet schismatis Eulalii, *habitavit in coemeterio S. Felicitatis in Salaria* (Lib. Pont.), seu in aedibus supra solum, ubi ipse construi iusserat basilicam S. Felicitatis, in qua habuit ad populum homeliam, die natali eiusdem: alia basilica Bonifacio ipsi dedicata est; quae erant *uno cohaerentes solo mirae magnitudinis* (2).

Coemeterium Thrasonis extenditur ad primum lapidem in via Salaria nova, cui nomen inditum a nobili locuplete viro praedii domino, qui martyr occubuit, die 11 Decembris, sub Maximiano, uti adnotant antiqua martyrologia. Ipse generoso animo Christi confessoribus subvenit, qui in arenariis damnati arenas effodiebant pro thermis Diocletianis aedificandis, ac una cum Iohanne praesbytero, in arenario suo plures martyres sanctumque Saturninum sepelivit a quo

(1) Qui plura discere exoptat de S. Felicitate conferat De Rossi *l. c.* ann. 1863, Ruinart *Act. mart. sinc.*. Allard. *Hist. des persécut.* I, Bosium et Boldettum.

(2) Lib. Pont. in vit. Hadr. I.

dein appellatum est *coemeterium Thrasonis ad sanctum Saturninum*, uti ex codicibus ac itinerariis patet. Ex his praesertim scimus ibi quievisse septem virgines, nempe Hilariam, Dominandam, Rogantinam, Serotinam, Paulinam, Donatam (1), septuaginta duo martyres, quorum nomina scripta sunt in libro vitae, ac iuxta eos Hilariam, matre Mauri pueri et Iasonis. Cryptam Mauri Damasus carmine ornavit quod sequitur.

MARTYRIS HIC MAVRI TVMVLVS PIA MEMBRA RETENTAT
QVEM DAMASVS RECTOR LONGO POST TEMPORE PLEBIS
ORNAVIT SVPPLEX CVLTV MELIORE DECORANS
INSONTEM PVERVM CVI POENA NVLLA DEIECTI (2).

Et alios quamplures martyres coemeterium suo excepit sinu, praesertim eos qui in persecutione Valeriani et Diocletiani passi sunt, nec non Chrysantum et Dariam coniuges. Hos memorat martyrologium Hieronymianum: *Romae Sanctorum Chrysanti et Dariae et qui cum eis passi sunt*; *Claudius*, *Ilaria*, *Iason*, *Maurus et milites septuaginta*, quos omnes Christiani deposuerunt in cuniculo seu forma, qua decurrerat aqua, sub Valeriano.

Mirabile factum in nostro coemeterio accidit, anno secundo post martyrium Chrysanti et Dariae (3). Cum ad eorum cryptam Christiani sacra facerent, multitudo paganorum e superiori lucernario saxis ac terra eos obrutos necaverunt. Etenim, in persecutione Valeriani, lege lata, vetitum est Christianis ne ipsi coemeteria ingrederentur ne-

(1) Ex Epit. de locis SS. Martyr., et ex Cod. Malmesburiensi.

(2) Melius *delicti* iuxta Codicem Corbeiensem saeculi octavi, nunc Petropolitanum.

(3) Horum martyrum dies anniversaria diverse a martyrologiis notatur, nempe die 12 Aug., 17 Oct., 21 Nov., 1 Dec.

que conciliabula facerent in locis suis, sub poena capitis (Ex act. S. Cypriani). Aetate pacis, dealbata ossa, eruta terra, inventa sunt martyrum, virorum, mulierum ac puerorum una cum ossibus sacerdotum Dei, qui sacra vasa seu *urceos argenteos* pro sacrificii celebratione adhuc manu tenebant (1). Id admiratione maxima Christianos perculit, qui non ausi sunt sacrata ossa e loco dimovere; tanta in sanctos martyres apud eos creverat religio! Itaque in pariete fenestram aperuerunt *ut ad contemplanda sanctorum corpora aditus aspiciendi patesceret.* Haec Damasi cura fuit, qui martyrum admirandum sepulcrum lapide, versibus inscriptis, signavit:

SANCTORVM QVICVMQVE LEGIS VENERARE SEPVLCRVM
NOMINA NEC NVMERVS POTVIT RETINERE VETVSTAS
ORNAVIT DAMASVS TVMVLVM COGNOSCITE RECTOR
PRO REDITV CLERI CHRISTO PRAESTANTE TRIVMPHANS (2)
MARTYRIBVS SANCTIS REDDIT SVA VOTA SACERDOS.

Supra coemeterium, cuius pars Iordanorum nomine appellata est, basilicae extiterunt ad honorem martyrum inibi sepultorum aedificatae. Codex Malmesburiensis ait: *Ibidem in altera ecclesia sunt Crisantus et Daria et Saturninus et Maurus et Iason et mater eorum Hilaria et alii innumerabiles. Et in altera basilica s. Alexander, Vitalis, Martialis, filii s. Felicitatis* (3). Ecclesiam Sancti Saturnini incendio consumptam Felix IV renovavit ac Hadrianus I restituit (4).

---

(1) V. S. Gregorium Turonensem. De glor. mart. Lib. III.

(2) His verbis tangitur pars cleri romani quae Ursicinum sequuta est, tandem Damaso Pontifici canonice electo reconciliata.

(3) Tres hi filii Sanctae Felicitatis depositi sunt in coemeterio Iordanorum huic coniunctum.

(4) Saturnini corpus ad titulum Pammachii translatum est, seu ad ecclesiam sanctorum Iohannis et Pauli in Coelio monte.

Multa tum graece tum latine scripta in arenario epitaphia inventa sunt, ac multae insignesque picturae locum illustrant, de quibus loqui, propter spatii brevitatem, omittimus (1). Huic iunctum extat uno eodemque solo

Coemeterium Iordanorum, quod etiam ad. *S. Alexandrum* dictum est, ob sepulcrum divi Alexandri martyris ex filiis S. Felicitatis, ibi una cum Martiale et Vitale fratribus quiescentis. Nescimus originem nominis Iordanorum huic coemeterio dati, quod tamen legimus in Libro Pontificali aliisque codicibus. Itinerarium Salisburgense ait: *Pervenies... deinde eadem via ad s. Alexandrum m. ubi pausant Theodulus et Eventus et longe in interiore spelunca Alexander m. requiescit.*

In Via Nomentana.

Coemeterium S. Nicomedis, quod a Praesbytero huius nominis martyre sub Domitiano nuncupatum est: eius acta inserta leguntur narrationi martyrii Sanctorum Nerei et Achillei. Iustus clericus Nicomedis corpus sepelivit *iuxta muros via nomentana* in praedio suo, e flumine Tyberi illo expiscato in quod fuerat demersum. Referunt eadem acta quod Nicomedes sepulturae dederit, septimo viae Ardeatinae lapide, Martyrem Feliculam collactaneam divae Petronillae in praedio suo (*praedio Nicomedis*).

Origo huius coemeterii saeculo secundo vel certe tertio assignatur, cum ibi inter multa graeca ac latina epitaphia, erutus sit lapis consulatu Diocletiani et Maximiani notatus (2). In hypogeo huic adnexo epitaphium militis christiani cohortis

---

(1) Conferat lector, si placet, quae Marangonius scripsit. *De coem. ss. Thrason. et Saturn. App. ad act. s. Victorini.*

(2) Septies Diocletianus et Maximianus insimul consulatum gesserunt: prima vice anno 287: tunc Diocletianus tertium consul erat, Maximianus primum.

praetoriae inventum est (1) aliudque praesbyteri cuiusdam, qui *terra marique pro nomine Christi* (2) erraverat.

Ad superficiem soli basilica Nicomedi dicata extabat, quam probabiliter Bonifacius V erexerat, initio saeculi septimi, cum de ipso in Libro Pontificali legatur: *perfecit coemeterium s. Nicomedis et dedicavit illud;* dedicatio enim ecclesiae convenit.

Alia Nicomedis basilica excitata est septimo milliario viae Ardeatinae, seu in eius praedio, cuius dedicationem ad diem 1 Iunii memorant Codices liturgici saeculi septimi et octavi. Titulum martyris antiquissimum intra muros Urbis notamus, de quo fit mentio in hoc lapide, qui e proprio loco distractus, adhibitus est in aedificando suggesto (Ambone) antiquo basilicae divi Laurentii in agro Verano, iuxta viam Tiburtinam.

Hic POSITVS · EST · VICTOR · PRAESB ◊ TITVLI . NICOM*edis* XII · KAL · DECEMB ·

Coemeterium Nicomedis magna ex parte extenditur subtus villam Marchionum Patrizi, immediate extra portam Nomentanam, nunc Piam, destrorsum, novis aedibus impraesentiarum partim occupatam.

(*Continuabitur*).

IOSEPH Canonicus CASCIOLI.

(1) Castrum Praetorium non longe situm est.
(2) Ex inscrip. quam refert Fabrettus N° 484.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

VIII.

In conspicua quadam civitate paucis horis pro instituta itineris sui ratione subsistere volens Sacerdos quidam, romanae Dioecesi pluribus ab annis cooptatus, summo mane se contulit ad Ecclesiam collegiatam ut ibi, cum esset Dominica dies, Saorum operaretur. Comiter a sacrista de Ordinarii licentia exquisitus, facultatem celebrandi in Urbis Ecclesiis ostendit, addens, Romanae Ecclesiae plus certo iniuriam irrogari, si is cui Romae Sacrificium offerre permittitur, in Ecclesia inferiori, quae Romanae primatum agnoscit, ab illo impediatur. At non acquiescit sacrista, veritus poenam suspensionis ipso facto incurrendam, et ut alteram petat Ecclesiam enixe eum rogat: qui ad Oratorium domesticum nobilis cuiusdam viri sibique consanguinei divertens, ibi Sacrum facit, laetantibus hospitibus quibusdam, eorumque famulis illic commorantibus, nec non ipso nobili viro, qui omnes, praesertim adverso tempore praecepto auditionis Sacri domi satisfacere possent.

Quaeritur:

1. *Num antiquitus Sacerdotes extraneos indistincte ad Sacra facienda admittere fas esset, necne?*

2. *Utrum impraesentiarum vi facultatis a proprio Ordinario obtentae, in Ecclesiis vel saltem in Oratoriis domesticis laicorum alienae Dioecesis celebrare liceat? Et in casu negativo, num saltem secus dicendum sit de facultate a Sancta Sede vel ab ordinaria Curia romana alicui concessa?*

3. *An in Oratorio domestico cuicumque liceat praecepto auditionis Sacri satisfacere, an quibus tantum datum est: et num qui privilegio non comprehenduntur, teneantur eo uti quoties Ecclesiam die festivo petere nequeant?*

4. *Quodnam ergo iudicium ferendum sit de Sacerdote ac de viro nobili privilegiato eiusque hospitibus, omnibus perpensis circumstantiis in casu propositis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Ioannis Biasiotti, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 24 Aprilis 1895; acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Philippum M. Can. Difava.

I. Ad quaestionem solvendam, num antiquitus Sacerdotes extraneos indistincte ad Sacra facienda admittere fas esset, nec ne, necessario praemittendae sunt notitiae aliquot ex Sacra Archaeologia.

Sacerdotes antiquitus Missam quotidie non celebrabant, sed ieiuni una cum Episcopo concelebrabant. At Episcopo impedito, primi Presbyteri Cathedralis erat, vel huius locum excipientis, Sacrificium offerre. Circumstantia quaedam longe

extraordinaria efficere potuisset, ut Episcopus ad tempus alicui Sacerdoti Sacrum facere permisisset. Facultas ab Episcopis dabatur Sacerdotibus, ut Martyribus opem ferrent in carceribus, et coram illis divina Mysteria celebrarent. Hoc sub respectu, magni est facienda Epistolae S. Cypriani commendatio, qua cavendum praecipit ne Sacerdotes celebrantes apud Confessores fidei in carceribus, semper sint iidem, ut personarum diversitas suspicionem in custodibus imminuat. Dum fideles parvo erant numero, praefata retenta est disciplina, proindeque unicum litabatur Sacrificium ab Episcopo, pro omnibus incolis urbis et agrorum. Cum autem religio adeo diffusa est ut gentilitatem subegerit, cuius diffusionis legitimum consectarium fuit Decretum Constantini anno 313, nec primaeva sub terra existentia Oratoria amplius capere fidelium multitudinem possent, in iisdem civitatibus alia et ampliora aedificari necesse fuit, quae, eodem libertatem donante Decreto, inter cetera urbium aedificia distinguerentur (Ecclesiae). Hinc factum est, ut etiam Sacerdotes divisi et adscripti fuerint novis Ecclesiis, ac, ita exigente ratione cultus et fidelium commoditatis, vetitum fuit Episcopis et Presbyteris oblationes peragere in domibus privatis. Ad rem Canon 58 Concilii Laodicensis anni 372: «Non oportet in domibus fieri oblationes ab Episcopis et Presbyteris». An vero Episcopi, soli iure celebrantes in veteri Ecclesia, suas derelinquentes Sedes ad se alibi conferendos, in itinere celebrarent, satis non novimus. Videtur tamen probabilius eos, saltem publice, solitos non fuisse Sacra peragere. Eusebius in sua Historia Eccle-

siastica (*Lib. V. cap. 23-25*), narrat S. Anicetum Papam, anno circiter 160, iussisse S. Policarpum, ab Oriente Romam accitum ad celebrem quaestionem pertractandam de die Paschatis, Missam coram se celebrare, quae res, ait citatus Auctor, uti extraordinaria habita fuit. Unde concludi potest, extra propriam Ecclesiam, usum non extitisse publice celebrandi; dum usus private celebrandi videtur eo in casu communis fuisse, uti e supra relato Concilio Laodicensi et ex historia inferre fas est.

Gatticus, loquens de Sacerdotibus, qui ordinabantur quin alicui Ecclesiae adscriberentur, quorum ad exemplum citat S. Hieronymum, S. Paulinum, Macedonium aliosque plures, ait eos nunquam fere celebrasse, sicuti Theodoretus aliique historici testantur, et cum raro hoc impleverunt officium, id private omnino fecerunt. Et sane saeculo V, ait citatus auctor, in Ecclesiis Altaria nondum multiplicabantur, ita ut in iis celebrare potuerint Sacerdotes exteri, cum non ferret eorum temporum consuetudo, quod eodem super Altari Sanctum Sacrificium iteraretur.

Paulus a Mileto discessurus ut Hierosolymam peteret, uti ex Actibus Apostolorum docemur, haec spiritu prophetico protulit verba coram maioribus natu, quos vocaverat: « Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi. Propter quod vigilate etc. » Quae nimis sane, historia teste, triste sortita sunt effectum in Ecclesia universa, quae ideo mandatis obtemperans Apostoli, invigilandi et apud fideles et apud eorum Pastores, ad vastatores, de quibus ille prophetaverat, lupos coer-

cendos, omnia adhibere studuit media, ad opus prudenter necessaria. Inde ortum habuere litterae ad dignoscendos et praesentandos in Ecclesiarum communionem fideles et Sacerdotes exteros transeuntes vel moram cupientes ducere. Tales litterae appellatae sunt antiquitus *formatae*. Sub hac autem generica appellatione plures continebantur epistolarum species. Per eas autem Ecclesiarum unio ostendebatur, sive ut verbis utar Tertulliani (de praescript.; *cap. 20 pag. 209 Ed. Venet. 1744*): « communicatio pacis et contesseratio hospitalitatis demonstrabatur. » Et Optatus Milevitanus (De Schismate Donatistarum: *lib. 2*) « totus, inquit, orbis commercio formatarum in una communionis Societate concordat. » Quare autem hoc litterarum genus nomen formatarum adeptum sit, haud facile explicari potest. Putant nonnulli ita appellatas fuisse a peculiari ratione eas efformandi; alii a *forma* seu sigillo quo authenticae declarabantur: alii autem a similitudine quam praeferebant cum publicis actibus, a Svetonio (*in vita Domitiani cap. 13*) *formalibus* nuncupatis. Ceterum, quod certo asseri potest dicta signa adhibita sunt in efficiendis *litteris formatis*, ut dignosci possent verae a falsis.

Dictae litterae a Graecis appellatae sunt *canonicae*, κανονικὰ γράμματα, nempe iuxta canones compositae. Quatuor extiterunt species formatarum litterarum: pacificae, dimissoriae, commendatitiae, et communicatoriae. *Pacificae* dicebantur quae *lapsis post actam poenitentiam dabantur, et iis qui pacem a confessoribus obtinuerant, antequam poenitentiam explerent; vel iis qui calumnia in erroris scelerisque suspicionem vocati fuerant ut*

hi omnes per has literas nullam sibi inesse maculam ostenderent Christianorumque consortio reciperentur (Ita Devoti: *Ius canonicum universale, Tom.II*). Dicebantur autem litterae *dimissoriae, quae dabantur Clericis ad aliam Ecclesiam transeuntibus ut ei rite et recte addicerentur.* Namque clericis non licebat Ecclesiam derelinquere cui adscripti erant in ordinatione, nisi prius ab Episcopo obtenta venia: quod idem fere erat ac quaedam emancipatio. Concilium Carthaginense (*Can. 5 tit. 2*) et Concilium Trullense (*Can. 17 tit. 7*) statuerunt quod « nullus omnino clericus in quocumque sit gradu potestatem habeat sine proprii Episcopi scripta dimissoria, in alienae Ecclesiae catalogum referri. » Litterae vero *commendatitiae* de quibus S. Paulus (*II. ad Corinth. cap. III, v. 1*) et Concilium Sardicense can. 9, et Chalcedonense can. 22 pluraeque aliae Synodi, illae erant quae iis dabantur qui *in honore erant et existimatione*, et primo Clericis, ita ut easdem petentes *lautius ab Ecclesia exciperentur* (Devoti; *op. cit.*). Has commendatitias Episcopi dabant Sacerdotibus sibi subiectis, qui ad tempus propriam deserebant Ecclesiam, vel ad publica negotia seu privata explenda, vel alia legitima de causa. Notandum est proinde tales litteras uno tempore extitisse et dimissoriales et commendatitias.

Litterae *communicatoriae* illae erant, quae dabantur, non modo *lapsis qui egerant poenitentiam,* quique ad fidelium communionem redierant, sed et ceteris omnibus orthodoxis, alias petentes civitates *religionis causa, ne piorum aditu et congressu prohiberentur.*

In praesenti Ecclesiae disciplina, usibus et moribus mutatis, itineribus facilioribus redditis, ecclesiasticis tribunalibus et Congregationibus erectis, non amplius necessariae factae sunt litterae *pacificae* et *communicatoriae*. Manent *dimissoriae* et *commendatitiae*, quarum magis nunc patet significatio. Ita ex. gr. commendatitiae, quae ab Ordinariis concedi solent Sacerdotibus subditis, non modo de legitima ordinatione testantur et carentia impedimenti obstantis celebrationi, sed etiam de moribus et doctrina, quibus positis Clericus locorum Ordinariis commendatur. Idem dicas de dimissoriis ab Ordinariis datis iis, qui ordinari cupiunt extra propriam dioecesim, quibus ad hoc conceduntur (Concil. Trident. *Cap. 8 Sect. 23, exposit. in tit. IX*). In casu tamen veram excardinationem non important, non efficiunt nimirum ut ordinandus in Catalogum referatur Ecclesiae Episcopi ordinantis. Tridentina Synodus (*Sess. 23 cap. 13*) ait: « Nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda et Sacramenta administranda admittatur ». Sacra autem Congregatio Concilii tantam tribuit vim huic canoni, ut Regulares exemptos prohibeat ne in suis Ecclesiis celebraturos admittant Sacerdotes extraneos, nisi commendatitiis litteris proprii Ordinarii praesentatis, ab loci Ordinario recognitis.

Verum, dicit Schmalzgrueber (sub titulo « *de clericis peregrinis* », *n. 3, dub. 3*) hanc praesentationem necessariam non esse pro *clericis natis* et pro iis finitimarum Dioecesum, qui admitti solent ad celebrandum, commendatitiis non requisitis. In magnis urbibus et locis, ad quae frequentius

ventitare solent exteri, maior severitas observatur, veluti hic Romae, ubi non licet Superioribus Ecclesiarum Sacerdotes exteros admittere, nisi ostendant *patentes litteras Vicariatus Urbis cum venia celebrandi*, quae non dantur nisi post praesentatas litteras commendatitias Ordinariorum. Ait idem auctor (*cap. 3 h. tit.*) admitti posse, celebraturos ex devotione, ad Sacrum privatim faciendum si praesentare nequeant consuetas litteras iusta de causa, cum suspicari nequit de fictione. Ceterum maxima adhibenda cautela, et observanda, quae a Congregatione S. Officii die 20 Februarii 1643, et 26 Ian. 1692 praecipiuntur.

Quae hactenus dicta sunt, de obligatione Sacerdotum exterorum, testimonialia, seu litteras commendatitias, ut superius appellavimus, praesentandi, ostendunt tantummodo easdem potius ad cautelam dari, quam ad exclusionem. Et re sane vera, significant, eas exhibentes esse Sacerdotes legitime ordinatos et actu dignos, qui ad Sacra admittantur. Aliis verbis, implicite declarant Praelatum concedentem nolle excludere Sacerdoti sibi subdito celebrationem in locis non subiectis propriae iurisdictioni. Praeterea omnes fere Synodi dioecesanae statuere, examen testimonialium Sacerdotum exterorum ad Vicarios Foraneos remitti, dum si nova opus esset approbatione Ordinarii loci ad celebrandum, eidem reservatum fuisset dictum examen et concessio singulis in casibus.

II. In prima alterius quaestionis parte inquiritur utrum impraesentiarum vi facultatis a proprio Ordinario obtentae, in Ecclesiis vel saltem in Oratoriis domesticis laicorum alienae Dioece-

sis celebrare liceat. Pontificiae concessionis Oratorii privati septima clausula haec habet: « Per quemcunque Sacerdotem ab Ordinario approbatum saecularem, seu de Superiorum suorum licentia regularem ». Ferraris in sua Bibliotheca (*Tom. V. ad verb. Oratorium n. 40*) ita citatae Pontificiae concessionis caput explicat: « Sacerdos ibi (scilicet in Oratorio privato) celebraturus debet habere a suo respectivo Superiore approbationem saltem generalem, et licentiam saltem tacitam, seu non prohibitionem ibi celebrandi ». Et Pignatellus (*Tom. 6, consult. 98, num. 84*) pro eiusdem clausulae explicatione ait, eamdem apponi ut privilegium habentes Oratorii privati, celebrare non sinant quemcumque Sacerdotem facultatem non habentem celebrandi in Dioecesi; sicque inconveniens vitatur, quod eveniret si Sacerdos exterus absque Ordinarii dioecesani licentia, celebrare in Dioecesi posset.

Inquiritur autem in altera secundae quaestionis parte, num saltem in recensitis alienae Dioecesis locis celebrare liceat facultate a Sancta Sede, vel ab ordinaria Curia romana alicui concessa.

Huiuscemodi facultas non distinguitur, *quoad valorem*, a litteris patentibus, seu testimonialibus, ab aliis Ordinariis, pro suis subditis concessis; proindeque necessaria semper est inspectio et recognitio authenticitatis ex parte Ordinariorum seu delegatorum, ut Sacerdotes eadem facultate praediti, licite celebrare valeant; nequit enim supponi S. Sedem, vel Romanam Curiam velle ullo modo liberum iurisdictionis Ordinariorium exercitium laedere seu coarctare.

Et sane Romana Curia Sacerdotibus sibi subiectis cum ad aliam se transferre debent Dioecesim, nil aliud ad facultatem celebrandi in Urbe addit, quam haec verba: *etiam extra Urbem de Ordinariorum consensu.*

Ipsius documenti praesentatio, sufficiens semper habita fuit ab omnibus locorum Ordinariis, ut Sacerdotes Romanos seu Romae degentes, in suis Dioecesibus advenientes ad celebrandum admitterent.

III. De quaestionibus tertio loco propositis seorsim pertractantes, quoad primam, utrum nempe in Oratorio domestico cuicunque liceat praecepto auditionis Sacri satisfacere, an quibus tantum datum est, haec animadvertimus. Quibus limitibus coarctetur et ad quasnam personas extendatur privilegium Oratorii privati, ex ipsa concessione pontificia novisse oportet, ita ut si nullum personarum genus excipiatur, nec limitationes apponantur, tunc huiusmodi Oratorium aptum est ad omnes diebus quibuscumque recipiendos pro praecepti satisfactione, veluti si Sacro adstarent in publico Oratorio, in quo, iuxta Concilii Tridentini sanctionem omnes satisfacere valent. Sed e contrario, si pontificium Indultum quibusdam tantum personis faveat, et dies quosdam excipiat, non ultra hos limites privilegio est utendum. Amplissimum Indultum nulla facta exceptione, perraro concessum reperimus, et nonnisi personis in insigni dignitate constitutis. Communiter, iuxta nempe consuetam formulam, facultas ad perpaucas personas extenditur, quae sunt plerumque e familia privilegiati. Ratio ceterum per se patet, agitur quippe de dispensatione a lege

communi, quae certe non sinit ulterius progredi quam in casu particulari stricte requiratur; quamvis necesse non sit personam ad Ecclesiam se conferre impediri, sed etiam valeat per se privilegium, ad solamen et spirituale emolumentum illorum, quos insignia merita decorant, ut privilegio sint praediti.

Quod autem familiam respicit, hospites et famulos notandum formulam Pontificis Clementis XI ita se exprimere: « In tua et familiae tuae praesentia celebrari facere, nec non hospitum tuorum nobilium praesentia. Volumus autem quod familiares servitiis tuis tempore dictae Missae actu non necessarii, ibidem (idest in Oratorio privatae domus) Missae huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur ».

Sciscitanti autem (en altera tertii dubii quaestio) num qui privilegio non comprehenduntur, teneantur eo uti quoties Ecclesiam die festivo petere nequeant, respondemus negative. Et sane, si Oratorium privatum sufficiens dicitur pro designatis in concessione privilegii, ita ex opposito sufficiens non est habendum pro ceteris non comprehensis; ac proinde carente dicto Oratorio huiusmodi praerogativa, necessaria non comprehensis fit adhuc satisfactio praecepti: nunc autem, legitimo superveniente impedimento, dispensationem iure obtinent; et nulla lege praecipiente, quod meliori possibili modo defectus impleatur, onus imponi nequit Sacro in loco incongruo adstandi. Ceterum non modo laudare, sed et commendare volumus hanc piam voluntatem, defectum aliis piis operibus supplendi, et praecipue Sacri audi-

tione in privato alterius privilegiati Oratorio. Namque si hoc sanctum opus suam non amittit efficaciam ubicumque impleatur, et Dei peraccepta et homini perutilis evadet illius participatio, si quis ad Ecclesiam accedere impeditus, devote illi adfuerit.

IV. Perpensis demum omnibus circumstantiis in casu propositis, non videtur redarguendus Sacrista sed potius laudandus, si Sacerdotem comiter excipiens, de litteris etiam romanae Curiae exquisierit, et extensione pro aliis locis carentem dimiserit, dignoscens ex eo non relaxari legem nec poenam vitari, quod quis eidem Curiae sit adscriptus.

Haec ad tramitem legis, sed epikeia in casu videbatur admittenda; non enim supponi potest voluntatem Superioris ad impossibilia extendi; nunc circumstantia exposita in casu, nempe quod Sacerdoti paucis horis subsistere dabatur, et difficultas ad Superiorem accedendi, efficere poterant ut lex non applicanda in casu existimaretur. Quod autem Sacerdos celebraverit in Oratorio nobilis viri, non erat redarguendus si Oratorium rite privilegio gaudebat. Quoad hospites eorumque famulos, ut aequa sententia proferri possit, videndum utrum privilegium Oratorii iisdem extendebatur: ceterum etiamsi eo frui nequiverint, legitime adverso tempore impediti ad Ecclesiam accedere, optimam elegerunt partem, Sacrificio in privato Oratorio adstantes, quamvis a praecepto excusati, et cui satisfacere eo in loco nequibant.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS
A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(*Contin. V. n. 7, anni 1896, pag. 504*).

125. Naves. S. Carolus sic scribit: " Ecclesia, sive unam tantum, sive tres, sive quinque, ut dicunt, naves habitura est, crucis instar, cum alia multiplici ratione et modo, tum hoc uno constare potest, exstructis scilicet extra cappellae maioris ingressum duabus ab utroque latere capellis, quae, ad brachiorum similitudinem productae, a toto Ecclesiae aedificio pro amplitudine extent, ac foris aliquantulum, pro architecturae ratione, promineant ".

126. Capacitas. " Situs, prosequitur S. Carolus, Ecclesiae amplitudo ita patens esse debet, ut non solum multitudinem populi locum incolentis, ubi Ecclesiae, vel parochialis, vel collegiatae, vel cathedralis aedificatio futura est; sed frequentiam etiam hominum interdum ad solemnitates confluentium capere queat. Qua in re ratio illa negligenda non est, ut unicuique homini tantum spatii esse possit, quanta est ab omni parte mensura unius cubiti et unciarum octo; idque praeter spatium, quod columnae, pilaeve, ac parietes capiunt ".

" Simplex autem Ecclesia seu Oratorium eiusmodi sit, ut una tantum navi constet; cuius longitudo sit non minor cubitis quindecim; latitudo vero decem; et altitudo situs rationi apte conveniat ".

127. Pavimentum. Pavimentum in Ecclesia non spicatum, non e laterculis coctilibus, non alio latericio opere, nisi vitreato sit; sed in insigni saltem Ecclesia, cappellisque maioribus, et aliis praeclarae structurae, marmore, aliove solido lapide stratum sit, opere item tessellato, aut scutulato polite confecto, aut musivo item „.

“ In aliis vero Ecclesiis et cappellis, ubi hoc non potest, silicibus expolitis, vel opere testaceo confectum. In pavimento quale quale illud sit, neque pictura neque sculptura crux exprimatur; nec vero praeterea alia sacro imago, historiave, ac ne alia item, quae sacri mysterii typum gerat „.

128. Sepulchra. Ecclesiae, in quibus corpora mortuorum sepulta sunt iuxta decr. S. R. C. 7 Oct. 1606 n. 326 *Possunt rite consecrari, dummodo corpora sub altare maiore sepulta non sint, vel sub confessione, ubi Sanctorum corpora et Reliquiae sacrae locari debent.* Altare prope sepulchrum est iure suspensum (ex Can. *Praecipiendum* 13, q. 2, et Constit. S. Pii V, *Quinam in ordine,* § 6), donec evacuetur sepulchrum; licet consecrationem non amittat, S. C. Ep. et Reg. 10 Nov. 1599, ap. Caval. tom. 3, Op. lit. Decr. 204; et S. R. C. 11 Iul. 1643, ap. Gard. n. 1460. Patronus cuiusdam cappellae suppliciter institit ut amoveretur suspensio a defuncto Episcopo posita altari, sub cuius suppedaneo erant defunctorum cadavera. Et S. C. respond. *Nihil,* 9 Iun. 1657, n. 1828.

S. P. Clemens XIII mandavit Missas non esse celebrandas in altari, donec sub eo eiusve pradella sint cadavera, quae exhumari debebunt; et interim, si Missae ex aliqua obligatione in eodem celebrari deberent, celebrentur in alio altari, 7 Iul. 1766, n. 4332.

Non est interdictum altare prope habens lapidem scalae sepulchri distantis ab altari. 13 Sept. 1710,

n. 3831. *Si altare cadaveri non immineat, et aliqua distantia ab ipso intercedat, potest Episcopus declarare non esse suspensum, etsi ornatum sepulchri propius ad altaris suppedaneum extendatur*, n. 4977.

Distare debet altare a sepulchro tribus cubitis, iuxta decr. 17 Mart. 1663, n. 2208 (in quo per verbum: *Lectum*, negata fuit facultas patrono faciendi sepulchrum pro se et familia *longe ab altare palmo uno minus trium cubitorum*), 23 Maii 1846, n. 5046.

Neque altare portatile, ut in eo reponatur in processione tantisper SS. Sacram. dum aliquid canitur, erigere licet super sepulchro, n. 5102 ad 7. Alicubi, ex lege etiam synodali, non tantum prohibitum est ut mortuorum cadavera tumulentur, sed cautum est quoque ut antiquo sepulchro, sub Ecclesiae pavimento extructo, ita hodie cemento et duplici lapideo operculo concludantur, ut perpetuo clausa esse appareant, neque mador aliquis, aut miasma inde scateat. In hoc videat et decernat visitator.

129. Munditia. De regulis et instructionibus circa nitorem et munditiam ecclesiarum, altarium, sacrorum locorum et supellectilium ecclesiasticorum vide *Actorum* Partem IV, Instructiones de munditia Eccles. Nos aliquod extrahemus quod speciatim ad rem facit.

" Bis annis singulis, semel ante natalis Domini diem, iterum ante Pentecostis solemnitatem, universae Ecclesiae, et sacellorum superficies interior, a solo ad fastigium emundetur diligenter a pulvere, operibus arenearum, et omni sorde, per operarios in rebus eiusmodi exercitatos ".

" Item praestetur in facie Ecclesiae, si artificio sit ad pulverem aut sordes contrahendas apto. Quod sculptum, fictum, caelatum fuerit, praesertim si idem sit pictum, aut auratum; molliter tractetur, saepiusque

si opus sit, purgetur: adhibitis ad tergendum mollibus penicillis, aut scopulis ex palustris arundinis quasi pluma „.

"Columnarum, si sint, bases saltem; vasa aquae benedictae; gradus, cancelli, tabulae quae sepulchra claudunt; mensae altarium, si consacratae non sint; sacrarii pars exterior; labra ad usum manuum abluendarum, et omnia lapidea quae in Ecclesia et sacristia, sunt, nitida reddantur: quae asperiora sunt, arena et aqua fricentur: laevigata, aqua et cinere: lucida tergantur, adhibito eo veluti unguine, seu pulte, quae fit ex prolitura crystalli, cum panno coactili, quem feltrum appellant, aut vero etiam ratione praescripta supellectili, quae est ex aurichalco: quae vero ita abstersa, et lavata fuerint, siccentur etiam diligenter „.

"Singulis mensibus, si fieri possit, eadem pars interior Ecclesiae et cappellarum mundetur, quantum homo in solo stans, et scopulam arundini seu perticae bene longae alligatam adhibens, facere possit „.

"Neque vero tunc omittatur pars superior cappellarum, si arundo pertingat; tum anguli omnes verrantur, scamnis quibuscumque altariumque suppedaneis seu bradellis remotis: si id commode fieri possit; ad huiusmodi autem usum etiam adhiberi poterunt perticae coniunctae, et per funem ductiles; ita ut magis minusve alte adigi pro necessitate possint „.

"Quae ex ligno nuceo, aut simili sunt, ostia, valvae, suggestus, subsellia chori, lectorilia, candelabra ad chori usum, cornua quibus sustinentur lampades, altarium suppedanea, sedes confessionales, scabella genualia seu scamna ad genuflectendum, scrinia, armaria, et si quae alia sunt huiusmodi in Ecclesia et sacristia, eodem temporis intervallo bene abstergantur laneo panno, aut lineo crasso, sed molli. Solum chori ligneum bene itidem fricetur crassiori panno „.

" Bis vero singulis annis, eadem quatenus commode fieri possit, fricentur nucleis in panno inclusis: praeter ea tamen, quae sandaracha, quam vernicem dicunt, sunt oblita. Interim dum haec praestentur, velentur picturae et altaria tecta sint „.

" Vas aquae benedictae, praeter eam accuratiorem fricationem, bene etiam lavetur scopula, et spongia tergatur, quotiescumque aqua benedicta renovatur „.

" Cancelli ferrei (qui nigra litura, vel laevigatione nitere debent) et si quae sunt candelabra ferrea, singulo mense pulvere prius excusso panno abstergantur: eodem tempore, quod ornamentorum in eis fuerit ex aurichalco, mundetur ad rationem candelabris infra assignandam „.

" Sciat vero sacrista rationem illius commixtionis, quae fit ex fumo olei ex lumine expressi, sandaracha et viridi aeris aerugine, ad ferrea ejusmodi nigra litura illustranda: et scriptam apud se habeat, ut cum opus fuerit, adhibeat „.

" Pavimentum Ecclesiae pridie omnium festorum dierum qui publice servantur, sacrista purget a prandio, antequam mutatio fiat paramentorum, si facienda sit: postridie item bene mane, si eo fuit magnus populi concursus: praeterea in media haebdomada, si id festi causa non fiat: quod si incidant plura festa continenter, quotidie sub noctem clausis ianuis verret. Singula saltem hebdomada purgabit pavimentum sacellorum, chori, et sacristiae: et eodem tempore scopula arundinea purgabit gradus, et suppedanea altarium, valvas Ecclesiae, genualia, scamna quae in Ecclesia habentur, subsellia chori, cancellosque cappellarum. Ne pulvis excitetur priusque verrat, aspergat aqua, non manu sed scopula guttatim; ne item adhibeat scopas, quae asperitate pavimentum laedant: si lutum

inhaeserit, apto aliquo radulae genere eradat: habebit igitur sacrista ad hos omnes usus sua instrumenta certis et aptis locis recondita, perticas, arundines, scopas parvas et magnas, firmas et molles, capsulas quoque manubriatas ad purgamenta excipienda et efferenda, et eiusmodi „.

"Bis autem singulo anno accuratiore aliqua ratione pavimentum si opus fuerit purgare studeat, ut etiam labes quas contraxerit, omnino quantum fieri possit, eluantur „.

"Si quid areae est ante Ecclesiam, purget itidem pridie cuiusque diei festi: tum illud curet diligenter, ut exterior Ecclesiae pars circumcirca munda sit; non sordes adsint, non frutices, non herba altior, non locus aliquis immundus: et prout locus ferre aut poscere videatur, curet etiam, et cum superiore agat, ut circummuniatur „.

"Altaria bis singulis annis cum sudum est a finitis missis ad vesperum spoliata sint, et suppedanea item amota; ut sicci aëris sentiant beneficium: quo tempore tum altaria ipsa undequaque mundentur, tum suppedaneorum pars, quae subter est „.

"Cum mappae mutantur et pallia, altaria quoque ipsa mundentur arundinea scopula „.

"Iconae cum ornamentis suis, si picta sint, vel inaurata; Sanctissimae Eucharistiae tabernaculum cum suo integumento; et quaecumque huiusmodi picta, vel inaurata adiuncta sunt altaribus; item umbellae superimpendentes, singulis mensibus mundentur, caudis vulpinis, aut arundinea scopula. Suppedaneum altaris quotidie mundetur arundinea scopa saltem, si in eo Missa facienda sit. Fenestrellae urceolorum saltem octavo quoque die eadem arundine bene purgandae sunt „.

Circa munditiam Ecclesiae, cappellarum et altarium, nec non suppellectilis, urgeat visitator quam maxime, interrogetque an tantum adveniente visitationis tempore, vel occasione festivitatum ad quas multi sacerdotes et Vicarius foraneus accedunt, munditia fiat.

Instet opportune et importune, quia res pretiosae in Ecclesiis praecipi non possunt, munditia vero in ea omnimode praecipitur, tum ex natura rei tum ex canonibus ecclesiasticis. Etiam in paupertate Ecclesiarum ruralium, ut fit in Cappuccinorum Ecclesiis, semper effulgere debet summa munditia.

(Continuabitur)

P. Vicarius Foraneus S. Florentii.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Cont. V. n. 7. pag. 480).

(313)... *Antiphona, quae posita est... in Communi* (*si propriam non habuerit*) *conveniens eius officio, cuius fit commemoratio.* Et reapse, cum commemoratio sit officii impediti contractio, si festum impeditum habet officium de communi, Antiphona sumitur de communi, si officium habet proprium, sumitur de proprio. Lex enim Rubricarum haec est, ut ad commune non recurratur nisi cum deficit proprium.

(314) *Post Antiphonam dicitur versus, inde sumendus unde sumpta est Antiphona, scilicet post hymnum Vespe-*

rarum et Laudum. Ratio huius patet ex dictis in nota 312. Rubrica autem versum quoque in commemoratione requirit, uti nos credimus, sequenti ex causa. Iuxta Amalarium (*de Eccles. officiis lib. 4, c. 45*) versus in officio divino, *vim habet ut converti faciat totum Chorum ad unum, et totam intentionem illius ad rem pro qua fit officium.* Post Antiphonam igitur, quae a schola decantabatur, convenientissimum erat ut totus Chorus aliquid decantaret in honorem illius Sancti cuius agi debuerat commemoratio, quod breve esset, et quod vim haberet ad excitandam intentionem ad Sanctum ipsum; optime ergo Ecclesia Dei in commemorationibus post Antiphonam versus quoque decantationem instituit.

(315) *deinde dicitur Oratio.* Oratio in officio divino, est pars integrans et quodammodo caput. Guyetus (*lib. 3, sect. 1*) de ea habet: " Ut lignum, aut lapis tota est materia statuae, sic officii divini materia tota oratio est „. Et paulo inferius: " Collectae seu orationes ad calcem cuiusque horae reservatae, intentum precando finem, breviter ac dilucide quasi perorando exponunt „. Qua de re in commemorationibus, nullimode deficere poterat oratio Sancti, cuius agitur commemoratio.

(316) *Si Antiphona et versus festi de quo fit commememoratio, sumenda essent, ex eodem communi, unde sumpta sunt in officio diei;* nempe si in festo unius martyris facienda sit commemoratio alterius martyris, quorum neuter habeat officium proprium, sed a communi mutuat, tunc, ne eadem repetantur, Antiphona et versus in casu, pro martyre commemorato sumuntur e laudibus, vel e primis vesperis eiusdem communis, ut infra explicabitur.

(317) *In festo commemorationes variantur.* Quid sibi velint haec verba difficillime quis dicet. *In festo commemorationes variantur!!* De quo festo hic loquitur Rubrica? De festo cuius agitur officium an de festo, cuius agitur commemoratio? Quales commemorationes variandae sunt? Cum apud nos ipsos sensum huius locutionis perpenderemus, suspicati sumus quod, loco *commemorationes* in plurali, legendum foret *commemorationis*, genitivum singulare. Et reapse editiones Breviarii Tornacenses anni 1884, habent: *commemorationis;* similiter editio Veneta apud Iuntas anni 1619, quam prae oculis habemus. Aliae antiquae editiones, Taurinensis, Parmensis, Veneta, Patavina, seculi XVIII, ponunt abbreviate *commemor.* sicut et Breviarium Pii V, ideoque nihil explicant. E contra editiones recentiores post typicam, Ratisbonensis, Tornacensis, Taurinensis, Romàna, Mechlinensis, nec non Breviaria Camaldulensium et Capuccinorum nunc recenter Romae edita, habent *commemorationes.*

Gavantus vero in editione Veneta anni 1636 absque notis Merati, ponit *commemorationis;* in editione vero cum notis Merati, Typographia Vaticana 1738, legitur *commemorationes.*

Cum autem, ad dubium resolvendum, recursum fecissemus ad opellam valde pretiosam a Societate S. Ioannis Evangelistae Tornacensi editam anno 1882, cui titulus: *Breviarii Romani editio nova Tornacensis 1882, collata Vaticanae Urbano papa VIII evulgatae 1632,* gavisi sumus nostram suspicionem fundamento non destitui. Enimvero, in hac opella pag. 57 legitur:

" Rubricarum general. tit. IX 8 circa medium.
„ In festo commemorationis variantur... Editiones recen-
„ tiores Romanae et non Romanae errant dicentes *in*
„ *Festo commemorationes variantur.* Verus textus est: *in*

„ *festo commemorationis variantur*, scilicet in die qua fit „ commemoratio. Recte dici non potest: commemora- „ tiones variantur, sed Antiphona et versus. Itaque „ phrasis illa patet: *Si Antiphona et versus... sumenda* „ *essent ex eodem communi... in Festo commemorationis*, „ (scilicet in die commemorationis) *variantur* (scilicet „ Antiphona et versus).

„ Quem textum reddunt (Editiones) Vatic. 1632, „ 1634. Plautin. 1641. Camer. Apost. 1640. Iuntae „ 1643. Paris. 1675 et aliae „.

Huscusque laudata opella. Nos non in omnibus subscribere possumus tali explicationi, credimus enim verba: *In festo commemorationis, variantur*, indicare clarissime, quod in festo, de quo non agitur *officium*, sed *commemoratio* tantum, variari debeant Antiphona et versus, quasi Rubrica diceret: *Si Antiphona et versus festi de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem communi unde sumpta sunt in officio diei, in festo commemorationis* (scilicet in festo quod commemoratur) *variantur* Antiphona et versus.

Quamquam ergo genuinum sensum huius rubricae, praedicta opella non tradat, nihilominus nobis argumentum suppetit, ut magis convincamur, quod in Editionibus recentioribus Breviarii, error typographicus irrepserit.

Et quoniam hunc locum Rubricarum exponendum suscepimus, parcant lectores si in eodem, ad errorem quoque interpunctionis e medio tollendum, hic immorari debeamus.

Rubrica prout hodie iacet, ita collocat signa interpunctionis: *Si Antiphona et versus Festi de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in officio diei; in Festo commemorationes variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus etc.* Quisque facile

intelliget, quod sic, subiectum propositionis *Antiphona et versus* vix haberent verbum quod regant.

Sic ergo prout habet Gavantus, legenda est haec Rubrica, expungendo punctum et virgulam post verba in *officio diei*, et solam virgulam ibi collocando: SI ANTIPHONA ET VERSUS FESTI DE QUO FIT COMMEMORATIO, SUMENDA ESSENT EX EODEM COMMUNI, UNDE SUMPTA SUNT IN OFFICIO DIEI, IN FESTO COMMEMORATIONIS VARIANTUR, ITA UT ETC.

Suis ergo locis positis interpunctionis signis, et mutato verbo *commemorationes*, in *commemorationis*, haec Rubrica clarissima cuique apparebit.

(318) *Ita ut in Vesperis sumantur e Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis eiusdem communis.* Supra iam vidimus Rubricam agere noluisse, nec debuisse, nisi de primis vesperis; hic ergo cum dicit: *ita ut in vesperis,* de primis non de secundis intelligenda est. De-Herdt (*p. 4, n. 262*), docet: "Regula generalis est quod in primis et secundis vesperis antiphona et versus, qui mutari debent, sumantur ex Laudibus officii proprii vel de communi, de quo commemoratio fieri debet„. Quae tamen regula, si de primis vesperis agatur recta est, si vero de secundis, aliter res se habet. Hic non incassum observandum venit, bene De-Herdt et recentiores liturgistas loqui de primis et secundis vesperis, licet haec rubrica prout diximus, loquatur tantum de primis; compertum enim est, iam a medio saeculo XVIII, consuevisse commemorationes agi de festis, quibus locus non erat in calendario pro eorum translatione. Nihilominus in sua conclusione De-Herdt non recte docet. Sane, Antiphona in secundis vesperis, in officiis communibus Sanctorum, semper quidem diversa est ab alia quae inscribitur pro laudibus, sed versus semper idem est. Dum e contra Antiphona in secundis vesperis, diversa est ab Antiphona in primis (si excipias com

mune Virginum) et similiter versus semper diversus est. Nonne ergo magis congruum est, in secundis vesperis ex. gr. unius martyris, pro commemoratione alterius martyris simplificati occurrentis antiphonam sumere e primis vesperis, potiusquam e laudibus, e quibus, accepta antiphona, cogimur ad primas vesperas necessario recurrere pro versu?

Quid ergo agendum, si mutari occurrat Antiphona in secundis vesperis? Ex super allata ratione non supponitur eiusmodi casus in Rubricis. At facile inferes ex superius expositis, Antiphonam in secundis vesperis variandam, esse accipiendam e primis, unico excepto casu de commune Virginum, cum eadem sit; et tunc solo versu e primis vesperis retento, Antiphona accipietur e laudibus.

Idem dicas si mutanda esset Antiphona in 2 vesperis pro commemoratione diei infra octavam: quia Antiphona cum suo versu e primis vesperis sumenda erit iuxta nuper exhibitam regulam. Nec valet opponere, eam sumendam esse ex laudibus, non ex primis vesperis, quibus non gaudet dies infra octavam. Etenim haec ratio nil probat in casu, quia non agitur de vesperis agendis, sed de Antiphona varianda: variatur autem dum ex alio loco sumitur, uti e laudibus quando dicuntur primae vesperae, e primis vesperis quando laudes aut secundae vesperae dicuntur. Idque respondet Decreto in una Urbis d. d. 25 Febr. 1777 ad 6.

Dictis haud obstantibus, quoniam in praesenti, casus de variandis Antiphonis perfacile occurrit, ob sublatam translationem duplicium et semiduplicium, quae ideo commemorari debent etiam in secundis vesperis, arbitramur non esse contra Rubricarum spiritum, si

pro simplificatis officiis Antiphonarum et versuum variatio sequenti modo ordinaretur.

Sit casus: die 16 Decembris celebrandum est officium duplex 2 classis S. Antonini martyris, sua die impeditum, pro quo nulla dies in calendario libera superest. Cum ea die occurrat festum S. Eusebii Ep. et martyris, quod simplificari debet ad mentem Decreti Gen. et Rubricarum, hoc modo variabuntur Antiphonae et versus pro S. Eusebii commemoratione. In 1 vesperis S. Antonini, commemoratio S. Eusebii fiat cum Antiphona et versu de communi in secundis vesperis; in laudibus, commemoratio eiusdem simplificati fiat cum Antiphona et versu ex primis vesperis; in secundis autem vesperis S. Antonini praedicti pro commemoratione S. Eusebii sumantur Antiphona e laudibus, et versus e 1 vesperis eiusdem communis. Haec dispositio, licet cum littera Rubricarum non plane concordet, earum spiritui omnino adhaeret. Primo quidem, quia Rubrica praescribit, quoad fieri potest, versum sumendum esse eodem ex loco unde sumpta fuit Antiphona; dicit enim: *Post Antiphonam dicitur versus inde sumendus unde sumpta est Antiphona;* secundo vero, quia profluit ex sensu Ecclesiae in Rubricis recondito, quod de officio impedito recitetur in commemoratione maior pars; hinc in nostra dispositione, de simplificato officio, dicerentur tres Antiphonae diversae, dum iuxta antiquum morem de eo recitarentur duae Antiphonae, de quibus una bis repeteretur.

Videtur ergo, quod magis respondeat sensui Rubricarum hic modus variandi Antiphonam et versum pro commemoratione simplificati.

(319) .... *nisi aliter signetur.* Bene hic notat Rubrica exceptiones traditae regulae, quae inveniuntur in proprio Sanctorum, ideoque semper eadem lex generalis

pro commemorationibus sequenda est, quando varianda sint Antiphona et versus de communi, *nisi aliter* Rubrica specialis in proprio disponat. Ex. gr. die XV Ianuarii, in vesperis S. Pauli I Eremitae, Conf. cum agenda sit commemoratio praecedentis S. Hilarii ac dein S. Mauri Conf., pro S. Hilario praecipit versum *Elegit eum,* et pro S. Mauro *Iustum.* Item die XIV Aprilis, ubi in I. Vesperis S. Iustini (Tempore Paschali) post commemorationem praecedentis S. Hermenegildi, commemoratio agitur de SS. Tiburtio et Sociis cum versu 3. Nocturni *Laetitia sempiterna.* Tandem die IV Novembris, in laudibus S. Caroli, post commemorationem Octavae omnium Sanctorum, agitur commemoratio SS. Vitalis et Agricolae, cum versu *Exultent* de 2. Nocturno.

(320) *Et similiter si in secundis. Vesperis S. Agathae, aut alterius Sanctae novem lectionum fieri debeat commemoratio Beatae Mariae pro eius officio in sequenti Sabbato celebrando.* Exemplum hic positum a Rubrica, non amplius valet postquam in die VI februarii repositum est festum S. Titi, ideoque secundae Vesperae S. Agathae futuris temporibus numquam concurrere possunt cum officio S. Mariae in Sabbato, aliud ergo exemplum proferri hic debet, puta, si in secundis vesperis S. Angelae Merici etc.

(*Continuabitur*).

Doct. Petrus Piacenza.

AD QUAEDAM DUBIA LITURGICA BREVIORA RESPONSA

1. *Pro Urbe.* 1. Si Officium *(semid.)* de Inventione S. Stephani protom. (3 Aug.) redigendum sit ad instar simplicis ob occursum Dominicae, pro IX lectione ad Matutinum duae primae tantum recitantur, omissa tertia, quippe quae non est illarum historica continuatio.

2. In die octava S. Stephani (3 Ianuar.) concurrente cum alia die octava S. Ioannis Ap. (4 Jan.) Vesperae ordinandae sunt iuxta peculiarem Rubricam: hoc est, fit tantum a Capitulo de S. Ioanne, haud obstante Decreto 21 Febr. 1896 ad 2. Hoc enim dat regulam generalem; sed Rubrica specialis, in casu, uti exceptio consideranda est, quae ab immemorabili obtinet.

3. Dies octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli, concurrens cum duplici minori primario, integras habet Vesperas, ratione dignitatis.

4. In Missa de Anniversario Creationis et Coronationis Summi Pontificis recitanda est Praefatio de Apostolis; Rubrica namque specialis exigit Missam in casu, ut in Cathedra S. Petri, in qua eiusmodi Praefatio legitur.

5. Pro clero saeculari Urbis Titulus seu Transfiguratio et Dedicatio Basilicae SS. Salvatoris habenda vere sunt uti festa primaria, saltem *per se.*

6. Quando die 30 Dec. fit de duplici minori primario, et pridie factum est de S. Thoma dup. min. pariter primario, Vesperae sunt a Capitulo

de S. Thoma, iuxta normam, quae obtinet in octava Nativitatis Domini.

7. Quando dup. aliquod primae classis particulare occurrit in diebus aliquibus infra octavas Paschae et Pentecostes, vel in Dominica primae classis, ac proinde transferri debet, com. simplicis occurrentis, quod ratione dicti duplicis primae classis omittendum erat, iterum resumenda et agenda est die sua.

2. *Pro Gallia.* Loca sacra B. M. V. *de Lourdes,* specus speciem praeferentes, considerari possunt ut publica Oratoria, si accessum habeant in via, si decenter accommodentur ad Ecclesiae instar, si perpetuo cultui dicari valeant. Quae si complentur, ab Episcopo benedici solemniter possunt, et Sacrae Functiones inibi peragi ut in veris Ecclesiis.

3. *Pro eod. loco.* Standum Decreto S. R. C. 13 Mart. 1700 *Archipae* ad 1^{um}, ita ut reverentia Episcopo non negetur etiam SS̃mo Sacramento exposito. Caeremoniale Episcoporum (*lib. I, 12 et lib. II, 33*) loquens de summa veneratione ad SS̃mum habenda, non excludit reverentiam Episcopo debitam, sed tantum dicit omittendum esse osculum manus et obiecti quod ei porrigitur: ac proinde exoptat functiones Pontificales non exerceri coram SS̃mo, excepta Fer. V. mai. hebd. et Festo Corporis Christi.

4. *Pro eod. loco.* Iuxta Decr. 21 Febr. 1896, dies infra Octavam quamcumque habendi sunt ut secundarii, ergo, etiam in concursu, cedere debent cuicumque semiduplici. Decretum non loquitur de concurrentia, quia dubium proponitur pro occurrentia.

5. *Pro eod. loco.* Ubi ex indulto unica cantatur missa, diebus quibus a rubrica plures praecipiuntur, occurrente Dominica in Albis cum Litaniis maioribus, congruentius cantatur Missa de Dominica. Missa autem Rogationum legi poterit, cum assistentia eorum qui ad Processionem tenentur.

6. *Pro Statibus Unitis Americae.* Quando unica persona submissa voce aliquid, quocunque in loco, recitat, habetur privata recitatio. Item quando etiam confraternitas aliqua, privato in loco (non tamen si Sacerdos ut talis officium faciat) aliquid recitat vel cantat. Item quando fidelium coetus etiam cantando preces fundit, extra liturgicos actus, et nomine privato.

Preces in libris liturgicis exstantes immutari vel vulgari lingua publice recitari non possunt, nisi S. Sedis habeatur indultum. Ita pariter absque speciali privilegio non valet aliquid addi, nec repeti, nec demi.

Etiam in privata recitatione non est probandus mos (quem corruptelam potius appellamus) dicendi preces a S. Sede adprobatas, cum arbitrariis immutationibus, saepe etiam erroribus obnoxiis.

7. *Pro Dioec. Briocensi.* Mysteria D. N. I. C. designari absque dubio possunt ut Titularia Ecclesiarum, proindeque et Circumcisio Domini; ratio dubitandi ex eo quod videtur octava Nativitatis nihili facienda est, namque utrumque occurrit, Mysterium speciale et octava, quae nullum inducit inconveniens. Incidente eius octava infra octavam Epiphaniae, illius facienda est commemoratio in huius officio et Missa; agitur enim de Mysterio satis distincto. Quoad commemorationem in Vesperis et Laudibus Vigiliae Epiphaniae

notandum debere immutari versus post antiphonas ne bis iidem repetantur.

8. *Pro Matera.* Aequivocatio arcenda in interpretatione doctrinae Martinucci et *Ephemeridum* quoad Thronum SSmi Sacramenti et Umbellam in eius asportatione. Martinucci recte docet non debere sustineri *umbellam* super Sacramento si infra Presbyterium circumducatur v. gr. ad communionem distribuendam, vel ad SSmum in Throno retro Altare exponendum. *Ephemerides* vero recte docent pro *expositione* Sacramenti necessarium esse *Thronum*. Diximus pro *expositione*, namque v. gr. post Processionem quae fit cum SSmo, non est utendum, tempore cantus *Tantum ergo*, Throno seu Baldachino.

9. *Pro Dioec. Praenestina.* Missa electionis et consecrationis Episcopi, et creationis et coronationis Summi Pontificis non est dicenda post Sextam sed post Nonam. Omnem dubitationem abigit Decretum *in Namurcen.* 23 Maii 1835 ad 7: Occurrente die anniversaria consecrationis Episcopi (idem dicas de coronatione Summi Pontificis) *post Nonam dicenda est Missa cantata eiusdem anniversarii:* ergo etiam post Missam de Feria, quia haec cum Officio relationem habet, non autem illa.

10. *Pro eod. loco.* Octava Titularis, ubi est S. Paulus, desinit cum octava utriusque Apostoli, non vero die sequenti, quamvis Titulus celebretur in Commemoratione, die nempe sequenti Festum SS. Apostolorum.

APPENDIX.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

De Indulgentiis adnexis recitationi Orationis " Angelus Dni. „ et Antiphonae " Regina Coeli „.

Calcedonius Mancini Presbyter Congregationis Missionis et Redactor « Ephemeridum Liturgicarum » duorum insequentium dubiorum a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita solutionem humiliter postulat:

I. An in Sabbatis Quadragesimae, in quibus Vesperae anticipantur ante meridiem, oratio « Angelus Domini » ipso in meridie recitari debeat stando, ut recitatur stando antiphona finalis Vesperarum, an potius flexis genibus, ad indulgentias lucrandas?

II. An iuxta normas praescriptas a Sylloge authentica Orationum et piorum Exercitiorum edita a S. Cong. Indulgentiarum anno 1886 decreto diei 21 Maii, ad lucrandas Indulgentias Sabbato infra Octavam Pentecostes recitanda sit, meridie, oratio « Angelus Dñi » vel antiphona « Regina Coeli »?

Et in plenaria Congregatione die 5 Martii 1896 in Aedibus Vaticanis habita, Patres Cardinales responderunt: « Consulendum SSmo pro opportuna declaratione quoad utrumque dubium ».

Die vero 20 Maii eiusdem anni in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Sac. Congr. Praefecto, SS.mus D. N. Leo Papa XIII benigne declaravit: in Sabbatis Quadragesimae orationem « Angelus Domini », meridie, recitandam esse stando: Sabbato vero infra Octavam Pentecostes, meridie, recitandam esse antiphonam « Regina Coeli ».

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 20 Maii 1896.

A. Card. STEINHUBER, *Praef.*

A. ARCHIEP. NICOPOLIT., *Secret.*

IMPRIMATUR
P. Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A
Magister.

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriarc. Antiochiae.
Vicesgerens.

Proprietas literaria

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896

SACRA RITUUM CONGREGATIO

URBIS EIUSQUE DISTRICTUS.

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis datum die 5 Februarii elapso anno 1895, statutum fuit, ut quando die vigesima Septembris, in Laudibus et Missa facienda est commemoratio Vigiliae S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, et Missa celebratur de Sancto Agapito Pont. et Conf., haec sit *Sacerdotes*, pro altera *Statuit*. Ad nonnullas vero difficultates praecavendas, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanen. et Almae Urbis Vicarius a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humiliter postulavit, ut deinceps, a Clero ipsius Urbis eiusque Districtus, semper et in quolibet casu, de praefato Sancto Agapito, dicantur Lectiones III Nocturni de Communi Conf. Pont., secundo loco, seu de homilia super Evangelium *Vigilate*, ac Missa *Sacerdotes*. Occurrente vero festo ipsius Sancti Pontificis *Quatuor temporibus*, Lectiones I Nocturni sint: *Laudemus*. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab Eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Julii 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefect.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

ARCHAEOLOGIA SACRA

XVI.

De Coemeteriis veterum christianorum quae Romae extant.

(*Confer dissertationem praecedentis mensis*).

COEMETERIA MINORA.

In Via Tiburtina.

Coemeterium Cyriacae. Praedium, seu *Ager Veranus*, sub quo coemeterium effossum est, nobili viduae romanae Cyriacae spectabat, quae ibi deposita est. Tempore persecutionis, fuit fisco addictum, uti constat ex Libro Pontificali (1). Modo in area agri huius coemeterium publicum Romanae Urbis aedificatum est, quod dum anteactis annis effoderetur, plurimi ex antiquis hypogeis christianis ac cubiculis devastati sunt picturis ac sepulcris celebres; ita ut impraesentiarum vix pauca intacta cubicula ac hypogea extent.

Celeberrimus martyr Ecclesiae Romanae Levita Laurentius prope Cyriacam sepultus est, nec non Romanus miles martyr, ad fidem conversus, cum divi Laurentii constantiam in tormentis pro fide tolerandis admiratus esset, Severus Praesbyter, Claudius Subdiaconus, Crescentius lector, Romanus ostiarius, Iustinus, Crescentianus aliique, quos memorant Itineraria ac Martyrologia.

---

(1) Constantinus Ecclesiae S. Laurentii in agro Verano *dedit possessionem cuiusdam Ciriacetis religiosae feminae, quam fiscus occupaverat, tempore persecutionis.*

Insignes picturae huius coemeterii fere omnes perierunt, uti diximus, deletis cubiculis. Quaedam omnino singulares erant pro historia coemeteriorum romanorum, exempli gratia, Salvator noster cum virginibus prudentibus ac fatuis, quae postremae extinctas faces ferebant, triplex negatio Petri per gallum significata, atque manna quae de coelo pluit in deserto: insuper iudex Christus sedens pro tribunali inter sanctos, qui animam defuncti in arcosolio sepulti iudicabat.

Inscriptiones multae coemeterii Cyriacae in musaeo ad Lateranum servantur; lapis unus in musaeo Neapolitano acclamationem continet divo Laurentio, nempe: *Sancte Laurenti susceptam habeto animam eius.*

In aperta area coemeterii duae basilicae aedificatae sunt divo Laurentio, quas modo in unam iunctas conspicimus, scilicet basilica ad corpus et basilica maior, quarum absides fere sese tangebant. Primam condidit Constantinus supra cryptam Levitae (1) quam Pelagius Papa II, saeculo sexto restauravit, auxit, musivo decoravit, apertisque fenestris parietibusque productis clariorem reddidit (2), ita ut *basilica nova mirae pulchritudinis* fuerit effecta (3); alteram *maiorem* nuncupatam Sixtus III aedificavit. Ex testimonio

---

(1) *Constantinus Augustus fecit basilicam b. Laurentio in via Tiburtina in agro verano supra arenarium cryptae et usque ad corpus s. Laurentii fecit gradus adscensionis et descensionis* (Lib. Pont.).

(2) Imo et collem proximum deiecit, ut ad sanctuarium aditus facilior pateret. Nova opera carmen musivo depictum notabat in ipsa aede, quod incipit:

Demovit Dominus tenebras ut luce creata
His quondam latebris sic modo fulgor inest.

(3) *Epit. de loc. SS. Martyr.* Ex Cod. Salisburg. et Wirceburg.

enim Libri Pontificalis ipse *fecit quoque basilicam alteram beato Laurentio* (1). Itaque Sixtina basilica modo maiorem navem S. Laurentii extra muros comprehendit, Constantiniana inferiorem locum, quem *Confessionem* appellant, qui pulcherrimis columnis corinthii ordinis decoratur.

Haec duarum basilicarum unio, destructis absidibus, effecta est tempore Honorii III, qui etiam pulcherrimam porticum sex columnis ornatam adiecit.

In confessione, iuxta corpus B. Laurentii, sepulti sunt Pontifices Romani Zosimus (2), idem Sixtus III (3) et Hilarius saeculo V (4). Item ibi Protomartyris Stephani conditae sunt reliquiae, quas Pelagius II secum Constantinopoli detulerat.

Nostris vero temporibus, basilica ad corpus seu Constantiniana iterum clarior ac mirae pulchritudinis effecta est nec non venerabilior, eo quod ibi requiescat in pace Christi Pius IX P. M. sanctaeque memoriae, quem impii ob iustitiam illius odio prosequuti sunt; Catholicae vero gentes ardenti affectu ac honore debito veneratae, quae sepulcrum eius in testimonium immensae pietatis, collatis pecuniis, omni arte excolendum splendidissime curavere.

---

(1) Sixtus etiam basilicas S. Mariae ad Praesepe ac S. Petri ad Vincula renovavit.

(2) Zosimi epitaphium detegit cl. De Rossi inter inscriptiones Vaticanas; ille post annum unum, menses novem ac dies aliquot mortuus est — *natali venerando advenienteque sacrato* — idest circa diem natalem Domini.

(3) *Sepultus est via Tiburtina in crypta iuxta corpus s. Laurentii martyris* (Lib. Pont.).

(4) Etiam Damasus II sepultus est in basilica divi Laurentii, non tamen ad corpus.

Iuxta basilicam oratoria extabant martyribus dicata, unum scilicet Protomartyri Stephano (1) in quo aliquandiu cultae sunt eius reliquiae, antequam in basilicam Laurentianam inferrentur, alterum SS. Abundio et Irenaeo, tertiam divo Agapito Diacono, qui una cum Sixto II ac Felicissimo, anno 258, necatus est. Postremum hoc oratorium seu basiliculam Felix III aedificaverat (2), quam Hadrianus I ac Leo III restituerunt.

Inter celebriora sepulcra, quae in agro Verano olim videbantur, adnotandum illud est S. Leonis Episcopi et Martyris (3), qui dum viveret, cum adhuc esset ethnicus, tumulum sibi paraverat, ubi eum christianum effectum, idemque Episcopum pia coniux Laurentia composuit (4). Eius sepulcrum carmine ornatum est, quod saeculo octavo adhuc suo loco extabat, seu in dicta basilicula S. Stephani (5), Carmen refert Codex Palatinus Vaticanus olim Lauresamensis (6), ex quo deprehendimus quod Leo *meliora sequutus*, *contemptis opibus*, maluit *cognoscere Christum* et *fundere pauperibus quidquid concesserat annus*, necnon *psallere* in Ecclesia Christi. Carmen Damasianum est (7).

---

(1) Illud Simplicius Papa, patria Tiburtinus, aedificaverat.

(2) *Hic fecit Basilicam S. Agapiti iuxta Basilicam S. Laurentii* (Lib. Pont.).

(3) Eius corpus Sergius Papa ad S. Martinum in Montibus transtulit.

(4) Quae ei ante Sacerdotium nupserat.

(5) Hadrianus I *Ecclesiam S. Stephani iuxta basilicam S. Laurentii sitam, ubi corpus S. Leonis ep. et m. quiescit, similiter undique renovavit* (Lib. Pont.).

(6) N. 833. Editus est primum a Grutero.

(7) De Rossi in coemeterio ad Agrum Verarum fragmenta elogii Florentii Diaconi invenit. Cl. vir suspicatur filium fuisse Leonis Episcopi (*Boll. d'arch. cris.* 1881, p. 19).

Coemeterium S. Hippolyti. Sinistrorsum via Tiburtina contra basilicam divi Laurentii collis extollitur, in cuius visceribus coemeterium hoc effossum est, ab altero Cyriacae, de quo loquuti sumus, omnino distinctum. Illud Prudentius Poeta ac cryptam martyris, quam ipse viserat, egregie describit (1), cuius parietes marmoribus stratae erant cryptamque ipsam laminae argenteae tegebant. In medio cryptae altare assurgebat, sub quo corpus Martyris colebatur, quod Paulus I ad Ecclesiam seu Monasterium S. Silvestri, olim domum suam, detulit. Damasus ad sepulcrum martyris carmen apposuit, quod Prudentius ipse legerat (2). Hoc est:

HIPPOLYTUS FERTUR PREMERENT CUM IUSSA TYRANNI
PRESBYTER IN SCISMA SEMPER MANSISSE NOVATI
TEMPORE QUO GLADIUS SECUIT PIA VISCERA MATRIS
DEVOTUS CHRISTO PETERET CUM REGNA PIORUM
QUAESISSET POPULUS UBINAM PROCEDERE POSSET
CATHOLICAM DIXISSE FIDEM SEQUERENTUR UT OMNES
SIC NOSTER MERUIT CONFESSUS MARTYR UT ESSET.
HAEC AUDITA REFERT DAMASUS PROBAT OMNIA CHRISTUS.

Ex carmine igitur patet martyrem in crypta veneratum sub nomine Hippolyti sacerdotem fuisse, antiquitus, etiam iuxta Prudentium, idibus Augusti cultum, qui cum sequutus esset schisma Novati, ad unitatem deinde fidei catholicae reversus, martyrium subiit. Attamen quem Prudentius et Damasus Praesbyterum appellant alii, uti Itineraria, militem dicunt, qui cum esset *Vicarius*, seu primus in ordine militiarum, ab ipso Laurentio cum tota eius domo ad fidem

(1) Hymn. XI. *Peristeph*. V. quae diximus in N. 1. mens Ian. huius ann., p. 6.
(2) Illud refert Cod. Corbeiens. nunc Petropolitanus.

conversus est. Fit intricatior quaestio, si consideretur quod tertium nomine Hippolytum, pro Martyre in crypta deposito quis accipiat, seu Episcopum Portuensem et Doctorem (qui reapse in propria sede sepultus est), vel magis ex eo quod statua ex marmore in basilica supra coemeterium fuerit inventa (1), quam quidam Episcopi esse autumant.

Ex monumentis igitur adhuc manet incertum, num martyr cultus in crypta fuerit praesbyter, an doctor, sive ille quem divus Laurentius fidei adquisivit. Attamen, iuxta cl. De Rossi (2), veri simillimum est praesbyterum et doctorem unam eamdemque fuisse personam; ac item in coemeterio sepultum etiam iacuisse Hippolytum militem, cuius fit mentio in actis beati Laurentii (3). Patet igitur a scriptoribus nomina fuisse confusa.

Alii eiusdem coemeterii martyres, quos itineraria memorant, sunt: Concordia, uxor Hippolyti militis cum servis eius, Triphonia mater cum filia Cyrilla, quos omnes Iustinus Praesbyter *ad latus agri verani* sepelivit (4).

---

(1) Horum nomina in tabula nataliciorum in atrio S. Silvestri in Capite invenies.

(2) Servatur in Musaeo ad Lateranum, in cuius basi cyclum paschale ac operum eius seriem legimus incisam.

(3) *Boll. d'arch. crist.*, 1882, pag. 9.

(4) Hunc cum praesbytero confundit etiam Prudentius. De postremo hoc narrat quae idem Damasus refert, scilicet:

Cum iam vesano victor raperetur ab hoste,
Exultante anima carnis ad exitium,
Plebis amore suae multis comitantibus ibat;
Consultus quaenam secta foret melior,
Respondit: fugite, o miseri, execranda Novati
Schismata, catholicis reddite vos populis.

(Peristeph. XI, c. 25).

Basilica Hippolyti supra coemeterium extitit, quam Damasus restauravit ante bellum Gothicum, operis curam praesbytero Leoni demandans, qui eam pariter ornavit. Eruitur ex carmine ibi invento, cuius primi versus sunt:

Laeta Deo plebs sancta canat quod moenia crescunt,
Et renovata domus martyris Hippolyti (0).

Hadrianus I, uti constat ex Libro Pontif., *coemeterium beati Hippolyti iuxta S. Laurentium.... a novo renovavit.* In Epitome de Locis SS. Martyrum legimus: *Inde in boream sursum in montem basilica s. Hippolyti est, ubi ipse cum familia sua tota XVIIII martyres iacet.* Adverte tamen familiam martyrum Hippolyto militi spectare. Coemeterium ac basilicam Gothi devastavere sub Vithige anno 537 et 538: quae loca Vigilius Papa prisco decori restituit. Prope basilicam alia exurgebat beato Genesio martyri dicata, quam Gregorius III Papa, anno 731, renovavit.

In Feriale Philocaliano habetur: *Depositio Hippolyti idibus Augustis in Tiburtina:* et in Codice Bernensi: *Id. Augustas Rome via Tiburtina Eppoliti martyr.* De praesbytero Hippolyto ait Prudentius: *Si bene commemini colit hunc pulcherrima Roma — Idibus Augusti mensis....* Etiam Hippolytus miles, post tres dies a passione divi Laurentii, seu idibus Augusti, occisus est.

In Via Labicana.

Coemeterium S. Castuli. — Fuit Castulus Diocletianae domus cubicularius, qui in palatio Caesaris Christianos se-

(0) Carminis fragmenta in ordinem composuit illustravitque De Rossi l. c. 1883, p. 60.

creto congregabat: sed Christi cultor detectus, *in foveam, ubi dimissa est super eum massa arenaria*, coniectus, martyrium passus est (die 26 Martii). Eius acta inserta leguntur actis S. Sebastiani. Eo loco iacuit ad primum lapidem, ibique cultus, cum arenaria ipsa effossa pro coemeterio christiano adhibita sunt. Extat locus prope arcum triumphalem aquaeductus Claudiae et Anienis (Porta Maggiore). E coemeterio hoc parvo quidam lapides inscripti eruti sunt, quorum unus in musaeo ad Capitolium servatur: est cuiusdam Leopardi pueri.

Epitome de locis SS. Martyrum ait: *Iuxta viam vero Praenestinam* (1) *iuxta aquaeductum ecclesia est s. Stratonici episcopi et m. et s. Castuli, quorum corpora longe sub terra sunt sepulta.* Stratonicus Episcopus, qui e sua sede Romam commigraverat, in Urbe mortem pro Christo oppetiit (2). Paschalis I corpus Stratonici in Ecclesiam S. Praxedis intulit. Coemeterium omnino devastatum ac impervium cernitur.

In Via Latina.

Haec incipiebat antiquitus a Porta Capena una cum Appia, ac deinde ad sinistram vergebat, clara monumentis paganorum; ea tamen clarior est monumentis christianorum; tria enim coemeteria prope viam numerantur: ac primum

Coemeterium SS. Gordiani et Epimachi. — De his mentionem facit Epitome de locis SS. Martyrum inquiens: *Iuxta viam vero Latinam Ecclesia est s. Gordiani, ubi ipse cum fratre Epimacho in una sepultura. Ibi quoque Quartus et Quintus, ibi Sulpitius et Servilianus et s. Sophia et Trophimus cum*

---

(1) Viae Praenestina ac Labicana insimul initium sumebant, ad arcum Gallieni, quae dein dividebantur prope aquaeductum.

(2) De Rossi *Inscr. chr.* II, p. 65.

deposita est. Stephanus V (anno 885-891) reliquias beatae *multis martyribus sepulti dormiunt*. Gordianus sub Iuliano necatus est; frater vero Alexandriae in Christo martyr obdormivit, cuius ossa Constantinopolim, deinde Romam translata sunt. Eorum natalem die 10 Mai ponunt Martyrologia. Igitur, iuxta Epitome, Gordianus et Epimacus iacebant cum aliis martyribus in superiori basilica (1), in quam fuerant inlati e coemeterio, ubi in cryptis quieverant. Coemeterii origo antiqua satis est; nam scimus post martyrium ibi sepultos fuisse Simplicium et Servilianum, qui aetate Traiani occisi sunt.

Coemeterium Aproniani, qui etiam *S. Eugeniae* dicitur, nunc fere totum devastatum est, opera potius christianorum omnis eruditionis expertium quam barbarorum. Exploratores coemeterii multos lapides graece et latine concinnatos, claraque hypogea picturis ornata invenerunt, quas inter notamus resurrectionem Lazari, Moisen, coecum a nativitate sanatum, Iob in sterquilinio.

Haec legimus in Epitome de locis SS. Martyrum: *Ecclesia quoque S. Eugeniae iuxta eamdem viam est, ubi ipsa cum matre sua in uno tumulo iacet: ibi s. Stephanus pp.* etc. (2). Igitur basilica S. Eugeniae dicata supra coemeterium extitit, deinde restituta. In martyrologiis legimus coemeterium fuisse *in praedio suo*, ubi eam sub Valeriano et Gallieno necatam mater Claudia composuit, quae penes filiam deinde quam anno 705, Iohannes VII aedificaverat (3), ab Hadriano I

---

(1) Hadrianus I restauravit.

(2) S. Stephanus Papa non in coemeterio Aproniani, sed in Callixti sepultus est: errat Itinerarium.

(3) Pulcherrimum ipse oratorium beatae Virgini, marmoribus musivisque operibus nobile, in Vaticana Basilica construxerat.

Eugeniae in basilicam SS. XII Apostolorum transtulit, quae impresentiarum coluntur in hpyogeo, quod *confessionem* appellant. De ipsa Venantius Fortunatus poeta christianus saeculi sexti loquitur in carmine *De Gaudio.*

Coemeterium Tertullini martyris sub Valeriano etiam via Latina situm est, prope illud Aproniani quamvis locum certum nesciamus. Eius corpus a Paschale I in S. Praxedem inlatum est. Basiliculam vero supra coemeterium Hadrianus I renovavit, quam Itinerarium Salisburgense memorat, cum ait: *Et iuxta eam viam Tertuliani* (lege Tertullini) *est basilica, ubi ipse cum multis martyribus iacet.*

In Via Ardeatina.

Coemeterium Basilei *ac hypogeum Damasi.* Coemeterio Domitillae saeculo quarto iunctum reperimus illud Basilei, quod codex meminit relatus in *Notitia Regionum Urbis* inquiens: *Coemeterium Basilei ad S. Marcum via Ardeatina,* ac deinde *Coemeterium Damasi.* Supra solum constructa est basilica Sanctorum fratrum Marci et Marcelliani sub Diocletiano passorum, quam Iohannes VII restauravit, initio saeculi octavi. De ipso enim legimus in Libro Pontificali: *Laboravit autem et in coemeteriis beatorum martyrum Marcelliani et Marci Damasique sancti Pontificis.* Non longe altera basilica divi Damasi exurgebat, quam ipse erigi iusserat ut deponeret ibi matrem suam ac sororem Irenem sibi ereptam in flore iuventae. Ex carmine quod sororis sepulcro affixit scimus quod

VOVERAT HAEC SESE XPO CUM VITA MANERET
VIRGINIS UT MERITUM SANCTUS PUDOR IPSE PROBARET (1).

---

(1) Carmen integrum legi potest in Cod. Palatino, apud Merendam, Sarazanium, De Rossi, aliosque.

Ipse Damasus voluit ut, post mortem, penes matrem sororemque deponeretur. Reapse in sua basilica iacuit in crypta, de qua fit mentio in quodam lapide quem Marinius refert, idest

LOCUS TRI
SONVS VIC
TORIS IN CRV
TA DAMASI

(1)

QUI GRADIENS PELAGI FLUCTUS COMPRESSIT AMAROS
VIVERE QUI PRAESTAT MORIENTIA SEMINA TERRAE
SOLVERE QUI POTUIT LETALIA VINCULA MORTIS
POST TENEBRAS FRATREM POST TERTIA LUMINA SOLIS
AD SUPEROS ITERUM MARTHAE DONARE SORORI
POST CINERES DAMASUM FACIET QUIA SURGERE CREDO (2).

Idem supra sepulcrum suum, titulum versibus concinnatum posuerat, ex quo magna deprehenditur eius fides in futura carnis resurrectione. Titulus est

(*Continuabitur*)

IOSEPH Canon. CASCIOLI.

---

(1) Scilicet: Locus trisomus (*pro tribus personis*) Victoris in crypta Damasi.

(2) Vide quae diximus de Damaso in N. 8 anni 1895 harum *Ephemeridum*.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

IX.

Gabriel Missionarius apostolicus apud infideles gaudet privilegio in quovis decenti loco ex necessitate celebrandi, etiam absque ministro. Hinc non semel etiam in navigiis, quamvis in apostolico brevi concessionis nulla de mari mentio fiat, Sacrum operatus est: eoque in casu pileolo ab initio Missae usque ad praefationem, et a communione ad finem uti sibi licere existimavit. Cum autem ad agenda suae missionis negotia in variis Italiae civitatibus et praesertim in Urbe per aliquod temporis morari coactus esset, quotiescumque Ecclesiae petendae pro sacrosancti Sacrificii celebratione aliqua premebatur difficultate, in cubiculo domus, qua hospitabatur, etiam absque ministro Sacrum facere non dubitavit.

Quaeritur:

1. *Utrum et quibus in casibus iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam extra Ecclesias et Oratoria rem divinam peragere, etiam absque speciali indulto, licitum sit?*

2. *Num qui privilegio Arae viatoriae seu Altaris portatilis gaudet, ubique locorum indistincte illud erigere ad Sacrum faciendum queat, et etiam*

in navibus: et quibus cautelis et regulis uti debeat qui speciali de hoc gaudet privilegio?

3. *Quid dicendum de singulis in casu propositis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Alphredi Vitali Pont. Sem. Rom. alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 15 Maii 1895; acta Epitoma per Rmum P. Bonaventuram a Collepardo Ord. Min. S. Franc. Capuccin.

I. Quamquam in casu non inquiritur de veteri Ecclesiae disciplina, circa rem divinam extra Ecclesias et Oratoria peragendam, sed tantum de vigenti; tamen ad dilucide omnia explananda, quae ad rem faciunt, opportunum, nisi et necessarium nonnulla, quoad antiquam, innuere ad comparationem sin minus instituendam, iudicamus.

Quam praecipue et semper Ecclesiae curae fuit, ut, quae ad divinum cultum pertinent, ratione quam maximi decoris exequeretur, ideoque circa Sacrosanctum Missae Sacrificium, quod centrum profecto habendum est religionis ipsius, non tantum ordinem sed et locum statuit ad rite illud celebrandum. Apostolorum aevo, nec non tempore quo crudelius persecutio saeviebat, cum non potuissent haberi publicae Ecclesiae, ipsa divina operabatur privatis in domibus et in catacumbis, ubi eorum fidelium, qui primitiae erant, fides, digne et imo superabundanter emolumentum praestabat, pro locorum angustia et squalore. Cum vero divinae placuit bonitati ventis imperare per-

secutionum, et magnificentissima templa cubiculorum locum et catacumbarum excepere, statuit Ecclesia, Sacram Synaxim non alio quam ibi debere celebrari. Ita (prout refert Cavalerius *Tom. V*, *cap. 4*) Concilium Laodicense decrevit: *quod non oportet in domibus fieri oblationes ab Episcopis et Presbyteris.* Alia Concilia, ex. gr. Aquisgranense anno 816 eamdem tuentur legem, quinimo Concilium Parisiense anno 829 non modo reprobat, sed et damnat « quod plerique Presbyteri, neglectis Basilicis Deo dicatis, in domibus et hortis Missarum celebrationes, contra divinam auctoritatem, et canonicam institutionem facere praesumunt »; ac deinde: « quod Ecclesiasticae antiquae traditioni videtur reniti »; iubet demum « ut unusquisque Episcoporum huiuscemodi temerariam consuetudinem a parochia sua penitus amoveat ». Id autem tam efficaciter iubet, ut si quis contrarium attentet, *gradus sui periculum incurrat;* laicos insuper monet « non esse sui officii ut relictis Basilicis Deo dicatis et Episcopali auctoritate contempta, ad libitum suum in hortis et domibus vel aediculis, quos iuxta domos construunt et palliis exornant, in quibus Altaria erigi faciunt, Missarum celebrationem facere compellant ».

Haec porro quamvis decreta et canones sint Conciliorum particularium, inficiari nequaquam potest ea satis demonstrare spiritum, quo universa tum ducebatur Ecclesia. Ceterum, quae modo citata fuere verba Concilii parisiensis clare innuunt, non agi de canone peculiaris Ecclesiae normam exhibentis, sed de re ab ecclesiastica antiqua traditione accepta. Deficit autem omnis

dubitandi ratio, cum legimus ipsum Iustinianum in Novella 57 decernere: « omnibus interdicimus magnae huius civitatis habitatoribus, magis autem totius nostrae ditionis, in domibus suis habere quasdam quasi orationum domos, et in his sacra celebrare Mysteria ». Sed et Carolus Magnus in capitulari tertio, ad annum 789 n. 9, mandat: « ut comites in diebus festis, vel dominicis omnes ad Ecclesiam veniant, et non invitent Presbyteros ad domos suas ad Missas faciendas ». Disciplina ergo Ecclesiae, de loco celebrationis Missarum post pacem obtentam, immutata est, nec amplius licuit sacris ministris sanctum Sacrificium offerre extra Basilicas, aut saltem loca consecrata seu benedicta, quemadmodum videre est et ex epistola tertia S. Clementis, et ex iure Canonico (*Cap.* de Consecratione, *dist. 1a*).

Eaedem leges, si nonnulla excipias, in praesenti ecclesiastica disciplina adhuc vigent, et Tridentina Synodus in Sessione 22, decreto *de observandis in celebratione Missarum,* prohibet Episcopis ne sinant rem divinam celebrari in domibus seu modo quocumque extra Ecclesiam consecratam vel benedictam. Verum, sicuti antiquitus nonnulli excipiebantur casus, in quibus permittebatur in loco divino cultui non dicato celebrare, ita et impraesentiarum sinit Ecclesia quibusdam in casibus similiter posse fieri. Veteris disciplinae canones huius tenoris erant: « in aliis quam Domino consecratis locis, idest in tabernaculis divinis, precibus a Pontificibus delibatis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre non licet, nisi summa coegerit necessitas » (Cavalieri *loc. cit.*). Necessitas ergo a legis obsequio eximebat: ad rem Conci-

lium Moguntinum (ann. 888) Decretum confecit, quo permittit divinorum Mysteriorum celebrationem in loco haud consecrato vel benedicto, cum Ecclesia reparatione indigeat, seu necessaria suppellectili destituitur.

Nunc Doctores, quos inter S. Thomas, Suaresius, De Lugo et Summus Pontifex Benedictus XIV admittunt, necessitate cogente, posse etiam contra ius vigens Missam celebrari in locis nec benedictis nec consecratis, modo tamen frequentes adsint fideles, et omnia provideantur ad actum illum necessaria, iuxta leges in Iure canonico contentas. Plures considerantur ab iisdem Doctoribus casus (Bissus *v. Loco etc.;* Patroni *Sac. Lit. Luogo della Messa*), et primo ille, quo plures iter facientes peregrini Ecclesias non inveniunt: Sacerdos valet hoc in casu celebrare, ne ceteri fideles diutius divino carere debeant Sacrificio, Altare erigens decenti loco, seu ubi Ecclesia diruta inveniatur, prope illam, si fieri possit. Certa autem dari non potest norma, ad longitudinem itineris determinandam; tamen cum Card. De Lugo statui potest licere his in adiunctis celebrare quovis die festo occurrente. Alter casus occurrit cum fit magnus populi concursus, et Ecclesia sufficiens non est ad omnes capiendos, nec datur plurium copia Sacerdotum ad supplendum aliarum Missarum celebratione. Fit tunc facultas Altare erigendi ante ipsius Ecclesiae fores sub dio, populo sic commode spectante. Similiter offerri poterit Divinum Sacrificium sub dio, eo in loco, ubi exercitus christianus castra posuit. In regionibus infidelium, ubi Ecclesiae desunt, vel etiam inter catholicos, si diruta seu alias inepta inveniatur

unica existens Ecclesia. Pro navigantibus, si die festo prope litus sistere dabitur, potest Sacerdos descendere in littore et celebrare, hoc tamen casu, autumat De Lugo, debere non paucos esse navigantes, innuit quinimo multitudinem plures super naves locum habentem. His et similibus in casibus licebit Sacerdoti cuilibet in loco non consecrato celebrare; omnes autem Doctores sententiam suam roborant canone *Concedimus, de consecrat.*, dist. 1, incip.: *In itinere vero positus.* Potest quinimo tuto sententia sequi, non requiri docens, casu urgentis necessitatis, ullam specialem facultatem, ne Ordinarii loci quidem; namque, uti notat S. Thomas (*2. 2. q. 147, art. 4 in cap.*), si necessitas sit certa atque instans, potest ex se homo licite se eximere ab legis observantia; nunc autem casus expositi super non dubia et quidem urgenti necessitate nituntur, nulla ergo, saltem communiter loquendo, opus est speciali licentia. Gobat et Quarti eamdem tuentur sententiam, imo hic alter, quamvis dicat tutius esse licentiam ab Episcopo exquirere, tamen in manifestae necessitatis casibus, fieri debet admittit ex mera convenientia. Cum autem in dubio res versatur, conveniunt omnes, facultatem debere omnino postulari. Suadendum ergo, etiam in verae necessitatis casibus, cum aditus ad Episcopum patet, nec alia obstat difficultas, melius esse recursum ad superiorem habere. Haec porro severitas, ulli nimia non videbitur consideranti plures, qui facile ortum haberent abusus, si ad cuiusque Sacerdotis libitum relinqueretur iudicium ferre, de necessitate Sacrum faciendi extra Ecclesiam vel locum bene-

dictum, quibuscumque in casibus simplicis necessitatis, quamvis non vere urgentis.

Consequitur igitur ex dictis, ordinarium celebrationis locum esse Ecclesiam, vel publicum Oratorium consecratum vel benedictum, aut saltem Oratorium privatum, accedente competentis auctoritatis licentia. Extra loca praedicta, nonnisi gravis necessitas permittere potest rem divinam operari, quae quidem necessitas si vere urgeat nulla requiritur specialis superioris facultas.

II. Quaestionis partem alteram explanaturi, hanc regulam statuimus: privilegio gaudens Altaris portatilis, illud erigere non valet quocumque in loco, sed tantum quibusdam certis ac determinatis, ac tempore iuxta habitae concessionis tenorem. Quod absolute necesse sit, ante omnia, rescripti formam ad examen revocare, ad terminos dignoscendos, quibus data est facultas, utrum nempe personalis sit, an vero personalis-localis, non est ambigendum. Et sane solet aliquando Altare portatile concedi *intuitu personae* (*Gatticus, p. 450*), novimus ex. gr. Paulum V illud permisisse Magno Duci Cosimo de Medicis, et eius familiae, absque ulla loci limitatione, salva semper illius decentia. Alias autem personalis facultas, ad determinatum quoque locum restringitur, uti nimirum conceditur Missionariis apostolicis in partibus infidelium. Primo in casu, celebrari ubilibet poterit Missa, clausula adamussim servata, si qua est, quae necessitatem requirat, et legibus canonicis. Verum huiusmodi privilegium proprium est tantum Principum et magnae dignitatis virorum nec non Episcoporum. Altero in casu, praeter quam quod facultas ex se limi-

tationi subest, ex aliis quoque circumstantiis alias patitur (*Gatticus, p. 456*). Ita v. gr. quoad temporis extensionem, quatenus nempe causa impellens perseveret. Praeterea privilegium itineris causa vel Missiorum concessum, ut exerceatur, requiritur, quod reipsa actu iter fiat, vel apostolicum ministerium impleatur. Privilegiatus igitur, quamvis in loco versetur in facultate comprehenso, celebrare non valet in loco suae habitationis: similiter Missionarius iter faciens per loca suae Missionis ad alios fines, non autem ob evangelicam praedicationem, frui non potest privilegio, si hoc sub clausula datum fuit, quod apostolicum ministerium actu exerceat. Insuper si privilegiatus ob Ecclesiarum defectum, in ea inveniatur conditione, ut sine aliquo incommodo ad Ecclesiam non valde distantem accedere possit, frui pariter non potest privilegio, nisi alia aliter suadeat necessitas: quod generatim pro hoc et similibus, casibus, in pontificio Rescripto adnotatur. Dicimus « sine aliquo incommodo, » quia si grave sit, libere uti valet facultate. Tandem Altare portatile non ubilibet erigi potest, sed, sicuti habetur in Indulto, *in locis ad id* (nempe Sacrificium) *congruis atque decentibus*. Inutilis praeterea evaderet quaecumque huius dispositionis declaratio, cum uno ictu oculi perspiciatur quam sapiens sit ac necessaria; examen igitur instituimus ad decernendum an celebrare possit in mari, facultate pollens Altaris portatilis.

Communiter docent Doctores specialem ad hoc requiri facultatem. At momenta perpendamus. Haud dubium hanc fuisse quaestionem prolixius inter scriptores agitatam; de ea verba, nec pauca,

habent Card. Bona et De Lugo, Monacellus et alii plurimi; nobis autem satis est scire talem celebrationem, cum agatur de loco male fido, et divini Sanguinis effusio timeatur, non concedi omnibus indistincte qui Altaris portatilis privilegio gaudent. At quaeri potest: cum periculum abest, ex eo quod navis vel motu agitur levi, vel anchora firmatur, serenus est aër, expertusque gubernator nullam tempestatis iacturam esse pertimescendam affirmat, licere ne dicenda est celebratio? Nostro in casu non interest tale probabiliter aut penitus abesse periculum; dicimus tantum et simpliciter non posse in mari rem sacram fieri absque peculiari indulto: quae expositae sunt circumstantiae, ad possibilem celebrationem reddendam, sufficientem praestabunt rationem ut concesso privilegio quis perfruatur, non vero ut eo deficiente celebratio licita reddatur. Gavantus et Benedictus XIV ex ipsius Rescripti verbis inferunt neminem celebrare posse in mari, quamvis privilegio gaudeat Arae viatoriae; in ipso enim habetur: *in loco honesto et tuto.* Id autem specialiori indulto a S. Sede conceditur uti patet ex. gr. e concessione Equitibus S. M. Ordinis Hierosolymitani facta die 13 Martii 1706, qui cum privilegio iam fruerentur Altaris portatilis (hoc bene notetur), petiere ulterius hoc speciale indultum. Dubium ergo non remanet, quin specialissimum requiratur privilegium, diversum ab illo Altaris portatilis, pro Missae celebratione super mare.

Verum apostolica Sedes in huiusmodi concessionibus, apponere solet clausulas quasdam; quod nempe navis longe absit a litore, si enim prope sit, Missa celebrari deberet in ipso litore; quod

navis solida sit ac tuta, mare quietum, caelum serenum, proindeque tempestatis periculum non immineat; quod alius Sacerdos, aut saltem Diaconus assistat, sustineatque Calicem in aliquo repentino navigii motu. Quod si talibus cautelis non obstantibus, inter sacrificandum tempestas exoriatur, et Sacerdos consecrationem nondum perfecerit, abrumpere omnino Missam debet; si vero consecratione iam peracta tempestas impendat, omissis omnibus quae Communionem praecedunt, statim species consummare.

Recentiores inter huiusmodi concessiones, referre placet illam Pii Papae IX, diei 2 Septembris 1847, qua Missam celebrare permittit, quatenus magna sit navis, etiam *in proprio cubiculo, ubi de nocte dormire adiguntur; secluso tamen omni periculo, et dummodo debitae decentiae fuerit consultum.*

His praemissis ad casus solutionem progredi fas est.

III. Gabriel Missionarius apostolicus apud infideles gaudet privilegio in quovis loco, dummodo decenti, celebrandi. Uti ex hypotesi constat, hoc in casu, concessio late quoad locum patet, ergo, si de cetero privilegii normas teneat nec non sacrorum Canonum leges, licite celebrare potest ubi et quando ei placeat, servatis semper iis, quae superius sunt dicta, quoad casus qui dari possunt ad privilegii ipsius limitationem. Insuper non semel in navigiis Sacrum operatus est, quamvis in apostolico brevi concessionis nulla de mari mentio fiat. Iam satis probatum in secundae quaestionis explanatione putamus, privilegium generatim concessum in quocumque loco celebrandi, non com-

prehendere naves; ergo si in Gabrielis privilegio nulla facta est mentio de navi et de mari, ad haec illud extendere non valebat, ac proinde arbitrarie egisse dicendus est. Existimavit autem licere sibi pileolum retinere a Missae initio usque ad praefationem et a communione ad finem. Pileoli usus tempore divini Sacrificii conceditur Episcopis et S. R. E. Cardinalibus, non autem simplicibus Sacerdotibus, etiam praelatis, quibus absolute prohibetur tam in Misssa, quam in aliis ecclesiasticis functionibus, uti ex Decreto S. R. C. *Bahien. in Brasilia* diei 23 Maii 1846, in quo habentur haec verba: *nisi fuerit specialiter indultum*. Ergo ut recte se gereret, exposcere debuisset hoc etiam privilegium, si necessitatem animadvertisset, quae ceterum pro celebrantibus in mari, non semper verificatur. Quod demum iudicium ferendum de Gabrielis agendi ratione tum per Italiae civitates, tum praesertim in Urbe? Satis dictum est de privilegii Altaris portatilis conditionibus, ut manifesto fiat Gabrielem male se gessisse. Et revera eius privilegium, uti ex casus expositione, ad Missionum loca restringebatur, et non ad ea extendebatur in quibus de earumdem negotiis ageret: Romae autem soli Episcopi uti eiusmodi facultate valent ex Bonifacii VIII privilegio, ab aliis Pontificibus confirmato. Ceteri vero Sacerdotes pro unaquaque vice facultatem exquirere deberent. Memoriae autem reducantur, quae supra diximus, cum facile accedere quis posset ad propinquam Ecclesiam, et praecipue clausula in privilegio expressa: *in casu necessitatis tantum*. Ex nostra ergo sententia, iuxta Doctorum placita, Gabriel uti in casibus expositis

Ara viatoria nequibat. Quoad celebrationem absque ministro dicendum, quod quamvis in pontificio Rescripto id ei concessum fuisset, intelligi semper debuerat pro vicibus in quibus ei licebat uti Altari portatili, ac proinde, dum tali privilegio in Missionibus usus est bene se gessit, male autem extra. Doctores nec non constans consuetudo, unanimiter docent esse omnino necessarium Missae ministrum, imo veteres canones duos requirebant. Hic debet esse vir, permittitur tantum in eius defectu, quod mulier Sacerdoti respondeat, quamvis nec ministrare nec ullo modo Altari appropinquare possit. Vera tamen necessitas cogere potest ut Sacrum fiat absque ullo ministro; haec habetur v. gr. cum S. Viaticum administrari debeat, deficientibus S. Speciebus praeconsecratis; ad praeceptum implendum; tempore pestis ad contagium vitandum. Admittitur quoque cum eleemosyna necessaria sit ad Sacerdotis substentamentum, aut Legati urgeat satisfactio, ita pariter si Missa incoepta minister proficiscatur non amplius rediturus, etiamsi hoc ante Canonem accidat. Excusatur etiam Parochus celebrans ne Parochia fructu careat Sacrificii. Si vero idoneus minister deficiat, absque ulla dubitatione, celebrari potest Missa, aliquo adstante et quo modo melius poterit Sacerdoti ministrante. Excusabimus ergo Gabrielem si similibus in casibus versatus sit.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Cont. V. n. 8. pag. 564).

(321) *Ne repetatur* Diffusa est gratia, *dicatur* Benedicta tu *ex Laudibus.* Nempe cum ℣. *Diffusa* idem sit in secundis vesperis Virginum, et in primis B. Mariae in Sabbato, pro commemoratione sequentis officii B. Mariae sumitur ℣. *Benedicta tu* de laudibus ipsiusmet officii.

(322) *Si item occurrat, ut eadem sit oratio Festi de quo fit officium, et eius de quo fit commemoratio mutetur oratio pro commemoratione in aliam de communi.* Eadem de ratione, ne bis idem dicatur in eadem officii parte. Si vero alicubi festum Pontificis confessoris, qui habet orationem *Da quaesumus,* perpetuo celebretur in vigilia alicuius Apostoli, in qua dicatur eadem oratio *Da quaesumus,* tunc perpetuo pro Sancto Pontifice sumatur Missa *Sacerdotes,* ac proinde oratio *Exaudi* ac homilia II. loco. Ita S. R. C. in recentiori decreto. Eamdem regulam sequendam esse etiam in occurrentia accidentali, argui potest, ex S. R. C. decreto in Romana 5 Febr. 1895 ad VI, quod licet abrogatum, attamen mentem S. Congregationis apprime declarat. Ratio est quod pro sanctis pontificibus habentur duae orationes, de Vigilia vero Apostolorum una tantum, et in hoc refragamur a P. A Carpo, qui (*p. 2, n. 85*) docet in casu variandam esse orationem Vigiliae, eam sumendo ex Vigilia S. Andreae, mutato nomine Apostoli.

Ex probatis auctoribus et S. R. C. decretis, sequentia hic addere censuimus, ut regula variandi Antiphonas, versus et Orationes pro commemorationibus magis eniteat.

1. Si Antiphona officii eadem sit ac Antiphona simplicis seu simplificati, sed versus diversus, sola Antiphona est mutanda.

2. E contra si diversa sit Antiphona et idem versus solus versus mutandus est.

3. Antiphona ad *Benedictus* de communi Confessoris Pontificis et non pontificis, licet una et eadem appareat, desinit tamen diversimode, et bene una pro officio, et altera pro commemoratione, et viceversa, deservire potest.

4. Similiter, licet Antiphona ad *Magnificat* in secundis vesperis Pontificis et Confessoris, *Amavit*, et versus in primis, iisdem verbis constent, nihilominus adhiberi possunt in vesperis aut laudibus, non tamen pro eadem commemoratione. Scilicet, Antiphona *Amavit*, pro officio et versus *Amavit*, pro commemoratione inserviat. Idem dicatur de Antiphona in secundis vesperis Martyrum Tempore paschali, *Sancti et Iusti*, et ℣. in primis vesperis pariter *Sancti et iusti;* atque de Antiphona *Lux perpetua* in primis vesperis et ℣. *Lux perpetua*, aliquando sumendo ex secundo nocturno.

Sic argui debet ex Rubrica speciali posita in Breviario pro vesperis Sabbati infra octavam Epiphaniae, quae dicit: *Deinde fit comm. Epiphaniae per Ant. quae occurrit secundum ordinem dierum infra octavam*, ℣. Omnes de Saba etc., *nisi dicta sit Ant.* Omnes de Saba (quae dicitur in vesperis diei V infra oct.), *tunc enim dicitur* ℣. Adorate Deum etc.

In hoc ergo non possumus assentire cl. De-Herdt, qui (*loco cit. n. 1*) docet: "eadem Antiphona *Amavit*,

et versus *Amavit*, pro eadem commemoratione adhiberi possunt „. In diversa commemoratione, scilicet, ut diximus, si adhibeatur Antiphona pro officio, et versus pro commemoratione simplicis, adhiberi possunt, concedimus; in eadem negamus, freti super citata Epiphaniae rubrica. Pro diversa commemoratione habemus exemplum in primis vesperis S. Iustini Martyris, pro quo dicitur *Sancti et Iusti*, et pro commemoratione praecedentis S. Hermenegildi, dicitur Antiphona *Sancti et Iusti*.

5. Si duo officia Ss. Doctorum simul concurrant, pro commemoratione praecedentis non est sumenda Antiphona e laudibus, sed ex secundis vesperis de communi, scilicet *Amavit*, vel *Dum esset*, vel *Hic vir*, pro qualitate Doctoris precedentis.

6. Si in festo plurium Sanctarum virginum martyrum, occurrat commemoratio aliarum plurium sanctarum virginum et martyrum, tunc pro commemoratione sumatur Antiphona et ℣. *Istarum*, in die VII Martii, ut decrevit S. R. C. (*7 Sept. 1680 n. 2928*).

7. Si mutanda sit oratio, et una tantum in communi habeatur, ut evenit pro Doctoribus, et pro virgine non martyre, ac pro sancta nec virgine nec martyre; tunc pro commemoratione alterius Doctoris sumatur alia de communi Confessoris Pontificis vel non Pontificis prout res portat; pro commemoratione alterius virginis, sumatur oratio *Indulgentiam*, de communi virginis et martyris, tacitis verbis *et martyr;* ac tandem pro commemoratione alterius nec virginis nec martyris, sumatur oratio eadem, *Indulgentiam*, tacitis verbis *virgo et martyr*. Sic decrevit S. R. C. (*21 Iulii 1855 ad 5, n. 5215*).

8. Si vero occurrunt plures commemorationes fieri de simplificatis vel de simplicibus eadem die occur-

rentibus vel concurrentibus, ab eodem communi sumendae, haec regula sequenda est pro variationibus: sit exemplum:

Die XXII Iunii est Dominica III mensis, in qua occurrit apud nos 1.° *Translatio S. Sabini Episcopi et Conf.* dup. mai. 2.° Officium perpetuo repositum *S. Norberti Ep. et Conf.* dup. 3.° commemoratio *S. Paulini* simplex. Die XXI vesperae erunt de seq. *S. Sabini*, cum comm. praec. *S. Aloysii*, et *S. Norberti* dup. simplif. et Dominicae ac *S. Paulini* simplicis. Dicta ergo pro *S. Sabino* Antiphona *Sacerdos et Pontifex* cum ℣. *Amavit,* et pro commemoratione praec. *S. Aloysii* Ant. *Hic vir,* cum ℣. *Iustum,* pro commemoratione occurrentis simplificati S. Norberti sumam Ant. ex 2. Vesperis: *Amavit,* et quia ℣. *Iustum* iam dixi pro S. Aloysio, illum repetam ex II. Nocturno *Elegit eum,* ac dein pro commemoratione S. Paulini accipiam Ant. e laudibus: *Euge,* et ℣. *Tu es Sacerdos* ex III. Nocturno.

Quod si finges eodem die occurrere commemorationem de infra octavam alterius S. Confessoris Pontificis, qui habeat orationem *Da quaesumus,* tunc pro eo sumes Antiph. *Euge* de laudibus cum dicto ℣. *Tu es Sacerdos* de III. Nocturno, atque pro S. Paulino in casu accipies Ant. e III Nocturno *Domine iste sanctus,* et ℣. *Os iusti* et orationem *Deus qui nos* adiicendo *atque Pontificis,* de comm. non Pontificis, cum de communi Pontificis omnes dicti sint. Ita eruitur ex S. R. C. decreto (*5 Maii 1736 N. 4044*).

(323) *Si de tempore fiat commemoratio, de Dominica scilicet vel Feria, Antiphona et versus ante orationem eodem modo sumantur ex proprio si habuerit proprium; alioquin de psalterio; Oratio vero ex proprio de Tempore.* Hic locus non indiget expositione cum per se clarissime pateat; placet tamen adnotare, quod sicut pro officiis Sancto-

rum non fit recursus ad Commune, nisi in illis partibus, quae non habentur propriae, ita et in officiis de Tempore omnia dicuntur, quoad Invitatoriom antiphonas, capitulos, hymnos et versus, ut in Psalterio, quod stat quasi pro communi officiorum de Tempore; nisi alia habeantur in proprio de Tempore. Quoad vero, lectiones Responsoria et Orationes semper ad proprium de Tempore recurrendum est.

TEXTUS

(TITULUS IX.)

N. 9.

Quando fit commemoratio de Dominica, vel Feria, quae habent propriam homiliam, nona lectio in officio diei novem lectionum legitur de homilia Dominicae vel Feriae (324), quae erit vel prima de homilia vel tres simul in una lectione coniunctae (325).

(324) *Quando fit commemoratio de Dominica, vel Feria quae habent propriam homiliam....* Quae nempe, habent missam propriam ideoque et proprium evangelium, et in officio homiliam relativam. Hae autem sunt: 1. Omnes Dominicae maiores et minores, exceptis duabus Dominicis vacantibus, quae occurrere possunt a festo Nativitatis usque ad Epiphaniam, nisi Dominica occurrat in festo S. Silvestri, et hodie in festo S. Thomae Ep. Mart. ad ritum duplicem elevato, nec non die XXX Decembris ubi agatur de occurrenti alio festo duplici.

2. Omnes Feriae Quadragesimae, a IV Cinerum usque ad Dominicam Palmarum. 3. Feriae Quatuor Temporum Septembris et Adventus. 4. Feria II. Ro-

gationum. 5. Vigiliae omnes cum ieiunio et sine ieiunio, si habeant propriam homiliam sive de communi assignatam pro Apostolis; exceptis Vigiliis quae occurrunt in Quadragesima, in Adventu, et in Quatuor Temporibus; et exceptis quoque Vigiliis quae occurrunt in festis duplicibus I classis, in quibus nihil fit de Vigilia. Attamen in hoc casu non excipitur Vigilia Epiphaniae, de qua fit commemoratio cum IX lectione etiam in duplicibus I. classis, prout supra vidimus; officium enim Vigiliae Epiphaniae a Rubricis aequiparatur officiis dominicalibus.

Non tamen legitur nona lectio feriae VI post Octavam Ascensionis, quia licet habeat homiliam propriam non habet tamen Evangelium proprium, sed illud sumit e Dominica praecedenti; quoniam autem in casu non legitur Evangelium huiusmodi feriae in missa, si in ea occurrit festum novem lectionum, ita nec homilia in officio. Eadem regula sequenda est in diebus infra octavas, de quibus fit commemoratio in festis occurrentibus sine IX lectione, ob eamdem rationem. Quando autem Evangelium festi idem sit cum evangelio Dominicae aut feriae, tunc in hoc casu non dicitur IX lectio feriae vel Dominicae, uti ex. gr. quando feria IV Quatuor Temporum occurrit infra octavam Immaculatae Conceptionis.

(325) .... *Quae erit vel prima de homilia, vel tres simul in una coniunctae.* Quando in principio huius nostrae expositionis disseruimus de obligatione Rubricarum, atque primi thesim defendimus omnes Rubricas esse praeceptivas, vel si magis lubet, praeceptivas et directivas simul, omnes tamen obligantes sub gravi vel sub levi, iuxta materiam, exceptiones aliquas fecimus de locis Rubricarum quae facultatem faciunt unum ex duobus sequi.

Unus ex his paucissimis locis hic est, in qua Rubrica facultatem facit recitantibus officium, dicendi pro IV lectione Dominicae vel feriae, *vel primam* tantum *de homilia, vel tres simul in una lectione coniunctae.* Nihilominus et in hac facultate praeceptum adest, nempe, lectionem IX de homilia dicendi, et si tres coniunctae non dicantur, non una ex tribus ad libitum eligi potest, sed si una tantum legitur, haec prima esse debet.

Quae facultas, regulariter loquendo, in sola privata officii recitatione, facta esse nobis videtur; in choro vero, ut *omnia secundum ordinem* fiant, non a lectoris placito pendere debet, electio primam solum legendi, vel tres simul, bene autem ab ordine Superioris. Quod quidem, intelligendum quoque est de tertia oratione *ad libitum* in missis conventualibus cuius electio a Superiore fieri decet, agitur enim de publica oratione, ac proinde solius Superioris est cognoscere quod magis a Deo petendum sit, cum Rubricae libertatem relinquunt orationem magis congruam eligendi. Hic noster sentiendi modus, fundamentum habet, in recta notione communitatis quae in omnibus etiam in publicis functionibus, servatis rubricis, a Superiore tantum regitur.

(*Continuabitur*).

Doct. Petrus Piacenza.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Legione in Hispania.* **De peculiari quodam ritu in Absolutione pro Defunctis.** Quamvis a Caeremoniali Episcoporum, Rubricis Missalis, Rituali Romano Decretisque S. R. C. praescribatur modus absolutionis Defunctorum faciendae, in hac tamen Ecclesia Cathedrali alia est consuetudo eam peragendi post officium Missamque Defunctorum, quae prima die cuiusque mensis non impedita dicitur, iuxta Rubricas Missalis *Tit. V*, nempe: Celebrans stat in capite chori et Ministri a conspectu huius occulti per magnum legile, librosque cantorales, Diaconus abest ab eo 11 metra, et Subdiaconus 16 metra. Celebrans dicit « *Pater Noster* », et aspergit aspersorio, non habens ante se pannum nigrum extensum, nec lecticam mortuorum, simulque Diaconus imponit thus in thuribulo et incensat crucem quam elevat Subdiaconus: nunc quaeritur: Potest ne tolerari talis consuetudo an eliminanda sit ut corruptela vel abusus, qui aperte rubricis repugnat?

Resp. Non potest tolerari huiusmodi consuetudo et omnino eliminanda est, utpote arbitraria, male excogitata, et uti corruptela et abusus valde improbanda, nec serio sustinenda. Standum est ergo ad Caerem. Episcoporum, ad Rubricas Missalis, Rituale Romanum, et Decreta S. R. C.

II. *E Dioecesi Baionen.* **De Festis particularibus pro Regularibus.** Regulares utentes Calendario Ur-

bis, ad quaenam officia locorum ubi degunt astringuntur?

Resp. Regulares privilegio fruentes sequendi Calendarium Urbis, non tenentur ad alia officia nisi quae cum feriatione coluntur, pro civitate in qua degunt et ad Officium Dedicationis et Tituli propriae Ecclesiae. Itaque si Nativitas B. V. est festum Patronale Provinciae (ecclesiasticae), quod iuxta Urbanianam Constitutionem fert praeceptum (etiamsi non haberet per se), Regulares illud celebrabunt sub ritu 1.ae classis cum sua octava. Alia autem officia celebrabuntur ut in dicto Calendario Urbis, quin attendatur ad dies immutatos vel ad elatiorem vel depressiorem ritum in Dioecesi.

III. *Ex eod. loco.* **De Processione in commem. Omnium Fidel. Defunctorum.** In processione in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Celebrans, stans in fine processionis, aspergit aspersorio, et Diaconus, ante Celebrantem progrediens, incensat Crucem quam portat Subdiaconus. Licetne ita peragere?

Resp. Non licet ita peragere, quia est praxis arbitraria et nullo modo laudabilis imo improbanda; si tolerari posset aspersio, quae fit a celebrante, abolenda absolute est Crucis thurificatio, quam intelligere nequimus quomodo risum potius, quam devotionem non moveat. Fieri quidem potest Processio, sed aspersio et thurificatio peragi possunt in Absolutione regulariter facienda v. gr. in centro cemeterii vel Ecclesiae tumulantis, ad quam forte proceditur.

IV. *E Ferraria.* **De modo tenendae manus sinistrae in benedictionibus Sacerdotis ad Altare.** An Ru-

brica Missalis *Tit. III, n. 5:* « In aliis benedictionibus, quum (Sacerdos) est ad Altare et benedicit Oblata, vel aliquid aliud, ponit sinistram super Altare » ita interpretari debeat, nempe: Quum Sacerdos est ad Altare *versus* et benedicit Oblata, vel aliquid aliud quod est *super mensam* (v. gr. Candelas, vel Cineres, ac etiam Palmas), tunc utique ponere sinistram super Altare debebit. Sed quum non est ad Altare versus et benedicit ea quae non sunt *super Altare,* imo *extra mensam* (ut est thuris in thuribulo positi, aut Subdiaconi post cantatam Epistolam, vel Diaconi ante Evangelium), esset ne naturale, sinistra manu quaerere mensam, ut super eam deponat etc., et non illam tenere pectori admotam?

Resp. Rubrica quae praescribit Sacerdotem benedicentem Oblata, vel aliquid aliud, cum est ad Altare debere sinistram manum super ipsum Altare ponere non ita est extendenda ut urgeri debeat etiam in casu, quo Sacerdos non ad Altare versus benedicit aliquid extra mensam, ut in benedictione thuris in thuribulo positi, aut Subdiaconi post cantatam Epistolam vel Diaconi ante Evangelium. Auctores ipsi liturgici in varias abeunt sententias, quae etiam usu comprobantur.

Ita ex. gr. Baldeschi existimat semper sinistram manum supra mensam imponendam esse a Sacerdote ad Altare aliquid benedicente. E contrario *De Herdt,* cui consonat etiam Lohner, in benedictionibus, de quibus est quaestio, semper sinistram infra pectus tenendam autumat. Proinde concludimus esse ad libitum Sacerdotis primae vel alteri sententiae adhaerere. Fatemur tamen nobis magis arridere sententiam laudati *De Herdt,*

magis enim naturale est in huiusmodi casibus manum pectori admotam tenere, quam supra mensam.

V. *Ex eodem loco.* **De osculando Altari a Sacerdote postquam illud conscenderit pro sacra actione inchoanda.** Rubrica non praescribit osculandum esse Altare a Celebrante postquam illud conscenderit in die Purificationis B. M. V., feria IV Cinerum, Dominica Palmarum et Sabbato Sancto pro sacra actione inchoanda: quod bene praescribit feria VI in Parasceve et in Vigilia Pentecostes. An diebus supra dictis osculum omitti debeat; vel servari Caerem. Ep. praescriptum (Lib. I, Cap. 19, n. 6) « quoties a sede vel faldistorio ad Altare accedit illud in medio osculatur? »

Resp. Servetur Caerem. Ep. (Lib. I, Cap. XIX, n. 6) nam etsi hoc non praescribatur a Rubrica Missalis, tamen est in usu apud omnes etiam observantiores Ecclesias et ita faciendum esse docent omnes liturgistae; quos inter conspici possunt: Baldeschi, Merati, Gavanto, De-Herdt etc.

VI. *Ex eodem loco.* **De qualitate vocis in recitatione Ps. « Miserere » in triduo sacro servanda.** In triduo Maioris Hebdomadae Horae minores recitari cum debeant voce gravi; an Psalmus *Miserere,* persolvendus *aliquantulum altius,* ut vult Rubrica, recitari debeat *voce altiori* quam alii Psalmi: vel *graviori* scilicet *aliquantulum altius* silentio?

Resp. Rubrica ita loquitur: « .... dicitur *Pater Noster* totum *sub silentio.* Postea Ps. *Miserere mei* aliquantulum altius ». — Ex his verbis apertissime patet dicendum esse Ps. *Miserere* voce aliquantulum altiori ea voce, qua recitatum fuit

Pater Noster, videlicet voce demissa et gravi. Ita omnes in praxi hanc rubricam interpretantur. Nec opponere quis valet, quod si *Pater* sub silentio dicitur, non potest intelligi nisi de voce altiori illa, quae promitur in moesta Psalmorum recitatione, quia silentium nulla vox est, et nihil pariter esset plus nihilo; etenim dictio illa *sub silentio* non est recipienda stricto sensu, sed, cum in divino officio semper habeatur vera et phisica *recitatio,* illud *sub silentio* indicare vult, quod pronuntiatio verborum ita submissa sit, ut a circumstantibus non audiatur. Si ergo *Pater Noster* audiri non debet, Psalmus *Miserere* audiri debebit, sed non elata voce.

VII. *Ex eodem loco.* **De impositione thuris in feria VI Maioris Hebdomadae post adorationem Crucis.** Feria VI in Parasceve, post adorationem Crucis, Caerem. Ep. praescribit Episcopo, ut ad sedem ponat incensum in thuribulo: Missale autem, non; imo iubet intorticia ipsa non esse accendenda, nisi ad Altare Sacelli: an thus imponi debeat, vel non?

Resp. Si Missa feriae VI in Parasceve celebratur ab Episcopo servetur Caerem. Episcoporum, utpote quod habeat vim legis, in iis quae ab Episcopo peraguntur. E contrario si Missa celebratur a Sacerdote, servetur rubrica Missalis, quae nullam facit mentionem de impositione et benedictione thuris antequam ad Sacellum, in quo asservatur SSm̃um Sacramentum, progrediatur, sed solum vult, ut thus apponatur in duobus thuribulis postquam Diaconus capsulam aperuit. Huic sententiae consonant liturgistae omnes et haec est praxis omnium Urbis Ecclesiarum.

VIII. *Ex eodem loco.* **De manipulo a Subdiacono accipiendo in Sab. Sancto.** An in Sabbato Sancto Subdiaconus accipere debeat manipulum, dum Diaconus induit se vestimentis albis, vel post cantum *Exultet?*

Resp. Fatendum nobis est auctores aliter et aliter hac in re sentire. *Merati* (p. 4, tit. 10, n. 11) et De Herdt (p. V, n. 62) ex. gr. praescribunt Subdiaconum manipulum assumere quando Celebrans, cantato Praeconio, induitur planeta et manipulo una cum Diacono, ducti ex quibusdam rationibus, sed praesertim ex auctoritate Caerem. Episcop., *lib. II, cap. 27, § 12,* in quo describitur ritus servandus ab Episcopo celebrante in Sabbato Sancto.

Rationes vero, ob quas fortasse auctores isti hanc tenent sententiam, ni fallor, esse possunt sive quia Subdiaconus dum defert Crucem semper deponit manipulum, sive quia nec Epistolam cantare debet, nec vasa sacra tangere, sive demum quia magis concordare debet cum Celebrante, qui manipulum non defert, quam cum Diacono, a quo differt etiam quoad colorem sacrarum vestium. Quidquid sit de huiusmodi rationibus, tamen non pauci rerum liturgicarum periti et quidem magnae notae, ut *Gavantus* (p. 4, t. X) et Baldeschi (tomo 4, cap. 8, art. 2, n. 17) docent ut Subdiaconus manipulum assumat dum Diaconus induitur vestibus albi coloris. Ratio istorum desumitur etiam a Caerem. Episcop. sed saniori iudicio, nam ex capite sequenti, in quo sermo est de sacra actione in Sabbato Sancto peragenda a simplici Sacerdote, cum assistentia Episcopi, deducitur. Haec sunt verba praefati capitis: « .... Capiat Diaconus stolam, manipulum et dalmaticam

albam, *Subdiaconus* vero *manipulum* et planetam ante pectus plicatam *coloris violacei* ». Fatemur igitur, quamvis auctores graves et rationes non spernendae pro opposita sententia militent, probabiliorem nobis videri hanc secundam sententiam, eo vel magis quia in citato capite 28 Caeremoniale Ep. ita concludit: « In Ecclesiis collegiatis eadem omnia *servari debent, quae in hoc capite expressa sunt,* exceptis his, quae ad Episcopum pertinent, servatis in omnibus Rubricis Missalis », quae hac in re nihil habent.

IX. *Ex eodem loco.* **De benedictione thuris ante Praeconium Paschale.** In Sabbato Sancto fere omnes Rubricistae imponunt Diacono (vestimentis albis induto post benedictionem et incensationem novi ignis) ut accedat ad Celebrantem pro nova thuris iniectione in thuribulo, quia, dicunt, servire debet pro processione, et pro incensando Missali ante *Exultet.* Rubrica autem ne verbum quidem facit de processione pro *Lumen Christi,* tribus distinctis locis subsistendo, sicuti praescribit incensum ponendum esse pro processione in die Purificationis et Palmarum. An fieri debeat prout Rubricistae volunt; vel incensum poni debeat a Celebrante postquam osculatus fuerit Altare, ut fit ad Evangelium, pro incensando Missali ante cantum *Exultet?*

Resp. Extra controversiam est thus apponendum et benedicendum ante processionem pro *Lumen Christi*: quia quamvis Rubrica Missalis nihil habeat relate ad tempus quo incensum in thuribulo ponendum est, tamen non solum omnes liturgistae (conf. *Baldeschi,* Tom. 4, cap. 8, art. 2, n. 18; *Bissus,* Litt. S, n. 6, § 9; *Bauldry,* P. 4ª,

cap. 11, art. 1, n. 10; *Merati*, p. 4, tit. 10, n. 13; *Gavantus*, Rub. in p. 4, tit. 10, nota *n*; *Vinitor*, tit. 14, n. 9; *Turrinus*, Part. 3, sect. 2, cap. 3; *Corsettus*, Tract. 1, parte 2 de Sab. Sancto, cap. 8, n. 6, etc.), ut ipse inquirens testatur, unanimes sunt in hoc asserendo; sed etiam, quod maxime attendendum est, ipsum Caeremoniale Episcoporum sive in casu in quo Episcopus sacram actionem peragat, sive in casu in quo tantum assistat hoc praescribit (V. Caerem. Episc. lib. II, cap. 27, n. 3 et cap. 28, n, 2). Servetur igitur regula tradita in Caerem. Episc., eo vel magis propter verba in dubio praecedenti allata, quae probant etiam in Ecclesiis Collegiatis omnia in eo capite expressa vim legis habere. Demum haec est praxis omnium Urbis Ecclesiarum.

X. *Ex eodem loco.* **De verbo « eiusdem » in conclusione Orationum in quibus facta est mentio Spiritus Sancti.** Rubrica praescribit (*tit. IX* de Orationibus n. 17): « *In conclusione Orationum,... si facta sit mentio Spiritus Sancti, dicetur: in unitate eiusdem Spiritus Sancti etc.* » An omittendum sit verbum *eiusdem* in Oratione: *Excita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum* (ut in Oratione S. Iuliani 28 Ian., in Octava S. Laurentii M. 17 Aug., et S. Iosaphat E. M. 14 Nov.), sicuti eadem S. R. C. expungere iussit in pluribus Orationibus, quia non expressim intelligebatur in illis Spiritus Sanctus, sed tantum Spiritus dilectionis, fortitudinis, fervoris, charitatis; uti expunctum fuit in Missali typico in postcom. *Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde,* quae propterea concluditur sine *eiusdem?*

Resp. Non est omittendum verbum *eiusdem* in Orationibus: *Excita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum* in Octava S. Laurentii M. 17 Aug. et in festo S. Iosaphat E. M. 14 Nov. ut praescribitur in Missali typico; in Oratione autem *S. Iuliani* 18 Ian. *est omittendum,* et verbum *eiusdem* non invenitur in Missali typico, quia hic sermo est non de Spiritu Sancto, sed de aliquo dono Spiritus Sancti in nobis excitando.

XI. *Ex Urbe.* **De Octava commemoranda infra Octavam Epiphaniae.** Quomodo stat Decretum in *Quebecen.* diei 13 Dec. 1895 ad 1, cum in *Notandum* ad tabellam occurrentiae legitur: *De aliis Octavis, quae non sunt in Calendario, nihil fit... a die 17 Dec. usque ad Epiphaniam,* et durante Octava Epiphaniae, quae ante diem 6 Ianuarii incoeperunt non possunt habere locum ex Decreto in *Pampilonen.* diei 11 Sept. 1847?

Resp. Decretum in *Quebecen.* nihil habet in contrarium. Et revera consonum est Rubricis commemorari quoque festum simplex infra Octavam Epiphaniae, ergo etiam Octavam et diem infra Octavam. In *Notandum* autem dicitur non posse fieri de Octavis particularibus usque ad Epiphaniam, et hoc bene consonat cum Decreto, quod intelligi debet de diebus sequentibus *diem* Epiphaniae. Si autem Decretum in *Pampilonen.* refragatur, non est attendendum, scimus enim illud expunctum iri a nova Decretorum collectione, quia interpretatum est Rubricam dicentem: *usque ad Epiphaniam,* ac si diceret: *usque ad Octavam Epiphaniae;* quod non est iuxta mentem Rubricarum.

XII. *Ex eod. loco.* **Iterum de Vesperis diebus 29 et 30 Dec.** Festum S. Thomae quando gaudebat ritu semiduplici, cedebat Dominicae et diei infra Octavam sequentibus; ergo nunc, ritus duplicis, cedere debet capitulum festo primario duplici sequenti.

Resp. Quod S. Thomas cederet Dominicae sequenti, cum esset semiduplex, hoc erat iuxta Rubricas generales, quod vero cederet et diei infra Octavam, hoc nil probat contra nostram sententiam, quia casus specialis est recitari psalmos de festo non concurrenti, et in hoc casu speciali, Rubrica ad unitatem servandam, maluit post psalmos de Nativitate continuare idem officium in praeiudicium semiduplicis, et in honorem Octavae tam insignis, eo vel magis quod raro id accidit. Ceterum ad robur dictis adiiciendum stant Rubricae Breviarii Romano-Seraphici a S. Sede approbatae, ita ut controversia finita dicenda sit. Ita se habent: « Ad Vesperas (S. Thomae dupl. min.) Ant. *Tecum principium* cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Nativitate. Capitulum *Beatus vir.* Hymnus *Deus tuorum militum...* Deinde fit com. Dominicae et aliarum octavarum. Si immediate post festum S. Thomae fieri debeat de aliquo festo translato, tunc in II Vesperis S. Thomae fit a Capitulo de sequenti *si festum translatum sit altioris ritus,* cum com. S. Thomae et aliarum octavarum; *si vero sit eiusdem ritus,* Capitulum dicitur de S. Thoma cum com. sequentis etc. In secundis autem Vesperis Festi translati fit semper a Capitulo de eodem translato cum com. S. Silvestri. »

Nota. Inconveniens ab inquirente adnotatum, quod nimirum S. Silvester, in casu duplicis min.

occurrentis die 30 Dec., si nostra teneatur sententia, in utrisque Vesperis deficiat, non est attendendum, secus enim, si nempe velimus eius placitis obtemperare, idem inconveniens, si ita loqui fas est, haberetur in Vesperis S. Thomae.

XIII. *E Dioecesi N.* **De genuflexione in Vigilia Immaculatae Conceptionis.** Vigilia Immaculatae Conceptionis non ieiunatur; estne eadem Vigilia aequiparanda aliis, quae ieiunantur, ideoque genuflectendum in Officio et Missa?

Resp. Dubium versari posse tantum circa Missam, namque Officium fit dupl. de S. Ambrosio in Ecclesia universa, nec unquam Officium Vigiliae locum haberet quia in Adventu semper incidit, imo nec extra Adventum, eo quod Officium Vigiliae fit tantum de iis quae ieiunantur (*Rubr. Gen. Brev., Tit. VI, n. 1).* Quoad genuflexionem in Missa haec Rubricae Missalis habent (*Tit. XVII, n. 5*): « In Missis.... *Vigiliarum quae ieiunantur.... genuflectunt omnes etiam ad Orationes,* et dicto per celebrantem *Sanctus* usque ad *Pax Domini,....* excepta Vigilia Paschae et Pentecostes ac Nativitatis Domini ». Quod consonat et moerori seu poenitentiae, quam color significat paramentorum, namque (*Rub. Miss. Tit. XVIII, n. 5) in Vigiliis quae ieiunantur* excepta Vigilia Pentecostes, *violaceo colore utitur* (Ecclesia Romana). Ex quibus concludimus nec violacea paramenta esse adhibenda, nec genuflexiones, quae supra, faciendas. Si haec Vigilia *aliquando* de iis fuerit quae ieiunantur et postea ex indulto ieiunium fuerit relaxatum, propriam indolem nunquam amisisset, sed cum ita non sit, sed instituta fuerit *absque*

ieiunio, iis quae ieiunantur comparari non valet. Haec tamen dicimus salvo meliori iudicio.

XIV. *Ex eod. loco.* **De Missa de Requie prima die mensis.** De Herdt (*S. Liturgiae praxis T. I, n. 50*) scribit: « Si prima die mensis SS. Sacramentum ob publicam causam exponatur, Missa conventualis de *Requiem* in hac die non dicitur, sed amandari debet in aliam diem non impeditam post Sacramenti repositionem. Ideo tamen non omittitur commemoratio generalis pro Defunctis ». Estne hoc rectum? Dubium inde provenit, quia tunc bis fit commemoratio pro Defunctis.

Resp. Cl. Cavalieri opinatur licitam Missam solemnem seu cantatam pro suffragiis generalibus in prima die mensis, etiam solemniter exposito SS. Sacramento: at nos libentius subscribimus De Herdt, non tamen videmus inconveniens in dubio adnotatum. Et sane, quoad *commemorationem generalem* distinguendum est Rubricae praeceptum pro Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, ab alio pro Ecclesiis *non* Cathedralibus *nec* Collegiatis. Res igitur ita se habent: Prima die mensis non impedita officio duplici vel semiduplici, si habeatur in aliqua Ecclesia Cathedrali vel Collegiata expositio solemnis SS. Sacramenti, transfertur Missa *principalis pro Defunctis,* quia semper locum habere debet, nec ideo fit in Missa currentis diei commemoratio pro Defunctis; in Ecclesia vero non Cathedrali nec Collegiata ubi locum habere non semper debet, *sed solam commemorationem, si fuerit festum simplex, vel feria quae propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa Dominicae praecedentis, quae fuit impedita, et infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit,* his diebus, etiamsi occurrat expositio solemnis

SS. Sacramenti, *non omittitur commemoratio generaliter pro Defunctis:* aliis vero diebus, qui tales Missas non requirunt sed Missam de Requie, haec amandatur ut supra dictum est.

BREVIORA RESPONSA

1. *Pro Gallia.* Regula, quae in S. R. Congregatione servatur, haec est: nisi specialiter indulgeantur octavae omnino propriae Cleri Romani, nempe Transfigurationis D. N. et Dedicationis SS. Salvatoris, non includuntur in generica concessione utendi Calendario Cleri Romani; ac proinde celebrari tantum debent sub ritu dupl. maiori. — Quoad Festum S. Emydii et alia Festa particularia, fiat ut in eodem Calendario Cleri Saecularis.

2. *Pro eod. loco.* Ratione magni concursus populi decantari potest Missa de Sancto ob impedimentum transferendo, aliquibus diebus exceptis, nunquam vero, sine speciali indulto, de Sancto cuius Festum iam celebratum fuit.

3. *Pro eod. loco.* Verba Decreti 4 Feb. 1896: *permitti nihilominus ut Patroni Festum.... ratione feriationis praedicto* (Ecclesiae propriae) *Anniversario praeferatur,* sumenda sunt non ut ad libitum Rectorum Ecclesiae relinquatur electio unius aut alterius officii, sed ut indicetur in favorem populorum, qui in honorem Sancti, divinis vacant, derogari legi generali.

4. *Pro Centumcellis.* Occurrente Festo SS. S. R. E. Summ. Pontif. die infra octavam omnium San-

ctorum, Postcommunio pro octava sumi optime potest ex Missa *Intret* Plurimorum Martyrum. Ita ex Decretis et auctoribus pro similibus casibus.

5. *Pro Austria.* Ritum administrandi S. Viaticum, cum sit alius ab eo communionis aliorum fidelium, non convenire infra Missam pro aegroto celebratam autumamus, quamvis Decr. 19 Dec. 1829 prohibeat tantum si *altare e compectu suo* (celebrans) *amittat.* Si ergo Missa celebranda est ad infirmum S. Viatico reficiendum, haec prius compleatur, decenter servato SS. Sacramento, et Missa celebrata, observetur Rituale Romanum. De necessitatis casu, quo infirmus ad Missae finem non sit perventurus, non est interloquendum.

6. *Pro Dioec. Anneciensi.* Elogia a S. R. C. approbata non extant pro aliquibus Sanctis, quorum Officium et Missa ad Ecclesiam universam extensa sunt, et a die vere natalitia translata; idcirco dies quibus ii recoluntur praenuntientur modo consueto, lecto proprio elogio die vere natalitia, usque dum S. Congregatio aliter disponat, quod credimus praestituram cum de nova Martyrologii editione agetur.

7. *Pro Dioecesi Baionen.* Si Ecclesia Parochialis ad Religiosorum familiam pertineat, horum Calendarium sequi debet in Missae celebratione; si ad Dioecesim, Calendarium Dioecesanum, quoad Missae celebrationem, etiam si aliquis Religiosus eius curam habeat. Aliis dubiis facimus satis inquirentem exorando ut se conferat ad Decretum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, diei 17 Iunii 1896 ad IV. (V. *Ephem. praet. mens.* pag. 520).

8. *Pro eod. loco.* Rubrica Ritualis Romani in collatione Baptismi, satis explicita est ut innuat requiri tres phisice distinctas infusiones, nempe cum suspensione inter primam et secundam et inter secundam et tertiam, ad tres cruces quae fieri debent super caput infantis, dicit enim: « N. Ego te baptizo in nomine Patris ✠ *fundat primo,* et Filii ✠ *fundat secundo,* et Spiritus ✠ Sancti, *fundat tertio*, ergo non debet infusio continuari, et distingui per solam crucium efformationem.

9. *Pro eod. loco.* Vesperae de aliqua votiva festivitate loco Vesperarum officii diei, non prohibentur in Ecclesia, quae ad Chorale officium non tenetur; qui tamen ad horas canonicas adiguntur, non exonerantur a recitatione iuxta proprium Calendarium.

10. *Pro eod. loco.* Decretum 18 Maii 1889, quo declaratur verba: *Romae vero* (Officium votivum feria III) *de Sanctis Petro et Paulo,* alios etiam afficere, qui Calendario Cleri Romani utentes, extra degunt quidem, sed ad officium quod spectat, quid unum efficiunt cum Clero Romano, est authenticum et legi potest in Vol. III harum *Ephemeridum* pag. 425.

Nota. Pro dubio circa tres Missas in nocte Nativitatis D. solvendo, necessarium esset noscere conditiones in Rescripto contentas.

11. *Pro Dioecesi Carnuten.* In Ecclesiis Civitatis seu loci ubi SS. Innocentes sunt Patroni admittit Gavantus (*Sect. 6, c. 6, n. 7*) posse in Officio dici *Te Deum* et in Missis adhiberi rubeum colorem, cum ceteris, quae locum habent quando hoc festum occurrerit in Dominica. Clarissimo

viro ultro subscribimus. Idem admittendum profecto est, si festum Titulare iidem Sancti constituant. Non item ratione expositionis SS. Sacramenti, quantumvis solemnis, iuxta praxim Urbis in expositione solemni quadraginta Horarum.

12. *Pro Curenna*. S. Pyxis Sabbato Maioris Hebdomadae deferri debet in consueto Tabernaculo Ecclesiae finita Missa, et non immediate post S. Specierum consummationem, quod S. Functionem aliquomodo implicaret. Quamvis custodiatur S. Eucharistia retro altare tabernaculi (quod admitti potest si locus non efformet partem integralem necessariam Ecclesiae), non videtur conveniens S. Pyxidem asportare absque luminibus et nudis manibus; de umbella non disputamus, sed reliqua necessaria aestimamus, nec paritas censetur adesse cum circumstantia, qua fideles communicantur, nec qua SS^{mum} Sacram. retro idem altare exponitur, agitur enim de vera asportatione a loco custodiae ad altare, quantumvis propinquum. Adhibeantur igitur lumina et velum humerale.

Nota. Tabernaculum in Triduo Maioris Hebdomadae, ex consuetudine apertum relinquitur, sed quamvis clausum, nullum inducit inconveniens, satis enim ex aliis dignoscitur Almum Sacramentum non adesse.

13. *Pro Venetiis*. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae est Festum Domini, et si propriae Ecclesiae, est Festum primarium (S. R. C. 4 Febr. 1896). Applicandum ergo eidem Festo Decretum 22 Maii 1896, ut eius Octava, in concursu, cedat tantum duplicibus 2^{ae} classis.

14. *Pro Belgio*. *a*) Convenientius in precibus, quae publice fiunt in Ecclesiis, ordo servatur di-

gnitatis, ut prius laudes dicantur ad Domini honorem, postea B. V., Angelorum, S. Iosephi etc.; et ita pariter Orationes, si adiungantur Orationi de Venerabili, similiter ordinentur.

b) In dictis functionibus ceroferarii melius locum tenebunt in plano Presbyterii, quod maiorem sinit libertatem pro caeremoniis, quae ad Altare fiunt, si enim ceroferarii in gradu Altaris genuflectent, locum occupabunt et periculum constituent, seu ignis applicandi seu gradus Altaris maculandi; insuper cleri dispositio magis ordinata evadet et spectantibus magis placet.

c) Thuriferarius stare potest in cornu Epistolae in plano ne medium Presbyterii incongruenter occupet; Caeremoniarius vero genuflexus (quando non sit in actione) in infimo gradu ex eodem cornu.

d) Absque dubitatione tam celebrans quam assistentes assurgere possunt ad cantum hymnorum, etiam coram SSm̃o exposito.

15. *Pro eod. loco.* Iuxta Decretum 22 Ian. 1701 ante ostiolum Tabernaculi non licet ponere flores vel candelabrum, sed *humiliori et decentiori loco.*

16. *Pro Dioec. Calatanisiaden.* In N. 7 *Ephem.* curr. anni pag. 498-99 diximus Sacram R. C. permittere fieri absolutionem post Missam de die, *dummodo independenter a Missa, quod videtur in casu comprobari.* Ergo nihil contra Decretum 16 Mart. 1833, eo vel magis, quod in casu agebatur de Missa tantum lecta.

IMPRIMATUR — P. Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR — Franciscus Cassetta Patriarc. Antiochiae Vicesgerens.

Proprietas literaria

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

X.

Ecclesia quaedam nuperrime constructa fuit, atque in honorem divi Florentii solemniter Deo dicata. Porro calendarii dioecesani redactor, satis fuit implicatus in hoc festo pro illa Ecclesia ordinando; et post consilium acceptum a viris, quos rei liturgicae peritos iudicabat, pro vertente anno sequenti ratione negotium composuit. Die 3 Ianuarii inscribit festum novi Titularis recolendum, utpote die natali pro S. Florentio, in ipso Martyrologio romano assignata. Ritum inscribit duplicem I classis cum octava; quod, licet initium illa habere ob tempus vetitum non potuerit, nihilominus eam continuari posse autumat post festum Epiphaniae (quamvis per solam commemorationem) quia impedimentum finem habet. Praeterea die 15 Iulii, 6 infra octavam S. Rufinae V. M. loci Patronae, non de festo occurrente S. Henrici Imp. semiduplicis ritus agendum esse ponit, sed de infra octavam, ob praestantiorem dignitatem Patronae. Denique cum dies octava Sanctae Patronae in illa Ecclesia concurreret in secundis Vesperis cum festo quodam secundario totius Dioecesis, duplicis minoris ritus, integras diei octavae Vesperas tribuit, ratione primarii festi, et solam alteri concurrenti commemorationem.

Quaeritur:

1. *Quid proprie sit dies festus, liturgice acceptus, et quinam ille esse debeat pro Patronis?*

2. *Utrum octava quae ob impedimentum initio caruit, debeat, cessante impedimento, continuari?*

3. *Quaenam sequenda lex in occurrentia festorum semiduplicium infra octavas communes, hoc est de quo recitari debeat officium?*

4. *Concurrentibus die aliqua octava et aliquo duplici minori, quomodo Vesperae ordinandae?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Ioannis Biasiotti habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 29 Maii 1895, acta Epitoma per Rmum Dom. Calcedonium Mancini P. C. M. Academiae Moderatorem.

I. Quaeritur quid proprie sit dies festus, liturgice acceptus, et quinam ille esse debeat pro Patronis?

Liceat imprimis, antequam ad responsionem deveniamus, ad memoriam revocare nonnulla, quae utilia ad finem nostrum videntur, ut nempe dilucide res pertractentur. Norunt omnes, qua ratione solet Ecclesia memoriam celebrare alicuius Sancti vel Mysterii. Ex rationis diversitate, qua diei connectuntur, ut recolantur, variae exsurgunt denominationes. Ita cum alicuius Sancti anniversaria recolitur mortis dies, habetur *dies natalitia,* sic appellata, ut illius in coelo nativitas indicetur, seu

beatae vitae principium. Quum vero per S. Sedis Apostolicae Decretum dies alia assignatur ad Sancti memoriam recolendam, de quo anniversarius mortis dies nequit celebrari, aliquo obstante impedimento, tum habetur *dies quasi-natalitia,* qua celebrandum indicitur gaudium pro obtenta ab eodem Sancto gloriae coelestis corona, supposito, fictione iuris, quasi eius beata mors illa die acciderit, qua, ex Ecclesiae instituto, adnexa videmus omnem solemnitatis rationem, ac si dies esset natalitia, sensu superius exposito. Quod si non de aliquo Sancto, sed de Mysterio quodam memoria celebranda sit, tunc aut dies colitur quo id evenit aut patefactum est, et talis dies denominatur *dies propria,* seu, quamvis alio sensu, *natalitia;* aut dies altera eiusdem memoriae recolendae assignatur, et *quasi-natalitia* appellatur. Ob existentes occurrentiae leges, cum alicuius Sancti aut Mysterii dies propria, seu quasi-natalitia perpetuo impediatur, habetur *dies assignata,* illa nempe, quae a Calendarista cum Episcopi approbatione statuitur, ut Sancti vel Mysterii quotannis solémnitas celebretur. Hoc tamen casu animadvertere opus est, quod si impedimentum aliquando finem habeat, aut in aliqua particulari Ecclesia non verificetur, anniversaria Sancti vel Mysterii memoria illi diei affigi debet, ad quem ius iampridem habebat. Id vero non accidit pro die quasi-natalitia, ita ut quamvis libera, quandoque evadat dies vere natalitia, debeant nihilominus Sancti vel Mysteria perpetuo celebrari die a S. Sede delecta. Huius differentiae ratio haec est: dies assignata particularis loci dispositio est Ordinarii auctoritate probata, quae locali impedimento de-

terminata fuit; et contra, dies quasi-natalitia, pro Ecclesia universa a suprema auctoritate statuta est, ob commune impedimentum, quod si forte alicubi non verificetur, de privato consilio, esto Ordinarii, non est a communitate et suprema ordinatione recedendum, quod recta suadet ratio in Apostolicam Sedem venerationis. Hinc videmus diem 4 Augusti Apostolica auctoritate statutam ad festum S. Dominici Confessoris recolendum, quae dies non natalitia, sed quasi-natalitia est, eo quod S. Dominicus ex hac ad coelestem vitam migraverit octavo idus Augusti, nempe die 6 mensis eiusdem, in Ecclesia universa impedita a festo Transfigurationis D. N. I. Ch. Sed ubi festum S. Dominici aliqua de causa celebratur ritu elatiori quam in Ecclesia universa, v. gr. quod sit Titularis Ecclesiae vel loci Patronus, non valet illum ad suam vere natalitiam diem reponi nempe sextam Augusti, quamvis hoc bene fieri potuerit, quum, occurrente duplici v. gr. primae classis, ut in casu S. Dominico, cum duplici maiori nempe Transfiguratione Domini, hoc cedere debuisset. At opponere quis posset casum occurrentem in Ecclesiis Clericorum Infirmis Ministrantium, in quibus festum S. Camilli Fundatoris Congregationis, quod ritu duplici primae classis celebrant, praefertur S. Henrico Imperatori die 15 Iulii, qua S. Camillus ex hac vita decessit, quamvis dies a S. Sede statuta, ad eius memoriam recolendam, uti quasi-natalitia sit 18 eiusdem mensis. Sed dicimus, quod ex casu particulari non infirmatur lex generalis, et supponere debemus eos sic se gerere ex beneplacito S. Sedis, quae in gratiam S. Fundatoris, in Ecclesiis suae Congregationis trans-

lationem permisit S. Henrici, ritus semiduplicis, ut dies vere natalitia S. Camilli recoleretur.

Dies assignata nullo pacto *propria* appellari valet, quia ut talis dici posset, Sancti vel Mysteria constanter affixa esse deberent diei, qua coluntur, quae propria diceretur aut realiter, aut fictione iuris, uti superius declaravimus, quod in casu nullimode comprobatur.

Dies proprii dicuntur liturgice etiam festi, ac proinde dicimus *diem festum* esse proprie illum, quo S. Sedes statuit honorari Sanctum vel Mysterium, quod Decretum antiquitus per Bullam vel Breve promulgabat. Dies assignati, improprie festi dicuntur, ac multo magis improprie festi appellarentur dies accidentaliter translati, qui dies Officii tantum sunt.

Nunc clare patet pro Sanctis Patronis diem festum esse debere diem propriam, nempe natalitiam vel quasi-natalitiam, nunquam assignatam, quia, cum dies festus potior sit prae ceteris festis, quae cum eodem occurrere possunt, nequit ipsis cedere in occurrentia, dum dies assignata ea est, quae, occurrentiae vi, cum sit minus digna, a die per S. Sedem constituta repulsa fuit. Ita ex. gr. si in Dioecesi S. Antonii festum ob occurrentiam Dedicationis Ecclesiae Cathedralis translatum in perpetuum sit ad diem 16 Iunii, quae assignata diceretur, ubi S. Antonius est Patronus, non hac die, qua eius officium assignatum fuit, sed die 13 recoli deberet, nempe natalitia, Dedicatione in casu minus propria translata. Item, Sancto Vincentio a Paulo Patrono, assignata alia die, ob perpetuam occurrentiam alterius Sancti die 19 Iulii, non die assignata, nec tamen die vere natalitia, quae

esset 27 Septembris (libera in casu), sed die 19 nempe quasi-natalitia, in S. Sedis obsequium, ut dictum est, celebrabitur.

II. Quaeritur secundo utrum Octava, quae ob aliquod impedimentum incipi non potuerit, remoto impedimento, debeat prosequi. In Rubricis Breviarii (*Tit. VII de Octavis, n. 5*) ita legimus: « Si aliquod festum, quod celebrari solet cum Octava paulo ante Quadragesimam venerit, et iam per aliquot dies factum sit officium de eius octava, adveniente Quadragesima nihil amplius fit de eo. Ex hoc clare desumitur: Octavam quamvis non possit compleri ut in casu supradicto tamen esse praeceptivam a die festo usque ad diem prosequutionem impedientem. Igitur ob rationem contrariorum dicerem, quoties ob aliquod impedimentum Octava incipi non possit, eodem cessante prosequi debeat. Rubricae nullam mentionem faciunt de hoc casu, sed eo quod non commemoraverint forsitan dicendum est a Liturgia non admitti? Citatur etiam in Rubricis casus festi translati, saltem quoad officium, ante quam eius Octava sit expleta (*Tit. X, n. 5* in fine) et praescribitur, die festo celebrato, Octavam esse incipiendam, atque explendam eo ipso die, quo expleta esset si dies festus non fuisset translatus, nunc in casu nostro nullum verbum fit de translatione Octavae, sed tantum de causa impediente ex parte celebrationum Octavae; igitur Octava incipienda est quocumque modo etiam si expleri nequeat, et cur non poterit Octava expleri, quae non potuit incipi? Cessante tempore vetito, cessat ratio ob quam, impediebatur Octava. Liceat mihi proferre in medium exemplum ipsum in casu

propositum, ut melius quae dicam intelligantur. In Rubricis Breviarii (*Tit. VII de Octavis, n. 1*) et post tabellam Occurrentiae (*n. 6*) dicitur quod de Octavis nihil fieri potest a die decima septima Decembris usque ad festum Epiphaniae inclusive. Nunc in casu habemus die tertia Ianuarii celebrari uti Titularem Sanctum Florentium, ad quem utpote talem, spectat ius Octavae. Certum est usque ad diem sextum inclusive non posse loqui de Octava, eo quod Rubrica supradicta, positive illam excludit. Sub titulo septimo, iam a nobis allato (*n. 3* in medio) dicitur quod dies festi Dedicationis, Titularis aut Patroni principalis *infra Octavam Epiphaniae non carent sua Octava,* et unoquoque die Octavae Epiphaniae facienda est commemoratio diei *infra Octavam particularem.* Nemo denegat Octavam inhaerere diei festo, quam ob rem resumens casum, quaero utrum post festum Epiphaniae debeat an non prosequi Octava Sancti Florentii, ablato tunc impedimento, ob quod commemorari non poterat. Mihi videor posse affirmare, eo quod, cessante impedimento, reviviscit pro festo ius Octavae. Et quod dictum est de casu allato, dicatur etiam de similibus (1).

III. Quaeritur tertio, quam legem sequi debeamus in occurrentia festorum semiduplicium

---

(1) Die 13 Decembris 1895, S. R. C. in *Quebecen.* ad 1. quaestionem solvit iuxta Academiae sententiam; quaerebatur: An Titulare Festum alicuius Ecclesiae a die 31 Decembris, ad quintam Ianuarii occurrens, habeat octavam? Et responsum fuit: *Affirmative iuxta Rubricas.*

(*Redactio*).

infra Octavas communes, de quibus nempe Officium faciendum est?

Iuxta rectum sensum Liturgicum observanda esset lex, quae dirigit iura festorum pro ipsorum qualitate, si nempe sint primaria vel secundaria et quae iuxta Decretum generale sub die 14 Augusti 1894 complectitur, etiam semiduplicia, ita ut, si in Octava primaria occurreret semiduplex secundarium, celebrandum esset officium de Octava et vice versa in Octava secundaria si occurreret semiduplex primarium celebrandum esset huius Officium. Ita pariter si occurreret aliquod infra Octavam primarium, et semiduplex pariter primarium praecedentia esset concedenda ratione dignitatis. Et hoc idem dicendum in occurrentia diei infra Octavam secundarii cum semiduplici pariter secundario. At iuxta hanc distinctionem aliquot Sancti expellerentur a Calendario, ut exempli causa eveniret in Calendario universali pro Sancto Damaso ritus semiduplicis primarii, occurrente die tertia infra Octavam Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, quae pariter est primaria sed potioris dignitatis. Hoc quoque eveniret in Calendariis particularibus circa officia v. gr., translationis aut inventionis alicuius Sancti (quando sub ritu celebrarentur semiduplici) quae sunt secundaria, si occurrerent infra Octavam primariam. Nunc quaero: potest ne admitti talem esse mentem Ecclesiae in statuenda distinctione inter dies festos primarios et secundarios? Non ita credo. Videtur mihi aliud principium ponendum et hoc esse: quod de infra Octavam fit Officium cum nullus alius Sanctus sit qui occurrat; et re vera Officium semi-

duplex infra Octavam usque nunc semper admisit cetera omnia Officia, etiam semiduplicia, salvis exceptionibus pro Octavis privilegiatis.

Ex his ego concluderem: infra Octavam, quodcumque semiduplex aut primarium aut secundarium semper celebrandum esse, nulla habita ratione de infra Octavam primario aut secundario, vel digniori. Hoc dico ut meam privatam sententiam proferam, eo quod Sacra Rituum Congregatio nondum de tali quaestione sententiam pronuntiaverit.

Dicunt nonnulli legem primariorum et secundariorum non posse applicari diebus Octavis aut infra Octavam, eo quod Rubricae loquantur de Octava et diebus infra Octavam separatim a diebus festis, de quibus diversas praescribit regulas. Sed ego respondeo huic obiectioni, post Rubricas supervenisse classificationes circa dies festos, et ideo Octavae sequuntur leges festorum. Ceterum, uti iam supra dixi, iterum dico Ecclesiam nullam adhuc protulisse sententiam circa quaestionem Octavarum occurrentium cum semiduplicibus, quare consultius videtur expectare Ecclesiae iudicium (1).

IV. Quarto quaeritur: concurrente die aliqua Octava et aliquo duplici minore quomodo Vesperae sunt ordinandae?

---

(1) Iudicium optatum haud sero prodiit. Ad dubium: An dies infra Octavam Festi primarii vel secundarii cedant semiduplici occurrenti? S. R. C. respondit: Dies infra octavam quamcumque tamquam secundarios habendos esse, et cedere cuicumque semiduplici occurrenti. Die 21 Februarii 1896 ad I.

(*Redactio*).

Respondeo. In casu sequi debemus legem generalem; dies Octavae habetur ut duplex minus. Posito Decreto de primariis et secundariis, quoniam Octava sequitur festum, si dies festus est primarius etiam Octava erit primaria: sin autem est secundaria, etiam eius Octava erit secundaria. Consequenter siqua dies Octava concurrerit cum festo primario aut secundario, habita ratione, in paritate gradus, suae dignitatis, aut fruetur integris Vesperis, aut dimidiatis, aut tandem sola commemoratione (1).

Post haec, quodnam iudicium de Calendarii redactore agendi ratione ferendum? Optime inscripsit pro S. Florentio ritum duplicem primae classis cum Octava, de qua videlicet tantum fieret commemoratio, diebus 7, 8, 9 et 10 Ianuarii nempe post festum Epiphaniae. Die vero 15 Iulii male operatus est praeferendo diem infra Octavam Officio S. Henrici, quia quamvis hypothesis fieret de primarietate diei infra Octavam, nulla potiori dignitate habente S. Rufina (Patroni enim qualitas nihil addit dignitatis), occurrebant duo festa primaria, eiusdem ritus et qualitatis inter quae praeferri debuerat festum prae die infra Octavam, quae cum non sit festum proprie dictum, sed repetitio festi, cedere omnino oportebat. Posito principio quod Octava naturam sequitur festi, Octava S. Rufinae erat primaria; ergo in concurrentia

(1) Quod S. R. C. ratum habuit recenti Decreto diei 21 Februarii 1896 ad II, affirmans: *Diem Octavam esse primariam vel secundariam, prouti Festum ad quod illa pertinet, primarium vel secundarium est.*

(*Redactio*).

cum duplici minori secundario, praeferri huic debuerat, uti sana mente iudicavit noster Calendarii redactor.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Hispania.* **De diebus vetitis pro Officio votivo, etiam in dupl. mai. indulto.** Dantur Ecclesiae quae gaudent privilegio Missam et Officium recitandi de Sanctissimo Eucaristiae Sacramento, in omnibus feriis quintis, in quibus non occurrunt festa duplicia primae vel secundae classis. Quaeritur itaque utrum hoc privilegium locum habere possit in illis feriis quintis in quibus occurrunt festa Salvatoris, feriae maiores, vigiliae, dies infra octavas privilegiatas et dies octavae, iuxta novas rubricas?

Resp. Cum agitur de Indultis, regula iuris est sequenda, quod tantum valent, quantum verba sonant quibus conceduntur. Si igitur in Indulto celebrandi Missam et Officium de SS. Eucharistiae Sacramento, etiam in duplici maiori, nulla facta fuit reservatio pro festis SSmi Salvatoris, quae sunt duplicis maioris, pleno iure Officium votivum et Missa recitari possunt. Nec supponi debet concedentem non cogitasse de possibili huiusmodi occurrentia. Ita in concessione Missae votivae de SS. Corde Iesu feriis sextis, quae priora sunt in quolibet mense, cautum fuit ne celebrarentur occurrentibus festis Domini. Cum tamen

agatur de re minus convenienti apparente, liberam, salvo meliori iudicio, electionem iudicaremus, nisi tamen indultum in praeceptum immutatum sit v. gr. ex suscepta Communitatis obligatione. De feriis maioribus, vigiliis, etc. uno verbo dicimus illas impedimentum constituere, quae duplicia secundae classis excludunt.

II. *E Legione in Hispania.* **De pluribus absolutionibus pro Defunctis.** In prima die non impedita cuiusque mensis dicuntur in eadem Cathedrali quatuor absolutiones post officium Defunctorum, et duae post Missam: Potest ne retineri talis praxis, quamvis non conveniat cum Rubricis?

Resp. Consuetudo ut in casu dici non potest, ex nostro iudicio, laudabilis, quamvis non sit *contra,* sed *praeter* Rituale, Caeremoniale ac Pontificale; proindeque eam non audemus probare, tamquam abusum; sed dicimus omnia, quae ad S. Liturgiam spectant fieri debere iuxta Rubricas, et legitimam consuetudinem, nec aliquid impune addi vel demi posse. Quod si agatur de obligationibus ex fundatione susceptis, provideatur pro commutatione.

III. *E Legione in Hispania.* **De extensione privilegii ad Ecclesias Monialium.** Haec Dioecesis gaudet privilegio a Sede Apostolica concesso thuris utendi in Missis parochialibus cantatis sine Diacono et Subdiacono in festis solemnioribus; potestne uti eodem privilegio in Ecclesiis Monialium in Missis conventualibus cantatis sine Diacono et Subdiacono?

Resp. Ut privilegium legitime extendi possit ad loca, quae antea illo non sunt gavisa, oportet ut in ea versentur conditione et illae verificentur

clausulae, quae in ipsa privilegii concessione habentur. Nunc in casu omnes in tota Dioecesi Ecclesiae etiam noviter, scilicet post Indulti concessionem, erectae, privilegii sunt capaces, dummodo parochiales sint. Ergo si Ecclesiae Monialium in Parochias sunt erectae, non tantum in Missis parochialibus, sed etiam in Missis conventualibus privilegio frui possunt thuris utendi, etiamsi non ministrent Diaconus et Subdiaconus.

IV. *E Dioecesi Calatanisiaden.* **De applicatione Missae de Requie iuxta Decretum:** *Aucto.* Missae de Requie, quae celebrari permittuntur in Sacello sepulcreti, et illae, quae celebrantur die vel pro die obitus aut depositionis, iuxta Decretum S. R. C. diei 19 Maii 1896, debentne necessario applicari pro Defunctis respective quiescentibus et phisice seu moraliter praesentibus; an sufficiat Missae qualitate illis suffragare, et eiusdem fructum alii demandare?

Resp. Triplici argumentatione reponimus: negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Et primo: si Sacerdos in exequiis persolvendis non recepto stipendio, iuxta S. C. Concilii resolutionem, potest pro aliis petentibus Sacrificium applicare, a fortiori id fieri potest cum non agitur de Missa solemni pro exequiis persolvendis, quae maximam cum Defuncto relationem habet. Secundo: Dies, quibus novum favet Decretum, liberi evadunt ad Missas de Requie celebrandas; ergo in iis agere Sacerdos valet sicut in semiduplicibus; atqui in illis libere potest pro quibuscumque Defunctis et etiam pro vivis applicare; ergo et in illis. Tertio: Decretum ipsum habet pro causa movente *iuvamen fidelium Defunctorum et spirituale*

solatium vivorum, saepe impedita paucitate dierum, qui Missae de Requie permittunt; atqui hoc iuvamen et solatium saepe desideratur, et optime habetur Missas de Requie celebrando iis in adiunctis, etiamsi Sacrificii fructus ad libitum applicetur, ergo... Insuper Decretum non ait, Missas posse esse de Requie tantummodo, si pro Defunctis de quibus in casu applicetur. Imo cum in fine dicit: *verum sub clausulis et conditionibus quibus... Missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur,* inter has conditiones, et illa includitur, quae applicationem respicit, et superius diximus liberam esse posse.

V. *E Parisiis.* **De Missa iuxta Calendarium concessum Monialibus Officium Divinum non recitantibus.** Quaedam sunt Moniales, absque votis solemnibus, quae Officium non dicunt et tamen Indultum habent a S. R. C. ut Calendarium sequantur PP. Societatis Iesu; quaeritur: num Cappellanus Presbyter saecularis et alii apud illas celebrantes teneantur sequi dictum Calendarium?

Resp. Nullius momenti difficultas, praecipue post Decretum in *Ruthenen.* 22 Maii 1896. Et revera concessio Monialibus facta, Calendarium sequendi Societatis Iesu, non Officium respicere potest, quod nec Moniales nec alii inibi recitant, sed tantum Missas. Nunc autem dubitari potest utrum de Missis tantum intelligi debeat, quae pro communitate dicuntur et ad instar Conventualium habentur, an de omnibus, quae forte celebrentur. Sed in casu habetur Indultum datum fuisse, generatim Calendarium sequendi Societatis Iesu; ergo omnes comprehendere Missas dicendum est. Hoc ergo posito, *tenenturne* Sacerdotes omnes

confluentes, an Cappellanus tantum, illud sequi Calendarium? Responsum praebet Decretum iam citatum praecipiens, quod Calendario loci respondere debeant *Missae dummodo agatur de Cappella principali* (communitatum etc.), *quae* **instar Oratorii publici** *ad effectum memorati Decreti* (9 Dec. 1895) *habenda est.*

Ergo concludendum cum distinctione: aut Missa celebratur in Cappella principali, et tunc conveniet Calendario Societatis Iesu, quod est proprium loci; aut in aliis Cappellis, et tunc, cum habeantur pro privatis Oratoriis, conveniet Calendario proprio Celebrantis.

VI. *Ex eodem loco.* **De qualitate Missae in Oratorio cuiusdam Communitatis.** Cappella cuiusdam Communitatis inservit Monialibus de Sion, nullo proprio Calendario utentibus et puellis educandis. Cappellanus Monialium est Sacerdos e Societate Sion, Cappellanus puellarum est Presbyter saecularis. Quodnam Calendarium sequendum?

Resp. Communitate nullo proprio habente Calendario, cum tamen principale eius Sacellum habendum sit instar publici Oratorii, in quantum Missarum celebrationem respicit, proprium, ut ita dicam, quoddam sibi facere debet, ut uniformitas servetur. Itaque etiamsi unus tantum Sacerdos sive saecularis, sive regularis specialiter addictus sit servitio Oratorii, et tunc illius Calendarium etiam ab extraneis confluentibus sequi debet (S. R. Congregatio 27 Iun. 1896 *Ord. Min. S. Franc. Capuccinor.*). Si autem nullus Sacerdos specialiter sit addictus, tunc Dioecesis Calendario utendum. In casu igitur, alterutro ex Cappellanis Oratorio specialiter addicto, omnes alii una cum illo ce-

lebrabunt iuxta illius Calendarium, neutro vero sic addicto, Dioecesanum Calendarium.

VII. *E Lauda*. **De Titulari solemniter recolendo in Oratoriis publicis.** Apud Ephemerides huius anni n. 5 mensis Maii pag. 312 et 317 dicitur: « Oratoria consecrata vel *benedicta* iuxta Ritum a Rituali Romano praescriptum, habere proprium Titularem colendum uti illos Ecclesiarum consecratarum ritu duplici 1ae classis cum Credo et Octava ». Porro hoc contradicere videtur Decreto S. R. C. in Marianopolitana 18 Iulii 1885 ad Dub. V et VI. Etenim ad Dubium V, S. C. respondit: *Pro Oratoriis simpliciter benedictis* « Negative » (nempe non habere ius ad Festum Titularis cum Octava) *et serventur Decreta*. Neque verba *simpliciter benedicta* accipi possunt pro benedictione alia ab eo Ritu qui praescribitur a Rituali Romano et desumi potest a Dub. VI et responsione, quae est: « Si sit consecratum Oratorium ius ei competit uti pro publica Ecclesia consecrata, si sit benedictum provisum in V ». Hanc doctrinam secutae sunt Ephemerides anno VII vol. 7 pag. 428 scribentes: « Ergo certum est, festum liturgicum Oratorii, quamvis publici, sed non consecrati, celebrari non posse ». Quaeritur ergo an hodie standum sit Decreto in Marianopolitana iam citato, vel cum doctrina tradita a Rev. Dño Balducci redeundum sit ad Decretum ibidem citatum in Mechlinien. 7 Decembris 1844 quoad ritum recolendi Oratoriorum benedictorum Titularia?

Resp. Decretorum seriem, quae hac de re a S. R. C. prodierunt, attente perlegimus ac meditati sumus. Quantum sapimus, quantum capimus, ad hanc venimus conclusionem: Oratoria

publica solemniter ab Episcopo, vel Sacerdote de licentia Episcopi, benedicta ***Ritu benedicendi novam Ecclesiam,*** ius habent ad festum Titularis quotannis recolendum ritu duplici 1ae classis cum Octava. En autem potissima ratio: Decreta, quae opponuntur celebrationi Titularis, loquuntur de Oratoriis semipublicis, qualia sunt illa Hospitalium, Seminariorum, etc., non autem de vere publicis; quod non dicimus ex nostro videndi modo, sed ex ipsa S. R. Congregationis interpretatione, quam luculentissime exhibet in Decreto 26 Martii 1859 in *Cadurcen.*, quae interpretatio sustinenda omnino est etiam circa posteriora Decreta et adhibenda uti eorum clavis, quia et haec suum fundamentum habent in praecedentibus, ut videre est et in recentissimo in dubio citato 18 Iulii 1885 in *Marianopolitana,* quod sese refert omnino ad Decretum diei 12 Novembris 1831, nempe ad illud, quod a S. C., uti diximus, interpretatione munitur, et haec est: Sacerdos D. Ferrand ex urbe Cadurcensi dubitavit de iure a S. R. C. recognito die 7 Dec. 1844 in *Mechlinien.* pro Oratoriis publicis rite benedictis, ad Titularem solemniter recolendum, ex eo quod « in Indice Collectionis Decretorum authenticorum S. R. Congregationis Decretum istud Mechliniense indicetur hoc modo: *Titulares Oratoriorum seu Cappellarum publicarum non sunt colendi ritu primae classis cum Octava* »; ideoque humiliter declarari petiit quid in praxi tenendum. Responsio fuit haec: *Standum decisioni prout continetur in laudato Decreto diei 7 Decembris 1844, ad Dubium II* **et non sensui, qui eidem Decreto tributus fuit per errorem a Compilatore Indicis.** Quid amplius quaerimus? Si **error** est dicere: Ti-

tulares Oratoriorum seu Cappellarum publicarum non sunt colendi ritu primae classis cum Octava, **veritas** est dicere: Titulares Oratoriorum seu Cappellarum publicarum recolendi sunt ritu duplici primae classis cum Octava.

Ceterum ad contradictores pacandos dicimus, sententiam nostram, quam Sacrae Congregationis interpretatione firmavimus, respicere Oratoria, uti supra diximus, non tantum *publica,* sed et *solemniter benedicta ad instar Ecclesiae.* Cui clausulae si attendatur, omnis difficultas evanescit; si enim Ecclesiae benedictae Titularis, cui nota iura competunt, est ille (prouti nemo dubitat), qui eligitur et nominatur in actu solemnis benedictionis, quum Oratorium est benedictionis huiusmodi capax, quia est veluti Ecclesia, capax quoque erit omnium consequentium, prouti omnium consequentium, inter quae anniversarii Dedicationis capax fiet si consecretur. Neque timor obstare debet, ne ob loci exiguitatem vel incongruentiam, solemnitas aut alia consequentia vilescant, quia Episcopi erit denegare benedictionem, nisi omnia conveniant, quae a S. Liturgiae legibus requiruntur.

Inferes doctrinam in nostris *Ephemeridibus* vol. 7 traditam, Decretis haud subtili investigatione perpensis, non amplius sustineri; sed utique illam mense Maio huius anni expositam.

VII. *Ex Augusta Praetoria.* **De obligatione eorum qui ad Missam Conventualem tenentur, interessendi ad aquae Aspersionem in Dominicis.** Quaeritur: Utrum ii omnes et singuli, qui die Dominica tenentur ad interessendum Missae capitulari, teneantur quoque eo ipso ad interessendum Aspersioni aquae benedictae? Si affirmative: Taxatio debetne una

esse cum mulcta inflicta absenti a dicta Missa, aut superaddi? A quonam puncto mulctandus absens?

Resp. Ad plene satisfaciendum obligationi chorali, oportet ut unusquisque adsit ab initio usque ad finem, etiamsi agatur de iis partibus, ad quas alias non teneretur, uti ex. gr. lectione Martyrologii, Officio parvo B. M. V., etc.; nec ex eo quod ob brevem moram poena non irrogatur, consequitur, talem permissam esse. Ergo quoad obligationem interessendi ad aquae Aspersionem in Dominicis nullum dubium. Quoad autem taxationem seu punctaturam, ut dicitur, haec animadvertimus: Ex iure Canonico, S. Functionibus et aliis actibus Capitularibus, quae a Canonicis communiter et collegialiter fiunt, portio aliqua distributionum assignari potest, et consequenter relativa punctatura. Si igitur constitutiones Capitulares aut consuetudo specialem punctaturam ad Aspersionem aquae benedictae, quae praeceptiva est in Dominicis ante Missam Conventualem cantatam cum Ministris, statuunt, servari debet. Si autem nulla specialis habeatur dispositio, cum Aspersio sit quasi praeliminare ad Missam, et uti eiusdem pars considerari possit, taxatio procedet iuxta Ecclesiae consuetudinem, statutum aut fundationem, ita ut praesentia in principio sit vel non moraliter aestimanda, scilicet si sit notabilis, mulctanda, si vero levis, indulgenda: hinc quando exigitur praesentia mathematice ab initio, punctatura absens statim mulctetur; quando moraliter, et taxatio una sit cum Missa, etiam finita Aspersione, quae brevi expletur temporis spatio, et Missa incoepta, impendatur.

AD DUBIA
SUPER SACRIS CAEREMONIIS
RESPONSA

I. *E Ferraria.* **De quibusdam genuflexionibus in Missa solemni.** Quamquam in Missa solemni Rubrica *(Tit. XVII, n. 3)* doceat Celebrantem genuflectere debere, dum legit, ad ea verba, quae genuflexionem requirunt, ut in Missis privatis; an servanda sit consuetudo quae invaluit, nedum in omnibus pene Ecclesiis, sed in Cappella ipsa Pontificia, qua Celebrans et alii non genuflectant, nisi quando ea verba cantantur, sive a Diacono in Evangelio, aut ab Evangelista ad *emisit Spiritum,* sive cum cantatur in Choro ℣. *Adiuva nos Deus,* vel *Veni Sancte Spiritus reple tuorum etc.?*

Resp. Rubrica recte interpretari potest eo sensu, ut genuflexio semel fiat, si cantentur ea quae genuflexionem requirunt, et quidem ad cantum tantummodo. Et sane Rubrica non dicit Celebrantem genuflectere debere dum legit, sed: *In Missa solemni Celebrans genuflectit ad omnia supradicta,* ita non praecipiens bis genuflectendum esse, sed suo tempore. Ita sunt interpretati omnes fere Rubricistae veteres et recentiores. Ex. gr. Bauldry *(Part. 4, Cap. 6, art. 3, n. XIV):* « Et cum Celebrans ad mortem Christi pervenerit, non genuflectit, nisi simul cum praedictis cantoribus ». De Amicis *(Il Parroco del Villaggio, Parte 8, Cap. 1, art. 1,*

n. 6): « Se entro l'epistola fosse richiesta qualche genuflessione, il Celebrante aspetterà a farla insieme col Suddiacono. Medesimamente se entro il graduale o tratto incontrasse qualche versetto, al quale si debba genuflettere, aspetterà a genuflettere quando detto versetto vien cantato dal Coro, il che farà co' sacri Ministri sul labro del suppedaneo durando in ginocchio fino al termine del medesimo ». Baldeschi *(Esposizione delle S. Cerem. Tit. III, Cap. 2, art. 3, n. 21):* « Leggendo il Celebrante l'*Adiuva nos etc.,* non genufletterà ». De Herdt *(Part. 5, n. 27, 1)* ait: « Dubitatur an Celebrans cum assistentibus genuflectere debeat, dum legit *Emisit spiritum:* quisque usum suae Ecclesiae sequi potest: sed quamvis Celebrans cum suis assistentibus genuflectat, omnes tamen alii tantum genuflectunt dum praedicta in passione cantantur ». Concludimus igitur, non esse vetitum genuflexionem Celebrantem bis peragere, nec esse pariter praeceptum; ita ut probari optime possit consuetudo, quae invaluit ut in casu.

II. *E Dioecesi N.* **De ordine Candelas accendendi super Altare.** Decreto S. R. C. anni 1854 statutum est in omnibus functionibus candelas esse accendendas prius a latere Evangelii, et extinguendas ordine inverso; debetne hoc Decretum servari etiam in Officiis tenebrarum, quamvis Caeremoniale Episcoporum contrarium doceat?

Resp. Decretum hoc invenire non potuimus in authentica collectione; ideoque tanquam non factum habemus. Sed etiam supposito authentico, nihil valeret contra Caeremonialis dispositionem, quae specialem et determinatam functionem respicit. Ceterum omnes fere auctores docent can-

delas Altaris esse accendendas prius a cornu Epistolae, incipiendo ab illa, quae Cruci proxima est; cum autem extinguuntur, inversum servandum ordinem, ut nempe prius extinguatur illa, quae a cornu extat Evangelii et a Cruce longius abest. Quod consonat Caeremonialis Rubricae in Matutinis Tenebrarum. Non attendentes igitur supposito Decreto, nulla invenitur oppositio. Unica notatur differentia, quod nempe in Officiis Maioris Hebdomadae alternatim ab unoquoque cornu candelae extinguuntur, dum, iuxta auctores, Acolythus extinguens candelas post functiones, prius omnes ex cornu Evangelii existentes extinguit, ac deinde ceteras e cornu Epistolae. Sed in hoc nihil immorandum, quia in Maioris Hebdomadae Officiis agitur de caeremonia actu functionis perficienda et quae intermissa mora peragitur, aliis vero temporibus de quodam ordine tenendo, in re dumtaxat ad actum ministerii nonnisi remotam relationem habente, et incunctanter peragenda. Cl. De Amicis oppositum docet, Decreto forsan in dubio citato innixus, sed et ipse non nimis instat, concludens servari posse cuiusque Ecclesiae consuetudinem.

III. *Ex Augusta Praetoria.* **De supposita incohaerentia inter Caeremoniale Episcoporum et Ephemerides, quoad genuflexionem Canonicorum ad circulum.** Caeremoniale Episcoporum (*Lib. 1, cap. XXI. n. 3.*) ait: *Et tunc, dum veniunt ad circulum et dum discedunt, ambobus genibus versus Altare genuflectant, propter reverentiam SS. Sacramenti, quod est super eo.* Textus iste quomodo conciliandus cum responso dato ab Ephemeridibus Liturgicis anno 1889

pag. 227 et iam anno 1888 pag. 588, quo, casus resolutus fuit pro unius genu flexione?

Resp. Miramur admodum quomodo pro Inquirente, non satis dictum sit in Ephemeridibus, locis ab eodem citatis. Sed plura fortasse, quae anno 1888 ex Academiae Romanae dissertatione sunt in medium prolata, confusionem ingesserunt, nec ad conclusionem intendere dederunt. Conclusio ergo haec fuit et hanc nunc quoque retinemus: Casus ille peculiaris (nempe genuflexionis utroque genu ante et post circulos) non est ceteris omnibus applicandus, ita ut omnes transeuntes ante Altare, vel ad illud accedentes seu ex illo recedentes, genuflexionem unico tantum genu peragere debeant in Missa, a consecratione usque ad consummationem. Hoc autem confirmatur ex eo, quod si casus non esset unicus, d eo Caeremoniale mentionem non fecisset, nunc vero, e contrario, exceptionem ponere voluit et ideo adnotavit. Ceterum nostra non interest hic rationem, ob quam sic disposuerit, perscrutari.

IV. *Ex eodem loco.* **De loco ubi recitari debet Kyrie eleison in Missa cum cantu.** Licetne Celebranti in Missa cantata vel solemni, quando non sessurus est per cantum *Kyrie eleison,* procedere ad medium Altaris et ibi recitare *Kyrie eleison,* vel potius debetne stare in cornu Epistolae, ibi legere *Kyrie eleison* et procedere ad medium Altaris fere absoluto cantu?

Resp. In Missa solemni vel cantata, sessiones permittuntur ad commodum Celebrantis et Ministrorum, ita ut non ab hac sessione dependeat modificationes in sacris Caeremoniis operari. Itaque in casu, sive Celebrans stet coram Altare

sive ad sedendum proficiscatur, semper Rubrica Missalis servari debet. Nunc autem Rubrica titulo quarto, num. secundo Ritus servandi in celebratione Missae, ait: « (Celebrans) iunctis manibus ante pectus, *accedit ad medium Altaris* ubi stans versus illud, similiter manibus iunctis, dicit eadem voce ter *Kyrie eleison,* etc. ». Et hoc dicit dum loquitur de Missa sine cantu celebrata. Numero vero 7, docens quomodo sit faciendum in Missa solemni, haec habet: « Deinde Celebrans, Diacono a dextris, Subdiacono a dextris Diaconi stantibus in cornu Epistolae, legit Introitum et *Kyrie eleison*. Sacerdos igitur sive sedeat sive ad Altare maneat, recitet *Kyrie eleison* in cornu Epistolae, procedat autem ad medium Altaris fere absoluto eiusdem cantu, ad Hymnum *Gloria in excelsis* vel *Dominus vobiscum* decantandum.

Nota. Caeremoniarius, et si ipse non sufficit, Superior provideat ut praecipue in SS. Sacrificio Missae omnia iuxta ordinem fiant; operis non est praetium hic decertare contra vulgares abusus, v. g. procedendi ad medium Altaris nondum absoluto cantu Epistolae, vel absolvendi conclusionem Postcommunionis sive recitando sive etiam cantando, dum gressus fit ad medium Altaris.

BREVIORA RESPONSA

1. *Pro Ferraria.* Decretum 31 Aug. 1793 in *Lucana,* permittens, attentis peculiaribus circumstantiis, *arbitrio Rm̃i Archiepiscopi,* assistentes in Vesperis posse uti Dalmatica et Tunicella pro Pluvialibus, quantum scimus, sustinebitur etiam post novam Decretorum revisionem. De aliis simpliciter respondemus opus esse inquirenti patientia, ut noscat quid S. Congregationi decernere placuerit.

2. *Pro Hispania.* Iuxta Rubricas *(Tit. XVII, n. 5) ad Confessionem cum suo psalmo* et ad benedictionem in fine Missae, genuflectitur ab iis, *qui non sunt Praelati.* Sub nomine autem Praelatorum hoc in casu veniunt: Episcopi, Abbates, Protonotarii aliique qui uti possunt Rochetto et Canonici Ecclesiae Cathedralis. Si qui sint parati, etiam non Canonici, nec genua flectunt ad Confessionem. Caeremoniarius, nisi impeditus, et ipse genuflectet. Hae genuflexiones sicuti et aliae plures, sive in Officio, sive in Missa, non omittuntur tempore Paschali, uti ferunt satis notae leges liturgicae.

3. *Pro eodem loco.* Dies solemnes, quibus iuxta Caeremoniale Episcoporum *(Lib. 1, C. XV, n. 12 et 13)* Clerus processionaliter ad Vesperas et Missas incedit, non sunt habendi omnes et soli, qui ritu celebrantur primae classis; sed cum dicat *solemnes,* intelligi debent *solemniores* ab eodem

Caeremoniali recensiti *(Lib. 2, Cap. 3, n. 16)* et alii *solemnes* ibidem *(n. 17)* descripti.

4. *Pro Gallia.* Dies quibus vetitum est Responsorium pro Defunctis publice decantare, sunt tantummodo ii, quibus festa ritus duplicis primae classis occurrunt, iuxta novam Decretorum revisionem, modificato nempe Decreto 8 Iulii 1741 *in Lamacen.*

5. *Pro Legione in Hispania. a)* Proprius Monialium Parochus est earumdem Confessarius, cui proinde spectat extrema Sacramenta administrare.

b) Sacrum Oleum Infirmorum servari debet iuxta Rituale, *loco nitido et decenter ornato;* iuxta S. R. C. Decreta cum praeferentia in Ecclesia, et iuxta fere universalem consuetudinem prope Altare in quo SSñum Eucharistiae Sacramentum asservatur; nunquam autem in domo, nisi *casu magnae distantiae ab Ecclesia.*

c) Decentius et tutius claves Ecclesiae a Cappellano seu Sacerdote eiusdem curam habente custodiuntur.

6. *Pro America meridionali.* De iure communi insignia canonicalia adhiberi tantum possunt intra propriam Ecclesiam, etiamsi non collegialiter; v. g. cum aliquis Canonicus concionem habet. Extra propriam Ecclesiam nonnisi capitulariter; quod intelligitur sive de processionibus, sive de functione aliqua in aliena Ecclesia, etc.

7. *Pro eodem loco.* Tam Presbyterium proprie dictum, quam locus intra septa aliorum Altarium, ad excipiendos tantum Ministros Sacrorum reservantur. Providendum igitur ut Altaria, seu Cappellae instruantur transennis, seu balaustriis, aditu solummodo patefacto ad sacra obeunda, ne laici,

et praecipue foeminae, super eorum gradus sedeant, aut maneant, nec, uti non raro accidit, de sacro Altari spoliarium faciant.

8. *Pro Dioecesi N.* Iuxta praescriptum a Caeremoniali Episcoporum, in Matutinis Tenebrarum Lamentationes cantantur a Cantoribus *ad legile*, seu ad alium locum *secundum consuetudines Ecclesiarum;* Lectiones autem secundi et tertii Nocturni cantant *Cantores* vel *Canonici, incipiendo a iunioribus.* Defectu Cantorum etiam Lamentationes cantandae sunt a Canonicis, etiam incipiendo a iunioribus (S. R. C. 4 April. 1620).

9. *Pro Dioecesi Baionen.* Sub nomine *Regularium,* ad effectum Indulti interpretandi Calendarii usum respicientis, veniunt etiam Congregationes Presbyterorum vota simplicia tantum emittentium, iisque applicari valent conclusiones ex Academia Liturgica Romana in nostris *Ephemeridibus* relatae mense Decembri 1895.

10. *Pro Regione Britannica.* In Ecclesiis ubi ex Indulto solemnitas translata peragitur cum Missa et Vesperis solemnibus, incertum est utrum assistentes divini Officii recitationi satisfaciant, quia S. Rituum Congregatio preces huiusmodi remisit ad S. Congregationem Concilii, ex qua igitur expectanda est responsio.

11. *Pro Provincia Pennsylvanica.* In responsione 7 (inter *Breviora*), quam numero mensis elapsi dedimus, quaestionem Calendarii resolvimus dicentes Calendarium Dioecesanum adhiberi in Ecclesiis ad Dioecesim pertinentibus, etiamsi aliquis Religiosus illarum curam habeat. Hoc vero non esse applicandum retinemus iis Ecclesiis, quae ab Ordinario, non alicui Religioso tamquam pri-

vato Sacerdoti, curae committuntur, sed Regulari Ordini, ex quo Superior aliquem deputat ad Ecclesiam regendam, nomine tamen respectivi Ordinis; proindeque in casu Calendarium Ordinis adhibendum, etiam in festis Beatorum, iuxta generale Decretum 9 Decembris 1895.

DE ARCHAEOLOGIA SACRA

In numéro mensis praecedentis quaedam errore typographico inverso ordine disposita sunt. Itaque benignus lector, ad pag. 583, referat notam n. 2 ad n. 1 dissertationis eiusdem paginae, notam 3 ad n. 2, notam 4 ad n. 3, et notam 1 ad n. 4.

Ad pag. 586, prima linea ponatur in fine eiusdem pag. ante postremam lineam, et postrema post verba *supra caemeterium extitit*, expleta linea 22.

Ad pag. 588, titulus damasianus, incipiens: *Qui gradiens pelagi*, ultimo loco referatur post verba: *Titulus est.*

APPENDIX

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

Ordinis Praedicatorum.

Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum sequentia dubia huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae humiliter dirimenda proposuit:

I. — An conditio Clementinae Constitutionis *Quaecumque* de consensu Ordinarii loci et de litteris testimonialibus, servanda in erectionibus et aggregationibus Confraternitatum accipienda sit ita, ut duo requirantur actus distincti, consensus nempe et litterae testimoniales: vel potius sufficiat consensus implicite expressus in litteris testimonialibus?

II. — An Summarium Indulgentiarum quod una cum Diplomate datur in erectione et aggregatione Confraternitatum iam recognitum et approbatum a S. Congr. Indulg., nova etiam indigeat recognitione Ordinarii loci?

III. — An distincta Communitas, quam Decretum S. C. Indulg. in una Lauden. diei 31 Ianuarii 1893 pro erectione Confraternitatum eiusdem nominis et instituti requirit, constituatur etiam a quolibet eiusdem municipii oppido situ et nomine ab aliis disiuncto, adeo ut in uno eodemque municipio plures eiusdem nominis et instituti Confraternitates erigi possint?

IV. — An in magnis civitatibus, quae unam tantum constituunt Communitatem, plures nihilominus erigi possint eiusdem nominis et instituti Confraternitates?

V. — An erectio Confraternitatum SS̃mi Rosarii facta per litteras Magistri Generalis Ord. Praed. facultativas, executioni mandatas a sacerdote sive regulari sive saeculari ab eodem Mag. Gen. deputato, valida sit si Ordinarius

consensum quidem suum ante executionem exprimat, nullas vero litteras testimoniales concedat?

VI. — An ipsae litterae facultativae validae sint si subscriptione et sigillo eiusdem Magistri Generalis munitae, aut certum sacerdotem ad executionem non deputent, aut locum Confraternitatis erigendae non exprimant?

Deinde sequentia postulata exhibuit:

I. *a*) — Quoad praeteritum: Ut omnes SSmi Rosarii Confraternitates, quae sive in propriis Ordinis sive in aliis Orbis ecclesiis erectae inveniuntur irregularitate vel vitio nullitatis affectae ob quemcumque loci distantiae, litterarum testimonialium, diplomatum concessionis, sive alterius cuiusque generis defectum in radice sanentur, et, quatenus opus sit, immediate Apostolica Auctoritate de novo erigantur, firmis remanentibus privilegiis a RR. PP. Ordini Praed. elargitis.

b) Quoad futurum: Ad maius incrementum Sodalitatum SSmi Rosarii postulat facultatem pro Magistro Generali Ord. Praedic. eiusque Vicario, ut penes Provinciales et Episcopos, etiam in Europa, non tamen in Italia, possit eo modo quo de consensu a S. Sede habito agere solent aliorum Ordinum Superiores, et ipse agit extra Europam, diplomata in deposito habere, servatis tamen iisdem ordinationibus et conditionibus ab ipsis RR. PP. datis.

II. Ut in magnis civitatibus ubi habitantium numerus centum excedit millia tres vel quatuor etiam Confraternitates SSmi Rosarii de speciali Sanctae Sedis mandato erigi possint et valeant.

III. — Ut duo postrema postulata extendatur etiam ad alias duas Confraternitates SSmi Nominis Dei, necnon Militiae Angelicae S. Thomae Aquinatis.

Et Emi ac Rmi Patres Cardinales in generalibus Comitiis ad Vaticanas Aedes habitis die 5 Martii 1896 rescripserunt:

Ad Dubium I. — *Sufficere Ordinarii litteras, quibus consensum in erectionem vel aggregationem Confraternitatum significet et instituti pietatem ac religionem commendet.*

Ad II. — *Negative.*

Ad III. — *Affirmative, dummodo in unoquoque oppido habeatur etiam propria paroecia.*

Ad IV. — *Negative, sed supplicandum SSmo ut derogando in hac parte Constitutioni s. m. Clementis VIII quae incipit* « Quaecumque », *Ordinariis benigne tribuere dignetur facultatem providendi pro eorum arbitrio et prudentia in singulis casibus, servata tamen in huiusmodi erectionibus convenienti, eorum iudicio, distantia.*

Ad V. — *Negative.*

Ad VI. — *Negative.*

Ad postulata vero:

Quoad I. *a*) — *Affirmative.*

Quoad I. *b*) — *Non expedire.*

Quoad II. — *Iam satis provisum in responsione ad dubium IV.*

Quoad III. — *Iam provisum in responsione ad duo postulata priora.*

Factaque de iis omnibus SSmo Domino Nostro Leoni Pp. XIII relatione in Audientia habita die 20 Maii 1896 ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, simulque, derogando Constitutioni Clementis VIII, facultatem in IV dubio postulatam benigne Ordinariis concedere dignatus est.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 20 Maii 1896.

A. Card. STEINHUBER, *Praef.*

L. ✠ S.

† A. Archiep. Nicopolit., *Secret.*

Montis Politiani.

Episcopus Montis Politiani huic S. Congregationi Indulg. sequens dubium solvendum proposuit:

Num Plenariam Indulgentiam lucrandam a Christifidelibus Benedictionem nomine Summi Pontificis recipientibus

a respectivis Episcopis, lucrari valeat et ipse Episcopus qui eam impertit?

Et Emi Patres in Congregatione Generali ad Vaticanas Aedes habita die 5 Martii 1896 responderunt:

Affirmative, facto verbo cum SSmo.

Et SSmus Dominus Noster Leo Pp. XIII in Audientia habita ab infrascripto S. Congregationis Cardinali Praefecto die 20 Maii 1896 responsionem Emorum Patrum benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 20 Maii 1896.

A. Card. STEINHUBER, *Praef.*

L. ✠ S.

† A. ARCHIEP. NICOPOLITAN., *Secr.*

IMPRIMATUR
Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A.
Magister

—

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriar. Antioch.
Vicesgerens

Proprietas literaria

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Cont. V. n. 9. pag. 601).

(TITULUS IX).

N. 10.

Si in die, in quo fit officium novem lectionum, fiat commemoratio de Festo trium lectionum (326), nona lectio legitur de Festo trium lectionum, si propriam habuerit (327), si duas, ex duabus fiat una lectio (328), quae sit nona in officio novem lectionum. Quae lectio de Sancto non legitur, quando de eo fit commemoratio in Dominicis, quae habent nonum responsorium (329); nec quando nona lectio legenda est de homilia Dominicae vel Feriae ut supra (330); nec in Feriis et aliis diebus, quando in officio diei leguntur tantum tres lectiones (331); nec etiam nona lectio legitur de infra octavam, quando de ea fit commemoratio in Dominica vel aliquo Festo (332) licet habeat Evangelium proprium et Homiliam (333). Servata eadem regula, quando in officio novem lectionum fit commemoratio de Festo duplici aut semiduplici, redacto ad instar Simplicis ut in sequenti Rubrica, de Sancto legenda est nona lectio ad Matutinum composita ex singulis eius lectio-

nibus historicis secundi Nocturni per modum unius (334), praeter quam in tota octava Festi Corporis Christi, si de ea fiat officium, quo in casu etiam omittenda est nona lectio Simplicis (335).

(326) *Si in die, in quo fit officium novem lectionum, fiat commemoratio de festo trium lectionum.....* Idest si in officio duplici vel semiduplici, agenda est commemoratio alicuius sancti, qui ritu simplici recolitur.

(327) ..... *Nona lectio legitur de festo trium lectionum si propriam habuerit.* Non omnia enim festa simplicia Sanctorum lectionem propriam habent; videlicet: S. Saturninus M. 29 Nov., S. Sabbas 5 Dec., S. Melchiades 10 Dec., S. Telesphorus 5 Ian., S. Hyginus 11 Ian., S. Valentinus 14 Feb., S. Lucius 4 Mart., Ss. Perpetua et Felicitas 7 Mart., S. Petronilla 31 Mai., S. Liborius 23 Iul., Ss. Nabor et Soc. 12 Iul., S. Margarita 20 Iul., S. Christina 24 Iul., S. Christophorus 25 Iul., Ss. Felix et Soc. 29 Iul., S. Romanus 9 Aug., S. Eusebius 14 Aug., S. Hermes 28 Aug., Ss. XII Fratres 1 Sept., Ss. Ursula et Soc. 21 Oct. Ex quo liquido patet de communi non esse sumendam lectionem horum sanctorum. Cohaeret Rubrica Tituli sequentis n. 9, ubi item praescribitur nona lectio sancti simplicis, *si propriam de vita Sancti habuerit lectionem.* Siquidem, cum lectio historica legenda sit de sancto simplici ut ex eius exemplis erudiamur, haec ratio deficit si lectio nona sumenda esset de communi, et alioquin de officio festi quod agitur, quoad fieri potest, nihil omittendum est; et nona eius lectio omitteretur si in casu legeretur de simplici, eam de communi sumendo.

(328) *Si duas, ex duabus fiat una lectio.* Hoc in praecepto est, ut ex actis sanctorum magis instruamur.

(329) *Quae lectio de sancto non legitur, quando de eo fit commemoratio in Dominicis quae habent nonum responsorium.* Cum enim Responsoria relationem habeant ad lectionem praecedentem, quando non dicitur hymnus *Te Deum,* quia dicendum est IX responsorium, esset incongruum legere historiam de sancto simplici, ac postea responsorium cum historia ipsa nihil referens. Ad rem Gavantus hoc loco: " Omittitur eo casu lectio de sancto, quia responsorium nonum non bene quadrat lectioni de sancto ".

(330) ..... *Nec quando nona lectio legenda est de homilia Dominicae vel Feriae ut supra.* Quando scilicet in festo duplici agenda sit commemoratio alicuius Dominicae et de sancto simplici, licet historicam lectionem habenti, praefertur lectio IX Dominicae duabus ex causis. Primo quidem, quia officium Dominicae maioris est dignitatis, et simplici praevalet. Sicut ergo cum agenda est commemoratio alicuius sancti simplificati, et sancti simplicis simul occurrentium, de duplici dicitur nona lectio et non de simplici, iubente Rubrica (*Tit. XXVI, n. 2*): *si simul plures occurrant nonae lectiones propriae de sanctis, legitur tantum illa dignior,* eadem ex ratione praeferenda est in casu lectio Dominicae. Secundo autem quia cum de Dominica impedita legatur Evangelium in fine Missae, omnino congruit ut de eius quoque homilia aliquid legatur in officio. Haec ratio tantum valet, quod cum eadem die commemoranda veniunt duplex simplificatum et Dominica, licet nobilius illud sit, nihilominus omittitur eius lectio historica, ut de Evangelio Dominicae legatur homilia.

Hic tamen inquiri potest: cur in casu non legitur octava lectio de Dominica et nona lectio de simplificato? Ratio in promptu est; quia si legeretur octava

lectio, VIII Responsorium quod de sancto cuius agitur officium est, nullam relationem haberet cum lectione recitata, ergo nullimode congruit ut haec recitetur de alterutro officio commemorato.

(331) ..... *Nec in feriis et aliis diebus, quando in officio diei leguntur tantum tres lectiones.* Ex eadem ratione hoc decernitur a Rubrica. Nam quando de feria agitur officium, et fit commemoratio de simplici, vel de simplificato, certo certius feria maior est, ac proinde non habet hymnum *Te Deum*, sed eius loco dicitur III responsorium. Si ergo dicenda esset III lectio de sancto simplici, vel simplificato, illa incongruentia obveniret, quam supra iam diximus esse eliminandam.

Hac ex causa, editiones Breviarii in quatuor partes non referunt lectiones proprias sanctorum simplicium, quae occurrunt in parte verna pro mense Februarii, scilicet de S. Dorothea 6, de S. Apollonia 9, de Ss. Faustino et Iovita 15, ac de S. Simeone 18.

(332) ..... *Nec etiam nona lectio legitur de infra octavam, quando de ea fit commemoratio in Dominica vel aliquo festo.....* Ratio est, quia, cum de infra octavam non legatur Evangelium in fine Missae, ita nec eius nona lectio in officio, Evangelium enim iam lectum fuit in die festo cum sua homilia, non ergo denuo legendum est cum de die infra octavam eius fieri debeat commemoratio.

(333) ..... *Licet habeat Evangelium proprium et homiliam.* Bene hic Rubrica casum respicit, quo infra octavam alicuius festi *Evangelium proprium* habeatur, nempe proprium pro singulis diebus et diversum ab Evangelio festi; quia, licet octavae tantum Paschatis et Pentecostes habeant diversa Evangelia propria pro unoquoque die, et omnes aliae octavae, etiam privilegiatae, Epiphaniae, Corporis Christi, et Nativitatis

Domini semper habeant Evangelium diei festi, nihilominus dies infra octavam Ss. Petri et Pauli, habent Evangelium diversum a festo, quia die XXIX Iunii agitur in officio memoria solius Petri, et die XXX solius Pauli, ideoque Evangelium adaptatur officio; infra vero octavam eorum, memoria utriusque agitur, hinc Evangelium utrique apostolo inservit.

Item aliquando accidit, ut in diebus infra octavam Patroni vel Tituli, sumatur Evangelium diversum ab Evangelio festi, iuxta illud quod legitur in octavario Romano Gavanti (*Notando III in Rubr. eiusd*).

Hisce in casibus fit commemoratio de die infra octavam absque eius nona lectione de Evangelio, quod ut supra diximus in fine Missae non legitur.

(334) *Servata eadem regula quando in officio novem lectionum fit commemoratio de festo duplici aut semiduplici redacto ad instar simplicis* etc..... Haec verba, sicut et sequentia, adiecta fuerunt in novissima correctione Rubricarum; ita ut quod supra dictum est de lectione historica sancti simplicis, dicendum quoque sit de lectione historica sancti duplicis vel semiduplicis simplificati, *composita ex singulis eius lectionibus secundi nocturni per modum unius.*

Servata eadem regula circa exceptiones quando eodem die occurrat IX lectio de Dominica vel de feria.

Insuper, ex simili causa, si eadem die occurrat commemoratio sancti novem lectionum simplificati, et sancti simplicis, lectio IX legitur de primo, omissa lectione secundi.

(*Continuabitur*).

Doct. Petrus Piacenza.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

In quadam cathedrali Ecclesia consuetudo viget cantandi Missam quolibet anno in die anniversaria consecrationis Episcopi, exceptis tantummodo diebus festivis et festis duplicibus I et II classis, eamque semper hucusque ipse Episcopus solemniter celebravit. Porro, cum antiquo caeremoniarum magistro e vivis sublato alter suffectus sit, novam hic contendit inducendam esse praxim, vetustam namque sustinet esse contra Caeremonialis Episcoporum Rubricam. Haec quidem iubet, eiusmodi Missam esse celebrandam *die feriato*, diebus vero *festivis* nonnisi de festo canendam, cum commemoratione pro Episcopo. Antiquus autem caeremoniarum magister iudicabat feriatos esse dies, in quibus occurrit festum simplex, aut semiduplex, aut duplex minus aut maius; sed novus censet dies in quibus occurrit festum duplex minus aut maius non feriatos esse, sed festivos. Consuetudinem autem, vi cuius ipse Episcopus suae consecrationis Missam celebrare debet, oppositam aperte dicit eidem Caeremoniali, ita se exprimenti: «... In diebus anniversariis electionis vel consecrationis Episcopi Missam solemnem vel per ipsum Episcopum, vel per aliquam Dignitatem seu Canonicum, ipso praesente, celebrari convenit *(Lib. 2, cap. XXXV, n. 1)* ». Hinc sine fine

quaestiones in Canonicorum Collegio, aliis pro antiquo, aliis pro recenti caeremoniarum magistro pugnantibus.

Quaeritur:

1. *Quid circa anniversaria consecrationis Episcoporum recolenda ferat antiquitas seu latinae seu graecae Ecclesiae?*

2. *Quomodo intelligenda utraque Rubrica, ut in casu, Caeremonialis Episcoporum, Decretis S. R. Congregationis maxime attentis?*

3. *Quid de invecta consuetudine iudicandum, et pro quo ex duobus caeremoniarum magistris ratio pugnet?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Pauli Saraiva habita in Ecclesia Presbyterorum Congreg. Missionis prope Curiam Innocentianam, die 26 Iunii 1895; acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Nicolaum D'Amico ex apost. Caeremoniarum magistris.

I. Inquiritur primo, quid circa anniversaria consecrationis Episcoporum recolenda ferat antiquitas seu latinae seu graecae Ecclesiae.

Nullo pacto haesitanter licet affirmare, tam apud latinam, quam apud graecam Ecclesiam, iam ab antiquo semper magni habitam fuisse diem electionis et consecrationis Episcoporum anniversariam, qua memoria nimirum mysticarum Episcopi cum Ecclesia nuptiarum colitur. Extat quippe futuris datum temporibus testimonium in Sanctae Ecclesiae vetustis Sacramentariis et in Sanctorum Patrum, nec non plurimorum sacrarum rerum Scriptorum operibus. Id tamen luculenter pro latina Ec-

clesia suppeditat, non ita quidem pro graeca; unicum enim, quantum scimus, graecorum testimonium *Menologium* praestat, in quo dies adnotantur ordinationum Sanctorum Basilii et Ioannis Crysostomi, Ambrosii et aliorum.

Cl. Baronius, in suis ad Martyrologium Romanum adnotationibus, occasionem nactus solemnitatis Cathedrae S. Petri, quam celebrat Ecclesia die 18 Ianuarii, vetustissimae, inquam, solemnitatis, de qua Beda, Usuardus, Adon ac antiquum manuscriptum Martyrologium mentionem habent, clare de hoc veteri usu loquitur, celebrandi nempe diem anniversariam electionis Episcoporum, usu, ut ipse fatetur tam in orientali quam in occidentali Ecclesia servato. Sed verba ipsa cl. viri referamus: « Quod autem ad praesentem solemnitatem spectat, laudabilis in Ecclesia viguit antiquus usus, ut dies anniversaria ageretur, qua quis alicui Sedi praefectus esset Episcopus. Id tam in occidentali Ecclesia, quam in orientali observatum innumera fere docent exempla ». Non solum autem de B. Petri Cathedrae solemnitate memoriam habemus, sed et de S. Gregorii Magni electione ad summum Pontificatum. Et revera in Romano Martyrologio, die 3 Septembris, haec verba legimus: *Romae ordinatio incomparabilis viri Sancti Gregorii Magni in Summum Pontificem etc.* In laudati vero Baronii adnotatione: « De eadem S. Gregorii ordinatione in veteri Romano Martyrologio et aliquibus manuscriptis agitur. In hanc diem transferebatur etiam natalis eius, cum quadragesimali tempore de Sanctis agi vetitum esset ». Et ratio, quam ipse affert, huius festivitatis translationis, clare ostendit quemad-

modum dies electionis ad episcopalem dignitatem inter solemniores haberetur, post illam eorumdem natalis, dum Ecclesia nimirum, aliquando perpetuam facere volens nonnullorum inter maiores Sanctorum memoriam, quorum natalitiam diem aliquis antiquae liturgicae disciplinae canon impediebat, talem celebritatem assignare solebat diei eorum in Episcopos consecrationis. Aliud praebet exemplum idem Martyrologium die 7 Decembris, quo legimus: *Mediolani ordinatio Sancti Ambrosii Episcopi et Ecclesiae Doctoris.* Atque in adnotatione: « Non tantum Latini, sed et Graeci eamdem celebrant solemnitatem, natalemque dicunt, ut constat *ex eorum Menologio* hac die ». Nunc si Ecclesia colere statuit diem consecrationis aliquorum Sanctorum post etiam ipsorum obitum, inde mihi posse videor arguere, illam exoptare Episcopos etiam cum inter vivos agunt, eamdem commemorationem peragere prouti de solemnitatum maxima. Nec argumenta desunt de invecto iampridem usu. Innumera reperimus, inter Sanctorum Patrum scripta, quae ad hoc referuntur, testimonia; nonnulla tantum seligimus. S. Ambrosius diem suae consecrationis in Episcopum, *Natalem Sacerdotis* appellat; et in Epist 60ª ad Felicem, *Natalem diem.* Eodem illum nomine distinguunt Romanus Paulinus in Epist. 16ª ad Delphinum, et Hilarius Papa ad Ascanium. S. Augustinus, de hac die sermonem habens, hoc utitur loquendi modo: *Dies solemnis Episcopatus est dies anniversarius ordinationis.* Ab Ennodio vocatur: *Dies dedicationis;* a Gregorio Turonensi: *Solemnitas Natalitii;* a S. Petro Chrysologo in Sermone 130° « In consecratione Episcopi »: *Festa Natalitia.* Leo

Magnus, in Sermone IV° in anniversaria die suae assumptionis, pro humilitate dicit: *Servitutis nostrae natalitium diem,* et alio loco: *annua festa Pastoris.* Ex hac ultima Sancti Pontificis appellatione, docemur de consuetudine iam tum existente singulis annis recolendi talem diem statuta festivitate. Id autem ex eo robur accipit, quod, tunc solerent Ecclesiasticae Romanae Provinciae (quae tunc temporis Siciliam quoque et Africam Septentrionalem comprehendebat) Episcopi Romam se conferre ad una cum Summo Pastore tam venerabilem diem celebrandam, sicut traditum nobis est ex iam memorata Hilarii Epistola ad Ascanium et alios Tarraconenses Episcopos, in qua haec habet: *Lectis ergo in conventu Fratrum, quos Natalis mei festivitas congregaverat, etc.* Non abs re erit illud referre, quod Sarnellius scribit in suis Epistolis ecclesiasticis, ad ea quae diximus confirmanda: « Era tanto celebre, inquit, questo anniversario, che veniva paragonato alle prime feste della Chiesa, di che dice Anastasio nella vita di Adriano I: *Constituit ut quatuor vicibus in anno pharum accenderent; idest in Nativitate Domini, in Pascha, in Natali Apostolorum et in Natali Pontificis* ».

Quoad autem rationem huiusmodi festivitatem celebrandi, asserere possumus iam a saeculo V°, saltem in Ecclesia latina, consuevisse cum Missa propria celebrari. Revera in Sacramentario nomine *Leoniani* distincto (*V. Muratori Lib. Rom., Venezia 1748*), quamvis longe probabilius antiquioris sit aevi, sin minus in suo substrato, habentur *varianda,* quae in Missa legerentur, *in Natali Episcoporum.*

In Num. primo dicitur: « Operis tui, Deus, initiator et custos, suscipe gratiarum propitius actionem, quod, *anni cursu remeante,* votiva recolimus sumta *primordia dignitatis;* ut quae tuis sunt principiis instituta, tuis regantur aucta praesidiis. Per... » Et in Num. sexto, in Secreta: « Ad gloriam, Domine, nominis tui *annua festa* repetentes *Sacerdotalis exordii;* etc. » In Num. septimo: « Suscipe, Domine, quaesumus, oblationes et preces, quas et pro reverentia Paschali supplices adhibemus et pro *solemnitate recolenda primordii Sacerdotalis* offerimus etc. Ita pariter in Sacramentario Gelasiano, sub Num. 101, Missa quaedam inscribitur: *in Natalitio Episcopi.* Hac occasione, praeterea, sicuti ex S. Leonis operibus constat, interdum Pontifex Homiliam ad populum habebat solemnitati aptatam. Haec satis sint pro primae quaestionis explanatione.

II. Secundo quaeritur quomodo intelligi debeant Rubricae Caeremonialis Episcoporum hac de re ita loquentis: « Singulis annis, in diebus anniversariis electionis et consecrationis Episcopi, Missam solemnem vel per ipsum Episcopum, vel per aliquam Dignitatem seu Canonicum, ipso praesente, celebrari convenit; quae si dies electionis seu consecrationis venerit in die aliquo festivo celebrabitur de festo, cum paramentis festo convenientibus, et cum Commemoratione pro Episcopo. Si vero venerit in die feriato, celebrabitur prout in Missali, cum paramentis albis et una tantum collecta pro Episcopo etc. » *(Lib. 2. C.XXXV, n. 1 et 2).* Ex his Caeremonialis verbis, nempe: *convenit celebrari,* desumitur in facultatem positum esse Episcoporum diem anniversariam ce-

lebrare propriae electionis et consecrationis, et, celebratione statuta, ipsosmet Missam canere, aut coram se praecipere canendam ab aliqua Capituli Dignitate vel Canonico. Et S. Rituum Congregatio, ad dubium, an Missa solemnis Anniversarii electionis et consecrationis Episcopi sit praeceptiva in Cathedralibus et Collegiatis Dioecesis, quamvis Caeremoniale Episcoporum dicat tantummodo: *celebrari convenit,* respondit: *Affirmative accedente mandato Episcopi* (Die 14 Maii 1858 *in Granaten.* ad 1^{um}). Ex quibus verbis intelligimus semper laudabiliter sive in Cathedrali, sive in Collegiatis Ecclesiis huiusmodi Missam fieri: si vero Episcopo placuerit, ipsius esse illam in praecepto ponere. Ex eodem Decreto in responsis ad 2^{um}, 3^{um}, 4^{um} et 5^{um} dubium docemur, quod, quatenus Episcopo arrideat tam diem electionis, quam etiam consecrationis celebrare, totus Dioecesis Clerus, Saecularis et Regularis, ad commemorationem faciendam tenetur in Missis sive lectis sive cantatis. Id recentissimo Decreto (27 April. 1894 in *Quebecen.* ad 5^{um}) confirmatur. *Commemorationem* diximus, eo quod, etiamsi ritus Missas permittat votivas, de eodem Anniversario Clerus Missam celebrare non valet, praeter solemnes supra dictas, ut declaravit S. R. Congregatio *in Mechlinien.* (die 12 Septemb. 1840 ad 2^{um}): « Cum haec Missa votivis non sit accensenda, nequit *ad libitum* celebrari ». Ita pariter eadem S. Congregatio interrogata, utrum haec Missa possit ab Episcopo celebrari in alia Dioecesis Ecclesia potiusquam in Cathedrali, respondit: *debere celebrari in Cathedrali* (Die 27 April. 1894 ad 3^{um} *in Quebecen.* — *Ephem. Liturg.* Iun. 1894).

P. Aloysius a Carpo in suo tam excellenti opere *Compendiosa Bibliotheca Liturgica,* de tali Missa loquens, observat ad libitum relinqui Episcopi unum tantum ex his diebus recolendum seligere; verum, tali in casu, diem consecrationis diei electionis praeferret. Notandum insuper, quod, si quis Episcopus post suam ad aliquam Ecclesiam electionem, ad alteram transferatur, non amplius diem suae prioris electionis celebrabit, bene vero postremae, qui dies annunciatur, uti ex Decreto S. R. C. habemus (diei 2 Septemb. 1841 *in Aquen.*), *cum termino translationis.* Opportunum est addere, quod, occurrente huiusmodi Anniversario cum illo electionis seu coronationis Summi Pontificis, ubi de hoc fit commemoratio, ad diem sequentem transfertur (*ex Decr. 20 Decemb. 1864 ad Dubium*). Verumtamen extra Patriarchales Urbis, celebratio anniversarii Summi Pontificis non videtur obbligare. Notandum quoque est, de Summo Pontifice, sive iam fuerit Episcopus sive post electionem consecretur, non celebrari diem Episcopalis electionis et consecrationis, sed tantum electionis et coronationis in Summum Pontificem.

Alteram nunc Rubricam Caeremonialis Episcoporum perpendamus, illam nempe, quae dies respicit, quibus haec Missa solemnis locum habere potest. Caeremoniale (cap. *sup. not.*) ait: « Si venerit die feriato, celebrabitur prout in Missali etc.; si venerit in die aliquo festivo, celebrabitur de festo..... cum commemoratione pro Episcopo. » Decernendum ergo est quinam dies pro *feriatis* haberi debeant, et quinam pro *festivis*. Et hac super re, Decretis S. R. Congregationis inhaerentes, tuto retinere possumus, *diem feriatum* Cae-

remonialis, accipiendum esse lato sensu, intelligi nimirum dies *feriales* proprie dictos, *simplicia, semiduplicia, duplicia minora* et *maiora*. Novimus sane Decretum S. R. Congregationis diei 20 Aprilis 1888 declarantem: « recurrente officio duplici maiore non de praecepto, cani potest Missa solemnis pro electione et consecratione Episcopi. » Dies vero *festivi* in casu sunt Dominicae et alia festa de praecepto, cuiuscumque ritus existant, duplicia 1ae et 2ae classis et dies alii haec duplicia excludentes (iuxta regulam a Gardellinio traditam in nota ad Decretum 20 April. 1822 ad 5um et in Instructione Clementina §. 12, n. 8 et 11.). His porro diebus has regulas observare oportet: In festis de praecepto, duplicibus 2ae classis et diebus, qui, quamvis haec duplicia excludant, admittunt tamen collectas, uti ex. gr. Vigilia Epiphaniae et feria IV Cinerum, cantabitur Missa diei, cum oratione pro Episcopo, sub unica conclusione cum prima (*S. R. C. Decr. 18 Maii 1883 et 27 April. 1894 ad 4.um*). Quatenus autem tale Anniversarium occurrat cum duplici 1ae classis, vel aequivalente, statuere possumus, quod, si de perpetua agatur occurrentia, anniversaria solemnitas in primum sequentem diem feriatum (sensu superius explicato) transfertur; si autem impedimentum accidentale sit, eo anno omittitur. Nec regulariter anticipari potest (Cfr. Decr. S. R. C. diei 30 Augusti 1892 *in Strigonien.*). *Regulariter* diximus, si enim haec dies anniversaria postremis anni diebus incidit, nec ulla libera superest pro translatione, tunc anticipandi datur facultas. S. Rituum Congregatio sic statuit Decreto iam citato 27 April. 1894; etenim quaesita, quonam die ce-

lebranda foret dies Anniversaria incidens in Vigilia Nativitatis Domini, respondit: « Assignandam diei primae, in qua non fit de duplici 2ae classis, ante diem 24 Decembris. »

Haec demum Missa canenda est solemniter post Nonam, in paramentis albi coloris, cum *Gloria, Credo* et unica Oratione pro Episcopo, sicuti praecipit Caeremoniale. Praefatio communis dicitur, quando dici non debet de tempore aut de octava occurrente. In fine Initium Evangelii S. Ioannis. Ipsemet Episcopus celebrans in Oratione dicet: « Me indignum famulum tuum, quem huic Ecclesiae etc. » ut ex eodem Caeremonialis capite. Haec pro altera quaestione expendere oportebat.

III. Quid de invecta consuetudine indicandum, et pro quo ex duobus caeremoniarum magistris ratio pugnet?

Tertiae quaestionis solutio ex iis pendet, quae nuper diximus in priorum solutione. Et primo, quoad consuetudinem in hac Cathedrali vigentem, cuius vi Episcopus idem singulis annis canere debeat Missam solemnem in Anniversario suae consecrationis, rursum dicimus, uti novus Caeremoniarius observat, a Caeremonialis loquendi modo: *convenit celebrari,* nullam omnino exurgere obligationem, ita ut Episcopus ad id teneatur sive Missam decantando sive eidem assistendo; eo vel magis, quod pro Cathedralibus et Collegiatis Dioecesis, praeceptiva est Missa, uti iam vidimus, tantum *accedente mandato Episcopi;* ergo et ex hoc capite arguimus in Episcopi arbitrio omnino esse hunc diem commemorare. Summopere tamen laudandus ille erit Episcopus, qui, morem a Patribus invectum et a plurimis servatum sequutus,

Anniversarium celebret suae electionis et consecrationis, aut saltem unum ex illis. Hoc autem in casu, si libeat Missam ipse cantabit, sin minus, solemniter assistet Missae a Dignitate vel Canonico celebratae, semper in sua Cathedrali. Quod tandem dierum qualitatem respicit, quinam nempe ut *feriati* sint habendi, omni certitudine affirmare possumus veram esse antiqui Caeremoniarii opinionem, qui iudicaverat feriatos in casu esse quoque dies festos ritus duplicis etiam maioris, quae ceterum opinio pluribus S. R. Congregationis Decretis, ut vidimus, confirmatur.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(*Contin. V. n. 8, anni 1896, pag. 558*).

130. Ostia. De ostiis, et antepagmentis sacrarum aedium, ait S. Carolus, multa a sapientibus architectis praescripta sunt, quae pro Ecclesiae aedificandae ratione, proque structurae modo servari accuratius debent.

Illud vero caveatur, ut a superiori parte nec illa arcuata sint (cum a portis urbium dissimilia esse debeant), sed quadrangula, qualia in basilicis antiquioribus conspiciuntur.

Nec vero humili structura depressiora sint, sed duplo altiora, ut architecturae ratio fert, quam lati-

tudo patet. Superiori parti coronix decenti opere adiungi potest, e qua rotundum instar hemicycli et scaphae emineat; ubi sacrae imagines, ut supra praescriptum est, sculpantur, aut pingantur, ut in antiquis, iisque insignioribus basilicis Mediolanensibus perspicitur.

A fronte Ecclesiae ostia extruantur; imparia vero sint, ac plane totidem, quot naves e quibus Ecclesia constat.

Media autem navis (si e pluribus navibus Ecclesia constat) tria ostia, ubi prae amplitudine potest, a fronte habeat; si vero ex una tantum, haec omnino ostia tria a fronte habeat, nam pluribus ostiis, cum ob alia multa, tum ob virorum mulierumque distinctionem, ad Ecclesias ingressum patefieri debere, indicant basilicae Romanae.

Ostium medium a ceteris, et laxamento, et ornatu praecipue distingui debet, praesertim in basilica cathedrali, ubi illud sculptura leonum exornari decet exemplo Templi Salomonis; qui in basibus illos sculpi iussit, ut praesulum indicaret vigilantiam; idipsumque in complurium huius Mediolanensis Provinciae basilicarum cathedralium ianuis ita extructis praeclare cernitur.

Ostiorum Ecclesiae valvae eiusmodi esse debent, quae non tam ornatum quam firmitudinem ostentent.

Porro e cupresso, aut cedro fieri conveniens esset; sin minus, e nuce ubi potest fiant, opere fabrili ornatae, quod non picturae tenuitatem imitetur, sed sculptura pie expressum aliquantisper emineat: laminis autem aeneis illas quae insignioris Ecclesiae sunt, vestiri, opereque sacrarum imaginum caelato ornari convenientius erit.

Hae ostiales valvae, et pessulis, et seris, et clavibus grandiusculis a parte interiori firmiter munitae sint: ab exteriori autem parte nullo modo.

Ubi vero id aliquando fieri necesse sit, in unius tantum ianuae, quae a latere maioris ianuae est, valvis ostiolum parvulum extrui liceat, iisdem instrumentis extrinsecus munitum, firmiterque compactum.

A tergo autem, nec vero praeterea a lateribus, ullum Ecclesiae ostium extruatur; nisi quo ingressum fieri necesse est, vel ad sacristiam, vel ad campanile, vel ad coemeterium, vel ad ministrorum Ecclesiae domicilia.

Neque item prope altare ullum, vel e regione eius laterali, aliove eiusmodi loco, qui illud recta spectet: indeque sacris altaris ministeriis, aut impedimenti, aut irreverentiae, perturbationisve periculum aliquando existere possit (*Actorum pars IV Instruct. fabr. Eccl. lib. I*).

131. Frontispicium. In frontispicii pio ornatu, pro structurae ecclesiasticae ratione, proque aedificii magnitudine, architectus videat, ut cum nihil profani appareat, tum rursus splendide pro facultatibus exprimatur quod loci sanctitati conveniat. Illud vero, praeter cetera, adhibeatur, ut in uniuscuiusque Ecclesiae, praesertim parochialis, frontispicio, a superiori scilicet parte ostii maioris, extrinsecus pingatur aut sculpatur decore religioseque Imago B. M. V. Iesum Filium in complexu habentis, a cuius latere dextero exprimatur effigies Sancti Sanctaeve, cuius nomine illa Ecclesia nuncupatur; a sinistro, alia item Sancti vel Sanctae, cui prae caeteris Parochiae illius populus venerationem tribuit; aut saltem Sancti Sanctaeve solius tantum figura fiat, cuius nomine illa

Ecclesia appellatur. Ut vero a pluvia et temporis iniuria perpetuo defendatur, id structurae opere solerter prospicere architecti erit.

132. Crux in verticem eius. In eminentiori parte frontispicii cuiuscumque Ecclesiae cathedralis, collegiatae et parochialis apponenda est crux, ut in omnibus christifidelium Ecclesiis, conspicitur, pro structurae Ecclesiae stylo; etiamsi super parietem pingatur aut sculpatur imago Salvatoris.

133. Sacrarium. Sacrarium, ait Divus Carolus, praeter illud quod cum baptisterio iunctum est, alterum etiam quod aliis usibus in Ecclesia esse debet, in omni Cathedrali, Praepositurali, Archipresbyterali, Parochiali, et alia quavis Ecclesia in qua Missa aliquando celebratur, extruatur, ad unius vel alterius formae, quae sequitur praescriptae modum.

Idque in cappella maiori si commode potest, neque ullum impedimentum praebet; vel alio Ecclesiae loco, qui sacristiae propior sit, eiusque usui accomodatior, a populi autem conspectu remotior; vel in ipsa potius sacristia, si haec ampla sit, ac praesertim si Ecclesia frequentior, eiusque clerus multus.

Sacrarii prima forma. Sacrarii prima forma haec est: ut vas scilicet e marmore lapideve solido fiat, instarque fontis Baptismalis concavetur: longe patens sit cubitum unum, late uncias sexdecim: forma rotunda, vel ovata, vel quadrata, aliave, quae minus situm impediat. In medio fundo concavo foramen habeat forma quadrata, quod large ab omni parte pateat uncias circiter quinque. Suffulciatur columella quadrata, aliave pro ratione vasis, supposita parvula basi, ita ut ab Ecclesiae pavimento usque ad summum eius labrum, alte extructum sit cubitis duobus. Habeat sub foramine parvulum tubulum aquaeductumve, in

media columella effossum sculptumve: qui quadrata etiam forma, ample itidem pateat uncias quinque; ut per eum aquae, cineres, aliaque id generis quae effundentur aut proiicientur, deorsum effluant. Infra hunc tubulum aquaeductumve cisterna confodiatur, in quam quaecumque effusa proiectave erunt, recipiantur. Id sacrarium integumento operiatur, quod ex tabulis nuceis sit; atque eiusmodi, ut a parte superiori sensim leni acclivitate quasi pyramidis instar emineat. Claudatur autem firmissime pessulo, sera, et clave.

Sacrarii forma secunda. Altera praeterea sacrarii forma haec erit. Fenestrella in pariete unciis viginti vel cubito, prout illius crassitudo est, concava exstruatur; quae cubito etiam uno ac paulo amplius late pateat; alta vero sit cubito item uno et dimidio. Ab Ecclesiae pavimento in altitudinem exstruatur cubitis circiter duobus. Cuius fenestellae solum e solido lapide, eoque concavo sit, in quo foramen insit ut supra. Forma ampla quadrata: tum aquaeductus, et subtus item suffossa cisternula, valvulis suis, sera, et clave occludatur.

Antiqua sacraria, quae ad formam praescriptam non sunt, vel ad eam formam redigantur, vel omnino tollantur.

134. Parietes externi. Illa ratio in parietibus extrinsecus habeatur, ut qui a latere et a tergo sunt, in iis nulla imago exprimatur: qui a fronte, eo decentiorem augustioremque aspectum praeseferent, quo sacris imaginibus picturisque sacram historiam exprimentibus, ornatiores erunt.

135. Campanile. Atque haec quidem sunt, quae ad interiorem Ecclesiae fabricam, usumque pertinent, nunc aliqua sequuntur, quae adiuncta Ecclesiae sunt.

Ac primo loco, prosequitur Sanctus Carolus, de turri campanarum, quam campanile dicunt. Turris campanaria extruatur in capite atrii porticusve, quae foribus Ecclesiae proxima est: ubi vero atrium non est, a manu dextera ingredientis, atque ita ab omni alio pariete disiunctum, ut circuiri possit. Ostium eius valvis firmis, pessulis et clave bene sit munitum, ut perpetuo clausum esse possit, nisi quum opus sit campanas pulsari.

Ubi vero loci situs et facultatum tenuitas Turrim campanilem tanti sumptus fieri non patiatur, in Ecclesiae angulo, a dextera ingredientis, extra tamen Ecclesiam prominens, non longe a ianua extrui potest, forma, quae de architecti consilio probabitur: ita tamen, ut in ea ostium insit, intus ab Ecclesiae parte, non foris exstructum, et valvis seraque, ut supra, munitum.

136. Campanae. Haec Turris, si Ecclesia Cathedralis est, septem aut quinque ad minimum campanas, si Collegiata, tres, grandiorem scilicet, mediam et minimam; si parochialis totidem, aut duas saltem habere debet, easque distincto quodam soni concentu inter se recte consentientes, pro varia divinorum Officiorum, quae fiunt, ratione ac significatione. Simplex vero Ecclesia Oratoriumve unam tantum campanulam habeat, ut Ioannis XXII Constitutione sancitum est (*Conc. Mediolan. IV, Const. P. I*).

Campanae ne rem ullam profanam insculptam inscriptamve ullo modo habeant, sed Sancti Patroni Ecclesiae, aliamve sacram imaginem piamque inscriptionem (*ibid.*). Nihil obstat quominus campanae ex chalybe, nimirum ex puro ferro confletur, et sic fusae benedici possint, iuxta ritum in Pontificali praescriptum (*S. R. C. 6 febr. 1858*). Pro campanarum ad Ec-

clesiae usum benedictione, ita *Ephem. liturg. ann. 1894 pag. 335,* Episcopus delegare Sacerdotem non potest, nisi ex indulto, uti ex pluribus decretis, licet aquam et oleum adhibenda ipsemet benedixerit: quod cetero semper ipsi agendum est, si a simplici sacerdote campana benedicatur. Hae campanae *debent benedici antequam ponantur in campanili*, iuxta pontificale Romanum, quibus verbis necessitas, ac praeceptum continentur (*Bened. XIV, instit. 47 § 4*); ita ut Episcopus prohibere possit, ne campanae nondum benedictae ad usus sacros pulsentur (*Luc. Ferr. ad voc.* Campana *n. 5, 6 et 7; Caval. tom. III, dec. 114 n. 2 et 4*).

Huic benedictioni nomen baptismi conceditur, quod quidem Ecclesia non cooptavit, sed tantum aequo animo patitur, ut aliorum fidei et simplicitati indulgeat (*Bened. XIV, instit. 47, § 4*). Campanae nomen imponitur 1° ut eo nomine distinguatur a non benedictis, 2° ut illius sancti tutelae commendetur, cuius nomine inscribitur, et 3° ut populus quasi voce alicuius Sancti ad Ecclesiam vocari videatur (*Bened. XIV, loc. cit. et Caval. tom. III, dec. 114, n. 2*).

137. Campanae pulsari non possunt ob finem profanum. Campanae benedictae, ait Cl. De Herdt tom. 3, n. 140 ad 9^{um}, per se pulsari nequeunt ob finem profanum, quia rebus benedictis uti non licet nisi in ordine ad finem, ad quem sunt benedictae; qui finis in benedictione campanarum est tantum in ordine ad functiones spirituales et ecclesiasticas. Quapropter pulsari nequeunt, nisi ad usus, quos recenset Glossa *Extr. quia cunctos de offic. custod.* qui usus continentur duobus versibus:

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

Unde pulsandae non sunt in adventu domini loci (*S. R. C. 19 Iul. 1638*), neque in adventu baronum locorum (*S. R. C. 19 Febr. 1639*), neque in adventu principis (*S. R. C. 16 Aug. 1642*). Id tamen intelligendum est secluso consensu Episcopi (*S. R. C. 10 iul. 1638*). Nam " de consensu Episcopi campanae benedictae pulsari possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur causae sanguinis, et praesertim si communitatis expensis constructae fuerint, quantumvis tale ius non sibi reservasset (*Dec. Congr. Ep. et Reg. 31 ianuarii 1589*) ". Ad eas autem causas prosequitur Cl. De Herdt, quae sanguinis non sunt, et bono publico utilitatem vel commoditatem conferunt, campanarum benedictarum usus cum consensu Episcopi permitti potest: tales causae sunt incendium, inundatio, aliaeque similes, quae moram non patiuntur, quibus tamen spirituale caritatis subest motivum; item congregatio communitatis ad consilium, indicatio horae discessus vespertini, aliaeque, quae ob necessitatem excusare possunt, cum communiter aliud desit remedium, quo similia indicentur: si enim campana non benedicta habeatur, haec aeque bene et commode ad praefatos usus pulsari potest. " Pro pulsatione campanarum ad praefatos usus necesse non est ab Ordinario licentiam petere toties, quoties pulsandae sunt, sed sufficit eamdem semel petere pro semper (*Congr. Ep. et Reg. 8 iun. 1592, apud Caval. tom. III, dec. 116*) ".

Locorum consuetudo etiam consensum Episcopi dumtaxat tacitum probat sufficere, quatenus nempe easdem pulsari cognoscit, nec tamen inhibet (*Caval. ibid.*). Prout in his locis campanae in festo regis et principum regalium, et in eorum transitu ex consuetudine pulsari solent. Concludendum est cum eodem auctore: campanae sunt Ecclesiae proprietates et

in usum sacrum destinatae, prout alia Ecclesiae suppellectilia. Parochus etiam ius habet retinendi claves campanilis, sicut illas ecclesiae, quod ius in legibus civilibus etiam communiter ei tribuitur. Cavendum igitur est, ne mos pulsandi campanas benedictas ad usus profanos imprudenter introducatur; sed ab altera parte non minus cavendum est, ne imprudenter abrogetur, neve negando, difficultates cum magistratu civili excitentur. Prudentia enim plerumque exigit, non tantum ut consuetudines receptae et toleratae serventur, sed etiam ut usus campanae in casu extraordinario permittatur, eo magis, quia iuxta Quarti (*de bened. tit. 2, sect. 12, dub.* 2, *n. 180*), abusus campanae, secluso scandalo aut contemptu, peccatum tantum veniale videtur, quia non est nisi quaedam indecentia, a qua praevisae difficultates aliaeque causae excusare possunt.

Nota. Iure praesenti inspecto, campanae, quae non inserviunt ad usum sacrum possunt et benedici; et huiusmodi benedictionis forma, haud illa, quae in Appendice prima inscribitur Ritualis Romani, sed altera, quae in recentiori editione secunda post typicam (1891) post indices prostat in fine, et in recentioribus, loco suo: quam tamen non credimus reservatam Episcopo, si a solemnitate abstrahas (*Eph. lit. ann. 1894, pag. 335*).

(*Continuabitur*).

P. Vicarius Foraneus S. Florentii.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *a*) *E Centumcellis*. **De interpretatione I. partis Decreti Gen. circa Missam in sacello sepulcreti.** Decretum Gen. d. d. 17 Maii confirmatumque a Leone Pp. XIII d. 8 Iun. an. 1896, permittit Missas

indultas in sacellis sepulcreti esse posse de requie quibusdam anni diebus. Iam quaeritur, utrum privilegium huiusmodi extendatur ad ipsas Ecclesias in coemeteriis existentes, utpote cum his unum corpus efformantes?

Resp. Negative. 1. Sacella esse prorsus ab Ecclesiis distincta, nec promiscue sub eadem unica denominatione venire posse, facile patet. Quod ergo de sacellis dicitur in Decreto, ad Ecclesias extendi nequit. Hinc idem Decretum relaxationem in Dubio postulat antiquae legis pro *Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive privatis, praesertim quae in sepulcretis erecta sunt vel erigenda;* in Responsione autem duo distincte ponuntur numeri, in quorum primo nominantur tantum sacella sepulcreti, in secundo vero etiam Ecclesiae et Oratoria tam publica quam privata etc. Quod ergo permittitur in sacello sepulcreti non est extendendum ad Ecclesias.

Tu vero dices: quod pro sacello indulgetur, a fortiori indultum censetur pro Ecclesia; magis enim est illud quam istud, ut hoc in illo videatur inclusum. Sed respondemus negando assertum, ob peculiarem rationem, ex qua primum conceditur, quippe quae non reperitur in secundo. Primum nempe indulgetur ratione cadaveris vel cadaverum in sacello sepultorum; quod in Ecclesiis non comprobatur, quamvis hae in coemeteriis existunt. Ecclesia namque coemeterii non erigitur super sepulturis; quinimo antiqua semper consuetudo fuit, ut in Ecclesiis nunquam defunctorum cadavera sepelirentur, quod et in praxi, quantum fieri possit, servandum Rituale iubet (*Tit. VI, cap. 1, n. 9*). 2. Verba indulti extensionem, de qua in

casu, manifesto excludunt. Non solum enim, uti superius animadvertimus, inter sacellum et Ecclesiam Decretum praesens distinguit; sed etiam peculiariter notat, *Missas, quae* **inibi**, seu in sacello, **celebrari permittuntur**, *posse esse de requie* quibusdam anni diebus. Porro dictio eiusmodi excludit Ecclesiam, ponit enim aliquam limitationem in Missis inibi celebrandis de requie: hoc est, non omnes Missas esse posse de requie, sed illas tantum, quae ibi ex indulto celebrari possunt. Atqui omnes Missae celebrari possunt in Ecclesiis, seu Oratoriis publicis, quae in coemeteriis existunt; ergo quod de sacellis sepulcretorum asseritur, extendi ad Ecclesias nequaquam potest. 3. Denique si indultum in casu extendi posset ad Ecclesias in coemeteriis existentes, vix ratio extaret, ob quam ab eodem indulto excludendae forent aliae Ecclesiae et Oratoria publica extra ipsa coemeteria. Ratio enim extensionis esset, quia dictae Ecclesiae in coemeteriis sunt, ubi cadavera fidelium quiescunt; atqui innumerabiles quoque sunt Ecclesiae, in quibus fideles maiori minorive numero sepulti sunt. Eapropter dictae Missae de requie in sacello sepulcreti indultae quibusdam anni diebus, in Ecclesiis aut Oratoriis publicis quibuscumque, sive intra sive extra coemeteria existentibus celebrari non possunt.

II. *b*) *E pluribus Galliae locis*. **De interpretatione II. partis eiusdem Decreti Gen. circa Missas de requiem.** Quaeritur 1. num plures Missae privatae permittantur ex dicto Decreto die sepulturae alicuius defuncti?

Resp. Affirmative: Decretum enim non permittit Missam privatam tantum, sed *Missas pri-*

vatas. Scimus quidem, opponi posse *to* Missas referri aeque posse ad plura loca, quae Decretum nominat, quasi vellet significare Missam unam in Ecclesiis, Missam unam in Oratoriis privatis, unam quoque in diversis Oratoriis publicis in eodem Decreto enumeratis. Sed eiusmodi interpretatio minus recte sonat, tunc enim Decretum profecto dixisset, ***Missam privatam,*** nec ambiguitati fuisset locus. Cum ergo Decretum dicat ***Missas,*** non ***Missam,*** indubie obvia interpretatio est, per eiusmodi dictionem plures Missas intelligi in unaquaque Ecclesia et etiam in omnibus Oratoriis, sive publicis sive privatis (1). Praetermittimus, hoc Decretum naturam habere privilegii; privilegiorum autem est, ut amplientur, haud vero restringantur.

c) Dictae Missae permittuntur ne etiam in Ecclesiis et Oratoriis, quae nullam dicunt relationem cum defuncto?

Resp. Negative. Agitur enim de Missis praesente cadavere, uti explicite Decretum habet; quomodo autem id comprobari potest, si Ecclesia vel Oratorium nullam cum defuncto relationem dicat? Cadaver nunquam in casu posset esse praesens. Insuper, nonne privilegium continetur intra limites, quibus permittitur solemnis Missa de requie? Porro ubinam haec Missa solemnis de requie permittitur, nisi in Ecclesiis quae cum defuncto habent relationem, quatenus scilicet parentalia in illis celebrari possunt? Sicut ergo in una tantum Ecclesia Missa solemnis de requie cani po-

---

(1) In privatis quoque Oratoriis plures permittuntur, in casu, Missae de requie, si de vivis plures permissae sunt ex indulto

test, hoc est in Ecclesia defuncti; ita pariter in ea tantum celebrari possunt Missae privatae.

Hic autem notandum, cadaver esse posse praesens, vel *physice* vel *moraliter*. Praesens est *physice* cum materialiter habetur in Ecclesia vel Oratorio: *moraliter,* cum vel adhuc est insepultum, non tamen materialiter praesens, vel etsi sepultum, non ultra biduum terrae mandatum fuit.

d) Quid sibi volunt verba « *die vel pro die obitus?* *Resp.* Significant, uti ex mox expositis patescit, Missas privatas, eadem ratione ac solemnem, non solum haberi posse die obitus, sed etiam alia die, hoc est biduo post obitum, uti palam Decretum edicit. Dies autem qui non sunt obitus, pari privilegio fruuntur, quia stant *pro die obitus,* et moraliter censentur uti dies obitus ».

e) Quid significant ultima verba Decreti « *sub clausulis et conditionibus, quibus, iuxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de requie iisdem in casibus decantatur?* »

Resp. Hoc significant: Missas privatas de requie, ad rem nostram quod attinet, esse permissas, quoties permissa est Missa de requie selemnis. Ita ex. gr. in festo Dedicationis Ecclesiae propriae Missa de requie impeditur in Ecclesia, ubi eiusmodi festum recolitur; ergo impediuntur et Missae privatae. Generaliter in omnibus festis solemnioribus seu universalis Ecclesiae seu Ecclesiarum particularium, Missa solemnis de requie vetita est; ergo et vetamur a Missis privatis. Similiter, ut superius dictum est, Missa solemnis de requie haud in omnibus Ecclesiis permittitur in die et pro die obitus, sed in illis tantum, ubi funus agitur pro defuncto; ergo et ibidem tan-

tum permissae sunt Missae privatae. Atque ita similiter, si aliae clausulae vel conditiones comprobari debeant, ut cani possit Missa de requie, eaedem et debent comprobari, ut licite fiant Missae privatae. Omni nihilominus in casu Missae privatae prohibentur etiam in omni festo duplici 1. cl. et omnibus diebus, qui cum feriatione recoluntur.

III. *E Carcasso.* **De quibusdam concurrentiae casibus.** *a*) Die 24 Iunii anno insequenti 1897 occurrit festum S. Ioannis Baptistae cum die octava SS. Corporis Christi ad instar simplicis redigenda; et die sequenti faciendum de SS. Corde Iesu. Quaeritur: In 2 Vesp. S. Ioannis Baptistae facienda ne commemoratio sequentis et octavae com. omittenda, an potius omittenda com. sequentis, et facienda com. octavae?

Resp. Affirmative ad primum. Ratio patet, quia post Orationem diei prima com. in Vesperis facienda esse debet de sequenti; ergo in casu, de SS. Corde Iesu: consequenter com. octavae ob identitatem obiecti est omittenda. Equidem iuxta Gen. Decretum: *Altero nunc* d. d. 28 Iun. 1889, *attenta indole peculiari utriusque festi* Corporis Christi et Sacratissimi Cordis, octava illius in 2. Vesperis huic festo praefertur quod nec commemorari praescribitur; sed agitur de octava concurrente, non ad instar simplicis redacta, quae concurrere nequit. Consequenter in casu fiet com. prima de SS. Corde, quod indubie praevalet, quia concurrit, et diei octavae com. altera omittetur quia simplex facta est, et non concurrit.

b) Die 5 Iulii quomodo ordinandae Vesperae, concurrentibus 2 Vesperis Ss. Cyrilli et Methodii cum primis diei octavae Apostolorum?

Resp. Decretum *Urbis* d. d. 22 Maii 1896 definit, dies octavos festorum, si primaria sint, quae pertinent ad Apostolos, integras sibi vindicare Vesperas in concursu cum duplicibus minoribus. Ergo in casu Vesperae integrae erunt de octava Ss. Apostolorum cum com. praecedentis. Nec miretur adm. Rev. consulens ob Decretum *Ord. Min. S. Franc. Capuccinor.* d. d. 27 Iun. 1896, quod ad Dub. V (idem casus ac praesens) respondet: « Servetur Rubrica specialis dicti Breviarii »; haec enim habet: *Vesp. de sequenti.* Ergo idem quod ante.

c) Item: quomodo ordinandae Vesperae die 21 Iulii, concurrentibus S. Barnaba cum S. Maria Magdalena, quae pro nobis dup. maius est, uti S. Barnabas Apostolus?

Resp. Solutio huius casus dependet a solutione alterius quaestionis, utrum S. Barnabas omnibus iuribus gaudeat, quibus Ss. Apostoli fruuntur. Hoc autem dubium resolvere ita nequimus, ut omnis incertitudo removeatur. Certe Apostoli singuli vigiliae iure fruuntur, non autem S. Barnabas: singulis ritus est festi dup. 2 cl. S. Barnabae autem dup. maius: Apostoli omnes a Christo electi fuerunt, non vero S. Barnabas. Hoc probaret, Rubricas non respicere S. Barnabam, uti alibi sustinuimus. Nihilominus aliquod extat Decretum, S. Barnabam praeferens aliis Sanctis in translatione: in Litaniis Sanctorum, ultimus quidem, sed inter Apostolos recensetur: si a Christo non electus, a Spiritu Sancto segregari iussus fuit cum Paulo ad opus singulare, ad quod fuit assumptus. Propter quod hoc unum tantummodo nobis concludere licet: Si considerari S. Barnabas velit uti Apostolus, de eo erunt Vesperae cum com-

memoratione sequentis: sin autem, Vesperae dividentur.

IV. *Ex Burgo Oxomensi in Hispania.* **De consecratione cuiusdam Ecclesiae.** Ecclesia Cathedralis Oxomensis ex integro reaedificata fuit initio saeculi duodecimi et Deo dicata in honorem B. M. V. Haec tamen Dedicatio eadem supponitur ac Consecratio (1) Templi, quia ex tunc quotannis recolitur anniversarium Dedicationis cum lectionibus propriis die vigesima Novembris. Sed haec Ecclesia sic dicata seu consecrata non existit nunc nisi in exigua parte extra alteram Ecclesiam, saeculo decimo quinto constructam. Ignoratur an haec nova Ecclesia consecrata fuit necne, non solum quia nullum stat documentum scriptum nec traditum, sed etiam quia non sunt nec fuerunt vestigia eiusdem consecrationis, ut Cruces in parietibus et altare fixum; et quamvis, ut supra dicitur, recitatur officium anniversarium Dedicationis in praedicta die, iuxta lectiones huius officii, refertur ad primaevam Ecclesiam, quae iam non existit, et exinde dubia exorta sunt de actuali Ecclesiae consecratione.

Ad omnem dubitationem tollendam, sequens dubium diluendum expono, scilicet:

1. An Ecclesia debeat nunc consecrari, cum nihil intra eam ex antiqua remanserit, simul consecrando Altare maius utpote fixum, et conditionibus ad hoc recenter constructum?

---

(1) *Dedicatio* et *Consecratio* sunt plane unum et idem in casu; ut quid ergo discrimen ponere inter utrumque?

2. Et si affirmative, an Episcopus procedere possit ad Consecrationem absque licentia et consultatione S. R. Congregationis?

3. Poterit item reformare lectiones officii Dedicationis iam usque nunc approbatas ab eadem sine nova approbatione?

Resp. Singulis expositis probe perpensis, arbitramur, Ecclesiam esse consecrandam. Etenim ab Ecclesia olim certe consecrata abstrahendum profecto est, quippe quae non est illa, de qua hic agitur. Sane nonnisi in exigua parte dicitur illa existere, et extra Ecclesiam alteram post aliqua saecula a prima aedificatam: ut proinde haec Ecclesia, de qua agitur, alia omnino sit a prima. Certum autem ponitur de huius consecratione Ecclesiae nullum extare documentum sive scriptum sive traditum, nullum extitisse nec extare vestigium. Praeterea ex lectionibus ipsis arguitur hanc non esse consecratam, cum eae referantur, uti exponitur, ad primam, a qua iure abstraximus. Ergo certo certius de posterioris Ecclesiae consecratione saltem iure dubitandum est. Atqui, hoc posito, Ecclesia consecranda est, ergo. Minor probatur ex iure (*Cap.* Solemniter, *16: Dist. 1, de consecr.*), ubi habetur: « De Ecclesiarum consecratione quoties dubitatur, et nec certa scriptura nec certi testes existunt, a quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas. Nec talis trepidatio facit iterationem, quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum ». Alia iuris verba concordant (*Cap.* Ecclesiae, *18: ead. dist. 1 de consecrat.*), quae praedicant: « Ecclesiae vel altaria, quae ambigua sunt de consecratione, consecrentur ». Quod

et statuit Benedictus XIII in Concilio Romano (*Tit. 25, cap. 3, apud* Ferraris *ad voc.* Ecclesia, *art. IV, n. 17*).

Accedit ratio; non enim hic agitur de Sacramentis characterem conferentibus, quae nonnisi gravissimis de causis iterari debent, et quidem sub conditione, sed de illis Sacramentalibus, quae pertinent ad benedictiones consecrativas. Hae autem licet rem in tali statu constituant, ut evadat quodammodo *per se* immutabilis; nihilominus *per accidens* potest mutationi subiacere, et ipsum esse sacrum execratum fieri. Cum itaque dictarum rerum consecratio aut non constat, aut incerta manet, nihil obstat quominus iterum consecretur.

Quod spectat altare maius, praenotandum est, illius et quidem fixi consecrationem ex iure liturgico positivo requiri in consecratione Ecclesiae. Sed ius supponit, consecranda esse simul Ecclesiam et altare maius nondum consecrata, vel ambo execrata. Si enim consecranda esset Ecclesia, cuius altare maius ad modum fixi iam esset consecratum, absolute loquendo non foret necessarium, quamvis posset, illud execrari, ut iterum consecretur cum Ecclesia. Quia, licet certum sit impraesenti (1) validam esse Ecclesiae consecra-

(1) Hoc super negotio pluries locutae fuerunt *Ephemerides* nostrae, uti an. 1890 (*pag. 560: 2*), an. 1892 (*pag. 341: Comment. ad Decr. Lucionen.*) et denique an. 1894 (*pag. 681-82: III*). Nunc autem visae sunt admittere invalidam consecrationem Ecclesiae, si in illa nullum consecratum simul fuisset altare, nunc dubiam saltem dixerunt eamdem consecrationem, quoad usque rem definiret competens auctoritas. Sed iam causa finita est, cum Roma locuta sit: ut certum haberi debeat, Ecclesiam valide consecrari, licet nullum cum eo altare consecretur. Nihilominus exploratum pariter omnibus Episcopis esse debet, eiusmodi consecrationem

tionem sine ullius consecratione altaris; nihilominus ad licitam consecrationem requiritur etiam ut simul cum Ecclesia consecretur altare (*Decr. Gen. d. d. 19 Maii 1896: confirm. a Leone Pp. XIII d. 8 Iun. eod. anno*). Quod tamen altare necesse non est per se ut sit maius; quia ideo requiritur eius consecratio, ut consecratio Ecclesiae sit integra: sed integritas, uti patet, habetur etiam cum consecratione cuiuscumque altaris (*Conf. alibi dicta in* Ephemerid. *an. 1894, pag. 681-82*). Hinc concludimus, altare maius in casu posse, audito Episcopo, execrari et iterum consecrari cum Ecclesia, vel etiam aliud altare fixum consecrari pro principe iam consecrato, sicque haberi integritatem consecrationis Ecclesiae.

Ad 2. reponimus affirmative, uti patet ex expositis in prima parte responsi ad Dubium 1.

Ad 3. reponimus negative; quia Episcopi ius non habent mutandi, licet in minimis, ea quae in codicibus liturgicis Sancta Sedes induxit: ut, si aliqua in iis mutatio fieri oporteat, S. R. C. sit consulenda.

V. *Ex Utino.* **De officiis affixis alicui Dominicae impeditis.** Quaeritur, num omnia indiscriminatim officia affixa Dominicis vel feriis, si impedita, translationis iure priventur?

---

esse graviter illicitam, quia praesefert satis gravem inversionem ordinis Rituum, quem Pontificale Romanum praescribit, et integritas consecrationis deficit. Eapropter S. R. C. validam declarans dictam consecrationem, sed illicitam, concludit: « Ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur » (*Decr. Gen. d. d. 19 Maii, confirm. a Leone Pp. XIII d. 8 Iun. 1896, ad I: ap.* Ephem. *1896*, **n.** *8, pag. 513-14*).

Resp. Negative, sed distinctione opus est. Itaque, primo, ex dictis officiis Dominicis vel feriis affixis, alia sunt concessa Ecclesiae universali, alia Ecclesiae alicui particulari: ex iis haec tantum translationem non patiuntur, quam tamen illa admittunt, uti ex. gr. festum Sacratissimi Cordis Iesu, SSm̃i Rosarii. Alia ex dictis officiis praecipiuntur, alia conceduntur tantum: quae autem praecepta sunt, iure translationis gaudent, maxime si pro aliquo regno vel aliqua republica, uti quondam pro Veneta, praecepta fuerint, quae vero concessa tantum sunt, non transferuntur (1). Tertio, denique, aliqua ex dictis officiis, quae *per se* translatione non gaudent, *per accidens* transferri possunt, quia translationis gaudent indulto. Eapropter, ut translatione gaudeant officia affixa Dominicis aut feriis, seu ad istar mobilium, requiritur ut sint, aut universalia, aut praeceptiva, aut privilegiata. Quod enim attinet prima, pluries et explicite id habetur in Rubricis specialibus Breviarii, quae dictam translationem ponunt.

(1) Inter officia, quae *ex praecepto* et *ex concessione* dantur a S. Sede, necessarium ponendum est discrimen. Officium praeceptivum est illud, quod S. Sedes vult ut celebretur, in eoque concedendo verbis praeceptivis utitur, uti *volumus*, *praecipimus*, *mandamus* etc. Officium concessum est illud, quod non imponitur, sed tantum permittitur, in eoque concedendo verbis tantum indultivis S. Sedes utitur, uti *permittimus*, *indulgemus*, *potestatem facimus* etc. Nihilominus sicuti praeceptiva officia acceptanda sunt, ita indultiva, postquam acceptata fuerint, praeceptiva sunt. Hinc, ut patet, non solum praeceptiva sed et indultiva officia ab illis toto caelo differunt, quae vel *votiva* vel *ad libitum* appellantur; haec enim nullam inducunt obligationem, semperque in libertate manent ut fiant, licet quandoque omitti debeant. Haec innuisse sufficiat, ut intelligatur, aliud esse officium impositum ab officio indulto, et votivum vel ad libitum ab utroque differre.

Quod attinet altera, plura Decreta id declarant, uti peculiariter *Einsidlen. ad Tit.* Alia Dubia, n. 10, 5 Maii 1736, nec non *Ord. Excalceat. S. Augustini Prov. Austriae* ad 3, 11 Ian. 1739 ad 3. Quod officia pertinet tertii generis, negotium patet per se, nec probatione indiget.

Nota. Quantum scimus nulla diebus infra octavam Nativitatis Domini mutatio facienda est, et Rubricae peculiares servandae sunt; haud obstantibus particularibus recentioribus Decretis, quae legem communem exhibent.

VI. *E Cremona.* **De non repetendis Litaniis Rogationum, nisi in processione extra Ecclesiam.** Si tristitia temporum processio fieri nequeat extra Ecclesiam, invocationes Litaniarum repeti ne debent?

Resp. Quantum videmus, negative. Ratio repetitionis est spatium viarum, quod percurrere debet processio. Atqui spatium istud in casu satis est breve, ut repetitionem non permittat; ergo. Sane, qui fieri potest, ut adeo producatur processio in Ecclesia, quod tempus det ad Litanias iterandas? Aut ergo pluries iteranda foret processio, donec Litaniae repetitae absolvantur, aut inceptae absolvendae forent in choro. Sed primum est contra usum universalem; cum enim semel processio circuierit interius Ecclesiam, de more absolvitur: alterum esset contra Decretum *Congñis SS. Redemptoris 7 Maii 1853 ad 20,* quod dicit, in choro Litanias *sine repetitione recitandas.*

Opponi potest Decretum S. Iacobi de Cuba, d. d. 16 Sept. 1865, quod obligat ad repetitionem Litaniarum, haud obstante brevitate viae, quam percurrebat processio. Sed responderi potest, illud ad rem non facere, quia agit de processione extra

Ecclesiam, quae processio longiorem vel breviorem viam percurrere potest. Sapienter autem Sacrum Tribunal repetitionem exigit; quia secus facile oriretur inordinatio, ut non brevitas viae sit causa ex qua Litaniae non repetantur, sed potius omissio repetitionis causa sit, ob quam breviorem viam processio percurrat.

VII. *Ex Hispania.* **De cantu Passionis per Celebrantem et duos ministros laicos.** Ob defectum ministrorum potestne Passio cantari per Celebrantem a duobus laicis ministris coadiutum, talari veste et superpelliceo indutis?

Resp. Quantum ex lege inferri potest, negative. Certa imprimis lex est Caeremonialis Episc. praescribens, Passionem a tribus Diaconis seu Sacerdotibus Diaconorum vice fungentibus esse canendam: quippe qui induti esse debent amictu, alba, cingulo, manipulo et stola transversa (*Lib. II, cap. 21, n. 14*). Sed cum nos agamus de casu penuriae sacrorum ministrorum, ex quo aliqua legis interpretatio fieri posset, in relata lege non insistimus, et ad Decreta examinanda pergimus. Primum, quod se nobis offert, est in *Neapolitana* d. d. 17 Ian. 1677 ad 8. Iudicium quaeritur in hoc Decreto, praeter alias, de consuetudine canendi aliquando Passionem a laicis uxoratis; et S. R. C. respondit: « Consuetudines, seu ut melius dicam, abusus omnes expositi... uti repugnantes Rubricis... tolli omnino debent. Non enim sunt laudabiles, imo scandalosae etc. » Alterum vix ad rem faciens, sed propter ordinem referendum, est in una *Nullius Terlitii, seu Iuvenacen.* d. d. 17 Iun. 1706, quod, circa usum canendi Passionem a Monialibus, S. R. C. Episcopo mandat: « Prohi-

beat sub poena suspensionis, et in posterum non permittat ». Tertium habetur in una *Montis Politiani*, d. d. 10 Ian. 1852 ad 2: quod sequentis est tenoris: « Feria tertia et quarta maioris Hebdomadae canitur Passio a duobus, sed vocem Christi dat ab altari Sacerdos celebrans ». Quem usum iudicans S. R. C. declarat: « Permitti posse defectu ministrorum ». Quartum est in una *Sancti Marci*, d. d. 22 Mart. 1862 ad X, quo edicitur Passionis Textum Evangelicum non posse cani ab organista, quamvis sit clericus minorista, vel etiam Subdiaconus. Quintum est in una *Bellunen. et Feltren.* d. d. 1 Febr. 1895 ad 1, et quaeritur in eo: « An *Passio Domini*, deficientibus aliis ministris, cantari possit a Diacono ministrante quoad textum Evangelistae, et a Celebrante quoad verba a Christo prolata; vel a duobus Diaconis, quorum alter sit ipse Diaconus ministrans; vel (si Subdiaconus ministrans sit in ordine diaconali) a duobus Missae ministris? » Et S. R. C. respondit: « Affirmative ». Ultimum remanet, quod est in *Goana;* sed cum respiciat tantum modum dictae Passionis canendae, nec aliquid ad rem nostram habeat, illud praetermittere licet.

Itaque, uti patet, Caeremoniale Episcop. cantui Passionis per ministros laicos, quamvis non desit Celebrans, explicite adversatur. Item adversatur eidem Decretum ex relatis primum: adversatur secundum, quamvis de sanctimonialibus agat, non de viris: adversatur quartum: quintum nonnisi sacros ministros respicit, et e sexto nihil eruere possumus. Hoc unum ergo restat, attentionem nostram defigere super tertio, superius ad litteram relato, et mox in enumeratione praetermisso,

quod cl. De Herdt commentatur; et videndum, utrum ex eo deduci aliquid possit pro responsione ad propositum Dubium affirmativa. Uti consideranti facile innotescit, quaesiti obiectum non constituitur ex qualitate cantorum, sed tantum ex eorum numero; dicit enim, *Passionem cani a duobus,* in loco scilicet ad canendum parato, licet non desit tertius, videlicet Celebrans, qui dat vocem Christi, hoc est canit partem Christi, ab altari. Eapropter, an isti duo cantores, de quibus Decretum *Montis Politiani,* sint Sacerdotes, an sint Diaconi, an Suddiaconi, clerici, an laici, non constat; ergo ex eo nil potest inferri. Quod si autem legem cum lege interpretemur, uti fas est, statim exurgit necessitas concludendi, ibi de duobus Diaconis agi, non de duobus laicis. Nam legem unam minus claram, alia abunde perspicua manifestam reddit. Atqui, uti expositum est, Caeremoniale Episcoporum et Decreta explicita et clariora sunt in laicis excludendis a cantu Passionis. Ergo his legibus alia lex seu Decretum *Montis Politiani* adversari non potest; ut proinde luce meridiana clarescat, praefatum Decretum de Sacerdotibus agere vel Diaconis, haud vero de laicis cantoribus.

Hinc non intelligimus quomodo cl. De Herdt praefato Decreto innixus scribere potuerit: « Defectu sacrorum ministrorum cantari permittitur (*Passio*) a Celebrante et duobus cantoribus, qui licet in maioribus constituti non sint ordinibus, clerici tamen et superpelliceo induti esse debent (*Prax. Liturg. pars 5, n. 21*) ». Arroges velim, non intelligi tunc quomodo S. R. C. prohibere potuisset Passionis cantum Organistae, etsi esset

clericus vel Subdiaconus, uti ex superius citato Decreto constat, et praefatus auctor admittit, nec quomodo cantum Passionis a laicis exercitum abusum idem Sacrum Tribunal declarasset, uti superius visum est, et idem auctor non diffitetur. Hisce omnibus positis, satis superque patet negativae responsionis ratio.

VIII. *E Baiona.* **De Missa, in Ecclesia parochiali non propria, conformi Calendario loci.** Quaestio bis tractata (*V. num. Maii, pag. 346, VII: et num. Septembr. pag. 621*) iterum in medium adducitur, et respicit Missam calendario dioecesis conformem, parochi regularis in sua parochiali Ecclesia, non ad regulare Institutum, sed ad dioecesim pertinente. Inquiritur, utrum exhibita doctrina sit nec ne certa, ac secura; et affirmative reponimus, quemadmodum certa et secura est ratiocinatio, cui doctrina innititur. Et sane, paroecia a viro regulari gubernata, ex hypothesi ad eum non pertinet uti regularem, sed uti Presbyterum dioecesanum, quia non est data Instituto gubernanda, sed individuo; ergo pertinet ad dioecesim, cuius consequenter calendario subiicitur. Eapropter pro Parocho dicta Ecclesia veluti aliena habenda est quod Missae cum officio conformitatem attinet; tenetur enim quoad officium ad Calendarium Instituti; sed Missam facit in Ecclesia, quae Instituti non est; ergo tenetur, post ultimum Decretum de conformitate Missae cum officio, suam Missam conformare calendario Ecclesiae. Arbitramur vim ratiocinii effugi non posse.

Opponitur, Generale Decretum nullo pacto voluisse mutare calendarium, quod hactenus in Ecclesiis retentum est, sed tantum Presbyteros

transeuntes obligare ad calendarium sequendum Ecclesiarum in quibus celebrant: quod profecto non est calendarium Ecclesiarum mutare. Iam nunc, cuinam legi subiiciebantur hucusque Parochi Regulares? Nonne tenebantur ad officium Ordinis, sed diebus festis tantum ad Missam pro populo celebrandam, ut in calendario dioecesis, iuxta Decretum in *Tuden.* d. d. 23 Maii 1846 ad V? Nonne hinc sustineri posse videtur, calendarium paroeciae, cuius curam Regularis habet, esse veluti consectarium derivans e duplici calendario, nempe Ordinis et Dioecesis: adeo ut diebus non festis teneatur ad calendarium Ordinis, festis vero ad dioecesis?

Reponimus. Generale Decretum **Quod Benedictus XIV** noluisse mutare calendarium in Ecclesiis, saltem *directe*, concedimus: noluisse mutare *indirecte*, negari potest. Ratio enim uniformitatis, in omnibus singulisque Ecclesiis a Celebrantibus servanda, totum, ut ita dicam, pervadit Generale Decretum de conformitate Missae cum officio; et ad illam obtinendam Sacrum Tribunal **hanc generalem regulam ab omnibus servandam constituit**, ut nempe *omnes et singuli Sacerdotes, tam Saeculares quam Regulares ad Ecclesiam confluentes... Missas* quasvis... *omnino celebrent officio* seu calendario *eiusdem Ecclesiae... conformes.* Nunc autem, pone, uti saepius accidit, aliquos Presbyteros vel saeculares vel regulares (alterius Ordinis) ad dictam parochialem Ecclesiam celebratum accedere: quo iure cogi poterunt ad celebrandum iuxta calendarium Parochi, cum illud non sit calendarium Ecclesiae? Imo, quomodo dicti Presbyteri Decretum Generale servare poterunt, conformantes se

calendario non Ecclesiae sed Parochi? Ius ne habet Parochus Regularis, qui uti saecularis Ecclesiam regit, ut confluentes ad Ecclesiam suam parochialem, suum calendarium sequantur? Quod si admitti nequit, quomodo admittenda ex parte Sacerdotum illuc confluentium relativa obligatio? Unde gravissima inordinatio, ex qua sequeretur non *omnis difficultas penitus amputata,* sed multiplex et gravior invecta per Generale Decretum: quae profecto admitti nec possunt nec debent.

Ex dictis sequitur, non esse insistendum in Decreto particulari in *Tuden.* quod credimus revocatum iri atque in nova collectione non inserendum; nam novo Gen. Decreto minus cohaeret, huiusque plenam observantiam impediret. Posito enim anteriori principio Missam conformandam esse, quantum fieri posset, officio Celebrantis, in quacumque Ecclesia Missa fieret, Decretum in *Tuden.* stare poterat; sed post principium novum proclamatum, si novum sit dicendum (1), Missam officio Ecclesiae semper esse indiscriminatim conformandam, semiduplici vel inferiori ritu excepto, amplius vim habere nequit, quin praefata exoriantur incommoda.

Quod autem additur, Ecclesiam Parocho regulari, quatenus saeculari commissam, veluti duplex calendarium possidere, quod ex dioecesano et regulari resultat, ut hoc servandum sit feria-

(1) Diximus, *si novum sit dicendum;* audivimus enim (tempus nondum suppetiit nobis ad veritatem scrutandam), antequam principium adoptaretur de Missa cum officio Celebrantis concordanda, sequens in praxi adoptatum fuisse adagium: «*Officium tibi, Missa ibi*»: hoc est, officium iuxta tuum, Missa iuxta calendarium Ecclesiae.

libus, illud festivis diebus, impraesenti non potest amplius admitti ob rationes superius expositas. Primo enim, Parochus non est talis ut regularis exemptus, sed ut saecularis dioecesanae auctoritati subiectus. Secundo, Ecclesia non pertinet ad illum, nisi quatenus est Sacerdos dioecesanus. Tertio, Calendarium Ecclesiae, si ad Ordinem pertineret, ab exteris Sacerdotibus adhiberi non posset. Quarto, Missa amplius respondere non debet officio Celebrantis, sed Ecclesiae, quae in casu ad dioecesim pertinet, et huius calendario subiicitur.

BREVIORA RESPONSA

1. *Pro Senogallia et Gallia.* Die 2 Ian. Vesperae dividuntur sicut antea in gratiam antiquitatis, haud obstante Decreto *Urbis* d. d. 22 Maii 1896 ad 3°: quod in reliquis servandum est casibus. Huic dispositioni cohaeret responsio ad Dub. V Decreti *Ord. Min. Capuccin.* relatum in n. 8 Ephemeridum praesentis anni, nam Rubrica Breviarii Capuccinorum, quam responsum iubet servandam, habet: « Vesperae de seq. ».

2. *Pro Melita.* Si Ephemeris « Semaine Catholique » Tolosana in num. 28 an. 1896 docet, preces post Missam a Leone Pp. XIII imperatas dicendas non esse post Missam SS. Cordis Iesu prima feria VI mensis, in Missis sequentibus sacra novendialia etc., citra controversiam errare credimus, et emendatione indigere *(V. Ephem. an. 1895, pag. 180, Dub. IV).*

3. *Pro Gallia.* Vi Decreti Gen. 19 Maii 1896 nulla datur facultas celebrandi privatas Missas *per plures aut duos tantum dies,* etsi cadaver insepultum maneat; neque id ullo pacto erui potest ex eodem Decreto.

4. *Item pro Gallia.* Invocatio S. Vincentii *a Paulo,* uti iacet, est antiliturgica, ob agnominis nominationem, quam Liturgia excludit. Aliae invocationes ad instar Litaniarum, uti «Pater pauperum, ora pro nobis: Pater Ecclesiasticorum, o. p. n.» et similes in Oratoriis publicis et publice recitatae vel decantatae, non licent; et comprehenduntur sub prohibitione Decreti Generalis, d. d. 6 Mart. 1894 ad I *(V. Ephem. an. 1895, pag. 68).*

5. *Pro eod. loco et Belgio.* Reliquia alicuius Sancti, sive insignis sive non, solemniter ad venerationem exposita, duo saltem lumina habere debet accensa: quae nisi ardeant, linteo vel alio modo cooperiatur. Sed notandum, lumina ex stearina super altaribus esse vetita.

6. *Pro Montepolitiano.* Dedicatio, iam definitum est, ad festa Domini pertinet; ergo dies eius octava, quae festi perfectio est, in concursu cum duplici minori, atque etiam maiori, primario, integras sibi Vesperas vindicat iuxta Rubricas, si agatur de Dedicatione Ecclesiae propriae. Si vero agatur de Dedicatione Ecclesiae non propriae, uti Cathedralis extra ipsam, cum secundarium sit festum, integras cedet Vesperas alii concurrenti duplici sive minori, sive maiori, primario. Concurrente vero die octava festi alicuius secundarii Deiparae cum alio duplici minori, non tamen maiori, primario, integrae de hoc erunt Vesperae.

7. *Pro Belgio.* Reliquia ad venerationem exposita super altari, quod non sit chorale, ex consuetudine communiter recepta optime thurificari potest ab Officiante in Vesperis solemnibus, nullo vero pacto in solemni Missa. Si vero illa sit super altari chorali, idem a fortiori tenendum, et non tantum in Vesperis, sed etiam in Missa. Si autem non sit super altari, sed super parva mensa ad hoc posita in choro vel non longe ab eo, illius thurificatio est certe contra Rubricas in Missa, et saltem praeter Rubricas in Vesperis. Contra Rubricas in Missa; quia Celebrans altare tantum et quae super illo sunt thurificare debet et alias res, quae extra illud sunt thurificare est contra ritum a S. Pio V praescriptum. Idem autem ritus non permittit ut Diaconus in Missa aliud thurificet, quam personas. Praeter Rubricas in Vesperis: quia reliquiae de more super altari ponuntur, ut etiam in Vesperis thurificentur, et de iis thurificandis super parva mensa collocatis Rubricae silent. Dummodo itaque omnia decenter sint parata, sic positam reliquiam in dictis Vesperis thurificandi consuetudinem non improbamus. Ipsemet autem Sacerdos officium faciens eamdem reliquiam post incensationem altaris thurificabit, nunquam vero alius.

8. *Pro Ebroicis in Normandia.* Verba ultima, quibus, iuxta monitum in num. 8 Ephemeridum datum, terminatur Decretum 19 Maii 1896, die 8 Iunii a Pontifice approbatum, nempe: *exceptis.... festis de praecepto*,. significant, Missas privatas in die et pro die obitus permissas quando Missa solemnis decantatur, esse nihilominus vetitas sicut in duplicibus primae classis, ita pariter, in om-

nibus festis de praecepto, seu diebus qui cum feriatione recolantur. Hinc eiusmodi dictio complectitur omnes dies dominicos, non vero dies illos, qui ius quidem habent ad feriationem, sed de facto cum feriatione non celebrantur, non enim sunt festa de praecepto. Qui nihilominus dies iterum includuntur in vetito si in Dominicam incidant, non quia tales, sed quia in iis festum de praecepto occurrit, qualis est Dominica.

9. *Pro Curenna.* Calendarium apprime dispositum est, transferendo S. Sindonem e feria VI post Dom. II Quadragesimae ad diem 29 Martii, ut locus fieret S. Benedicto die 24 eiusd. mensis. Nil in contrarium statuit Decr. Ord. Min. Capuccin. d. d. 27 Iun. 1896 ad VI; declarat enim tantum, festa Dominicis et feriis affixa, si transferenda sint, in diem primam liberam esse transferenda, hoc est, non de Dominica in Dominicam, neque de feria in feriam.

10. *Pro eod. loco.* Die 14 Maii, cum sit prima libera, optime repositus est S. Marcus Evang. haud obstante Patrocinio Deiparae, quamvis est eiusdem ritus, festo Reliquiarum impedito; Patrocinium enim est secundarium, et bene repositum est alia die libera, nempe 29 eiusd. mensis.

11. *Pro Sardinia.* Novum Decretum, declarans non vetitas plures Missas cum cantu de eodem festo, eadem die, in eadem Ecclesia, dummodo relationem cum chorali officio non habeant, statuit ius commune; ergo infirmare nequit privilegium, quod *privat* seu eximit ab illo.

12. *Pro eod. loco.* Missa votiva, licet solemnis, de festo quod nullo modo occurrit, nec est pro re gravi, vel publica Ecclesiae causa, *per se* nullo

privilegio gaudet; et maxime ubi nulla Missa conventualis habetur, cum omnibus commemorationibus occurrentibus cantari debet. Dictum est, *per se*, ut abstrahatur a privilegio, quod aliter disponere valet.

13. *Pro Ecclesia item in Sardinia.* Sicut die 19 Iulii, ita quocumque die infra octavam, atque in die octava, imo quocumque anni die, dupl. 1 classis licet dominico pro solemni, et dupl. 2 classis pro privatis Missis, Puellae a Caritate dictae, festum solemne celebrare ex indulto valent in propriis earum Cappellis; et Sacerdotes omnes et singuli ad dictas Cappellas confluentes Missam propriam de S. Vincentio a Paulo Institutore facere optimo iure valent. Pius Pp. IX, 10 Iun. 1858.

14. *Pro eod. loc.* Verba Constitutionis *Inexhaustum* pro apostolica benedictione populo bis impartienda, quae ad rem faciunt, sequentia sunt: « Statuimus, quod.... Episcopis, *duabus anni solemnitatibus, nimirum Paschate Resurrectionis Domini, alioque die festo solemni eorum respective arbitrio designando,* populo in Ecclesia congregato facultas solemniter benedicendi, cum elargitione plenariae indulgentiae.... concedatur ». Unde autem constet, eiusmodi designationem *semel pro semper* esse faciendam, et, quod singularius apparet, *amplius non posse mutari,* nos plane ignoramus, cum ex verbis Concessionis erui profecto nequeat. Hinc etc.

15. *Pro Parisiis.* Cum Decretum Gen. d. d. 9 Iul. 1895 circa conformitatem Missae cum officio Ecclesiae vel Oratorii publici, ubique locorum

S. R. C. servandum velit, haec propositis dubiis respondere cogimur:

1. Sacerdos, sive saecularis sive regularis, celebrans, esto ex caritate, in sacello piae Congregationis, tenetur Missam facere loci calendario conformem, excepto semiduplici aut inferiori ritu, si cappella uti publica habenda est: quod si habeatur ut privata, tenetur conformare Missam calendario suo proprio.

2. Conformitas Missae pro Celebrante in aliena Ecclesia, debet esse perfecta in omnibus et per omnia relativo calendario.

3. In semiduplici vel inferiori ritu, celebrans in aliena Ecclesia, eadem fruitur libertate, qua quivis alius Sacerdos eidem Ecclesiae addictus.

4. Celebrans in aliena Ecclesia, ubi fit idem officium, quod fecit Celebrans, sed Missa propria habetur, haec debet legi a Celebrante: quod si Celebrantis sit propria et Ecclesiae, in qua celebrat, de Communi, hanc et non propriam legere tenetur.

Brevi: haec est legislatoris voluntas, ut Missa conveniat cum officio Ecclesiae, non Celebrantis, excepto casu libertatis legendi Missas votivas.

IMPRIMATUR
Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A.
Magister

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriar. Antioch.
Vicesgerens

Proprietas literaria

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896.

SACRA RITUUM CONGREGATIO

BUSCODUCEN.

Rm̃us Dominus Gulielmus Van de Ven, Episcopus Buscoducensis, a S. R. Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter efflagitavit, nimirum:

I. An Episcopus ordinaria auctoritate approbare valeat translationem in vernaculam linguam Officii parvi B. M. Virginis, quod legitur in Breviario Romano?

II. Utrum idem Officium ita translatum et approbatum in lucem edi et adhiberi queat a fidelibus, intra fines dioeceseos Buscoducensis degentibus, et praesertim a Congregationibus religiosis utriusque sexus?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative, sed tantum pro recitatione privata.*

Atque ita rescripsit. Die 24 Aprilis 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefect.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM.

Viglebani e fundamentis nuper erecta est Ecclesia in honorem Sacrae Familiae Jesu, Mariae, Joseph, rite benedicta et Hospitio Fratrum Minorum Capuccinorum adnexa. Exortis nonnullis dubiis quoad commemorationes communes seu suffragia sanctorum, R. P. Franciscus M.[a] a Bistagno Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum et ipsius Ecclesiae atque Hospitii Superior a Sacra Rituum Congregatione eorundem dubiorum solutionem humillime flagitavit, nimirum:

I. Utrum in suffragiis Sanctorum agenda sit commemoratio Sacrae Familiae titularis Ecclesiae tantum benedictae et non consecratae?

II. Et quatenus affirmative ad primum, sunt ne relinquendae commemorationes de S. Maria et de S. Joseph?

III. Si negative ad secundum, commemoratio S. Familiae debetne praecedere istis commemorationibus?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, re accurate perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum duxit:

Ad I et II. *Affirmative.*

Ad III. *Provisum in praecedenti.*

Atque ita rescripsit. Die 13 Novembris 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. D. PANICI *S. R. C. Secretarius.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XII.

Augustus Clericorum diligentissimus in sacris caeremoniis ritibusque peragendis, quosdam saepe conspicit Clericos condiscipulos suos, seu in Ecclesiis publicis Urbis, seu in Oratoriis ecclesiasticorum Collegiorum propriis, qui in sacris quibusdam actibus exercendis alia se ratione gerunt ab illa, quam ipse didicit. Videt enim frequenter praefatos Clericos Missae privatae inservientes sine superpelliceo. Aliquando eosdem cernit una simul cum aliquibus Diaconibus ad sacram Synaxim accedentes more laicorum, absque ullo videlicet peculiari exteriori signo, si talarem vestem excipias. Pluries etiam videt Clericos Missae privatae inservientes, qui a momento, quo Celebrans cubitos super Altare ponit, ut verba consecratoria proferat, ad ultimam usque genuflexionem post elevationem calicis, extremitatem casulae sustinent Celebranti. Conqueritur insuper de iisdem Clericis, qui Missale ad Altare delatum ipsimet aperiunt, signacula quaerunt, quod etiam post consummationem Sacrificii agunt; imo et velum ab una ad alteram partem Altaris postquam ampullas administraverint, transferentes, ipsum cooperiunt calicem, dissimulante Celebrante. Quod autem Augusto prae ceteris displicet, est Clericos quosdam cernere, nec prima initiatos tonsura, Missae cantatae sine

ministris assistentes, qui uti magistri caeremoniarum se gerunt, calicem ad Altare deferunt, tegunt, detegunt, folia Missalis vertunt, Epistolam canunt, et reliqua peragunt, quae Subdiaconi vix faciunt in Missa solemni. Haec omnia itaque referens ad Sacerdotem institutorem suum et rei liturgicae peritum, inquirit:

1. *An probandum sit, an reprobandum, Clericos quoscumque sine superpelliceo Missae privatae inservire, aut tam eos sine cotta, quam Diaconos etiam sine stola, ad sacram Synaxim accedere?*

2. *Num recte operentur Clerici Missale in Missa aperientes et disponentes, vel calicem post Communionem aptantes? Quidque censendum de planeta, quam sustinent, ut in casu?*

3. *Num possit Clericus quicumque vices caeremoniarum magistri agere in Missa cum cantu, quidque in hypothesi ipsi agere in illa liceat?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Henrici Gasparri Pont. Sem. Rom. alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 10 Iulii 1895; acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Franciscum Riggi Apostolicarum Caerem. Praefectum.

I. An probandum sit, an reprobandum, Clericos quoscumque sine superpelliceo Missae privatae inservire, aut tam eos sine cotta, quam Diaconos etiam sine stola ad S. Synaxim accedere.

Ad primam quaestionis partem responsuri, in mentem revocavimus, quae hac de re datae sunt

constitutiones apostolicae, ex quibus eruitur absolute vetitum esse Clericis Missae inservire etiam privatae absque talari habitu et tonsura, et peculiariter constitutionem Syxti V datam anno 1589; at ne unam quidem novimus, ex qua erui valeat Clericos Missae privatae inservire haudquaquam posse absque superpelliceo. Nihilominus, Rubrica Missalis (Ritus servandus in celebratione Missae *Tit. II, n. 1.*) hoc aperte et absolute praescribit dicens: *ministro.... praecedente superpelliceum induto.* Sed nulla quamvis extaret positiva dispositio, ad hoc indumentum a Clericis induendum, dum Rei divinae privatim peractae ministrant, tamen si Sacrae Liturgiae spiritum sequi velimus, concludere debemus omnino conveniens esse Clericos Missae inservire superpelliceo indutos. Et sane superpelliceum seu cotta, sicuti omnes norunt, est vestis Clericorum propria in S. functionibus adhibenda. Episcopus in primae Tonsurae collatione, eam imponit, et tali habitu distinctum in cleri partem admittit. Huius indumenti usus praescribitur in chorali munere obeundo, in Sacramentorum solemni administratione, et quandocumque a Clericis aliquis publici cultus actus peragitur. Nunc satis constat etiam privatae Missae celebrationem publici cultus actum esse, ab hominibus Deo oblatum (nec contradictio in verborum significatione habetur, Missa enim privata, ita appellatur, ut distinguatur a solemni seu cantata, sed semper ex natura sua manet publicum opus nomine Ecclesiae peractum), quamvis in privato Oratorio celebretur, aut paucis praesentibus vel unico tantum ministro. Nec Rubrica superius relata loquitur de Missa solemni, sed de plana, et de hoc nullum

dubium, quia de solemni et Pontificali verba facit *n.* 5 et 6. Unde concludere fas est, ex muneris natura requiri Clericos superpelliceo indutos, ad Missae inserviendum etiam privatim celebratae. Et re quidem vera, hoc in casu, Clericus saltem eadem ratione se gerere debet, qua in aliis ecclesiasticis functionibus minus solemnibus. Si ex. gr. Clerici uti debent superpelliceo cum simplicem assistentiam Choro praebent, cur eodem non utentur, cum Missae inserviunt, assistunt, imo ministrant Sacrificiorum maximo, Mysteriorum sanctissimo? In simplici chorali assistentia, ipsi ad Altare nunquam accedere debent, gradus nec attingere, Sacerdoti functionem peragenti nec appropinquare; e contrario Missae inserviens, ex officii natura, Altare pluries ascendere debet, Sacerdoti ministrare etc. Nunc quaerimus: convenitne haec perficere vestibus communibus indutos absque ullo ad Sacra discrimine? Quinimo, si non convenit Clericum Choro adesse absque cotta, hoc tum conveniet, cum Altari adest, in actu, quo super illud descendit Rex coeli et terrae, et augustissimum completur Sacrificium? Negative sane. Hinc concludimus pro superpellicei usu etiam in Missa privata. At praeterea hoc addi potest: Clerici Sacrificio adstant, seu melius, Missae inserviunt ex officio, cui praecipue nuncupantur, ac proinde, cum ipsi vestem habeant ecclesiasticam propriam ad munera sua obeunda, aequum est ac plane rationi conforme ut ea utantur cum implere debent praecipuum et tam sublime suorum officiorum: secus enim curnam Ecclesia hac eos veste ditavit? Quid de equitibus, qui honoris causa apud regem manent, si dum maiestas regalis apparet, in

sui muneris exercitio, vestibus indui recusarent, quibus ex instituto uti debent? His pares essent Clerici, qui, dum Ecclesia vestem ipsis specialem concessit ut adhibeant in actibus, quos illa determinavit, ex quacumque demum causa sumere detrectarent. Plures ex mystica superpellicei significatione necessitatem deducunt illius induendi in Missae servitio. Significat enim vitae innocentiam, quacum incedere debet Clericus Victimae innocentissimae appropinquans; significat charitatem, congruit porro ut haec virtus etiam a ministro ostendatur, dum Sacrificium offertur divinae memoriale perenne charitatis. Laudabilis consuetudo, optima legum interpres, viget in Seminariis, Congregationibus religiosis, etc., ut Missae privatae inserviatur a ministro superpelliceo induto. Verumtamen cum non semper, praecipue ubi plures fiunt Missae, praesto sint Clerici Tonsurati et cottae, tolerari poterunt inservientes laici decenter vestiti, aut Clerici sine cotta, excepta Missa conventuali ex Decr. 7 Sept. 1861, ad 3.

Alteram quaestionis partem eadem fere ratione resolvimus. Cum tamen nulla positiva lex iubeat cottae usum in S. Communione a Clericis suscipienda, et ratio ministerii excludatur, de maxima convenientia tantum disputamus, praecipue si super Altaris gradibus genuflexi recipiant, et si admirationem pareret Clericus ad S. Synaxim laicis permixtus accedens. Quoad autem Diaconum. Decretum habetur S. R. Congregationis (*Antibaren.* et *Scodren.* 4 Iulii 1879 ad 2^{m}) statuens Diaconos accedentes privatim ad S. Communionem debere deferre super cottam, stolam transversam. Nemo non videt quam iuste hoc requiratur, cum stola

transversa vestis propria sit Diaconi; ergo extra necessitatis casum, semper stola a Diacono assumenda est; id porro et ipsi Ritualis Romani legi consonat: « Sacerdotes vero cum stola communicent ».

II. Secundo quaeritur: *a)* Num recte operentur Clerici Missale in Missa aperientes et disponentes? Breviter reponimus recte non operari; ratio est, quia Missalis Rubrica id Sacerdoti committit (*loco sup. cit. n. 4.*). Insuper hoc idem a S. Rituum Congregatione declaratur (Decr. 7 Sept. 1816 in *Tuden.* ad 11). Praeterea mystica non deficit ratio: Sacerdos repraesentat Agnum Apocalypsis, aperientem librum signatum septem sigillis, ergo ipsi, non Ministro spectat Missale librum illum significans aperire. Quid tamen dicendum de inserviente folia revolvente ad *Communio?* Hoc reipsa non est Missale aperire, quamvis ergo non nimis in hac quaestione insistendum videatur, dicimus tamen id haud esse sui muneris.

b) Num recte operentur Clerici calicem post Communionem aptantes? Casus est de Clerico velum ad latus Evangelii deferente, et cum eodem calicem cooperiente. Primum non videtur redargutione dignum, quamvis et id non praecipiatur a Rubrica. Alterum vero nunquam permittendum, quamvis inserviens sit Sacerdos, uti constat ex declaratione S. R. Congregationis (*Decr. cit. ad 12*).

c) Quid censendum de planeta, quam Clerici sustinent ut in casu? Mos planetam elevandi tunc incoepit, cum illius forma late patebat undique clausa, quia in manuum elevatione Sacerdos impedimento illam habebat, et sic ministri auxilio indigebat. Nunc vero quamvis necessitas cessa-

verit, remanet caeremonia ad veterem usum memorandum. Unde superfluum est planetam elevare ab initio consecrationis, et sane Rubrica (*loc. cit. tit. VIII. n. 6.*) id praecipit ad elevationem tantum Hostiae et Calicis, *ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum.*

III. Inquiritur tandem: *a)* Num possit Clericus quicumque vices Caeremoniarum magistri gerere in Missa cum cantu? Caeremoniale Episcoporum (*Lib. I. c. 5.*) vult ut Caeremoniarius assistens Celebranti et Ministris in Cathedralibus, sit saltem in Sacris; id extendit *Instructio Clementina* (§. *XXXVII.*) ad Caeremoniarios pro Missis solemnibus occasione Quadraginta Horarum et *in ogni altra funzione solenne.* Debetne hoc idem servari in Missis aliis cum cantu, sed non solemnibus? Huius dispositionis ratio in eo non est, quod Caeremoniarius se ingerere debeat in rebus ad Sacrificium immediate spectantibus, id enim Ministrorum est; Caeremoniario munus incumbit dirigendi Sacram actionem, ut omnia fiant iuxta suum ordinem. Potissima ergo ratio est maxima reverentia, quae SS. Sacrificio debetur et honor quoque, qui debetur Sacerdoti celebranti, quem minus deceret ab aliquo dirigi, qui eius dignitati saltem non appropinquaret. Haec vero militant et in casu Missae simpliciter cantatae, unde si Caeremoniarius adsit, in Sacris debet esse semper constitutus. Ubi tamen, aut ex personae in Sacris constitutae defectu, aut ex maiori alterius non in Sacris habilitate, Missarum solemnia maiori cum decore agerentur sub magistro caeremoniarum non in Sacris constituto, posset ne talis adhiberi? Non auderemus con-

demnare ex quadam necessitate tunc superveniente; dicimus «ex quadam necessitate», nempe ob maius functionis decus, quia absolute loquendo caeremoniarius necessario non requiritur. Ceterum cum Caeremoniale loquatur de Cathedralibus Ecclesiis et de solemnibus functionibus, legis vis non extenditur ad alias Ecclesias nec ad functiones minus solemnes, et cum Instructio Clementina pariter loquatur de functionibus solemnibus et non obliget nisi Romanum districtum, extra hos casus, convenientius Caeremoniarius erit Clericus in Sacris constitutus; verum nullimode tolerandos laicos, etsi cotta indutos, sustinemus, et hoc super negotio vigilantiam invocamus venerabilium Sacrorum Antistitum (1).

b) In hypothesi Caeremoniarii simplicis Clerici, quid ipsi agere in Missa cum cantu licet? Caeremoniarum Magister, uti superius innuimus, nihil gerere debet circa ipsum Ministerium, unde dubitandi ratio ex eo procedit, quod supponitur in Missa simpliciter cantata posse aliquando vices ministrorum gerere. Sed cito dicimus illius officium non esse illi comparandum, quod exhibet Cappellanus in Missa privata ab Episcopo cele-

---

(1) Dolendum maxime, quod et in hac alma Urbe saepe exteri mirari debeant leges Ecclesiasticas nulli habitas: Caeremoniarios laicos et quidem in *solemnibus functionibus* (prodesset sane Instructionem Clementinam, iuxta praeceptum, in Ecclesiis haberi!); inservientes habitu saeculari in quibusdam S. Functionibus, et quidem coram ipso SSmo Sacramento (saltem in S. Pyxide) publice exposito, et ipsos nonnunquam Sacerdotes S. Liturgiam contemnentes, aut miserrima vanitate captos, in sanctioribus ministeriis, insignibus honoris praeter indulta abutentes, spretis Ecclesiasticis legibus, ac interdum, prout nobis constat, ipsis Superiorum specialibus monitis!

brata, simplex enim Sacerdos ius non habet ad talem assistentiam; posset ergo, ex communi praxi, adstare celebranti ut Missalis folia vertat, comitetur quando sessurus est, si velit, ad *Gloria* vel *Credo,* innuat, iis in casibus, quando discooperire caput debeat. Quaestio fieri posset de calice, utrum possit ad Offertorium deferre et post Communionem auferre, et de cantu Epistolae, an ipsi liceat. De calice dicimus officium esse Subdiaconi ad altare deferre saltem in Sacra actione, sed ratione cuiusdam necessitatis, nempe ut Missale in medio deponi valeat ad intonationem Hymni Angelici et Symboli, tolerari posset ut calix a caeremoniario deferatur ad Offertorium, et uniformitatis causa amoveatur post Communionem. Iuxta Missalis Rubricas (*Ritus etc.* Tit. VI, n. 8.), Epistolam cantabit *aliquis Lector superpelliceo indutus,* aut iuxta Decretum S. R. C. diei 23 April. 1875, *Clericus inserviens... superpelliceo indutus;* ergo in casu, si praeter Caeremoniarium, adsit alter Clericus, hic Epistolam cantabit, sin minus ipse caeremoniarius, qui reapse in casu est Clericus ad officium aptus.

His dictis, novisse iuvabit Decretum S. R. C. *in Baionen.* d. d. 25 Sept. 1875 ad 1^{um}, quod permittit Ministrum (evidenter in Sacris) folia vertentem, calicem discooperientem et mundantem, vinum et aquam infundentem eundemque calicem infra actionem palla cooperientem et discooperientem etc.

MONITUM.

Cum plures e Consociatis conquesti sint apud nos, nec immerito, serius evulgari solutiones quaestionum, quae in nostra Academia Liturgica pertractari solent, re tandem maturius perpensa statuimus, in posterum vulgandas quaestiones eas futuras, quae eodem in anno agitatae sunt. Interim, ne illarum praetermittamus solutiones, quae praesenti anno pertractatae fuerunt, in sequenti compendifactas Ven. Consociatis exhibebimus.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Carcassona.* **De initio Scripturae assignando tota hebdomada festis proprias lectiones habentibus impedita.** Prima hebdomada Augusti festa celebrantur lectiones primi nocturni proprias habentia, ex quibus ritus inferioris, nempe dupl. min., extant festum S. Alphonsi E. C. D. et Inventio S. Stephani, utrum proprias cedet?

Resp. Ex S. R. C. Decreto diei 5 Maii 1736 (*in Einsidlen. ad Tit. XXV, dub. 2*) lectiones impeditae legi debent in Officio, quod est inferioris ritus, minoris dignitatis ac solemnitatis. Nunc in casu ritus et dignitas in nullo eorum praevalent, sed profecto praevalet solemnitas, quia unum festum nempe S. Alphonsi est primarium, alterum S. Stephani est secundarium. At quaerimus: tantine est facienda huiusmodi solemnitas ut negligatur ratio specialis cultus, quo S. Stephanus gaudet in Dioecesi, uti patet ex ritus elevatione prae Ecclesia universa, et ratio proprietatis lectionum primi Nocturni, quae sunt historicae? Fatemur

non tam nos movere primam, quam alteram rationem. Profecto lex solemnitatis praeferendae favet S. Alphonso, nam festum primarium ab ipsa S. R. Congregatione declaratur solemnius: sed festi Inventionis S. Stephani peculiaris indoles, quod nempe historiam (et diversam ab illa sui festi primarii) habeat in primo Nocturno, videtur casum exceptum constituere, agitur enim de parte Officii vere integrali, dum in ceteris casibus, ut in illo S. Alphonsi, fere semper lectiones sunt propriae secundum quid, aptatur nempe eorum Officio, quod in Scriptura Sacra invenitur quandam analogiam habens cum Sancto vel Mysterio de quo agitur. Unde his duabus rationibus consideratis, nempe proprietatis festi, quod forte etiam extrinseca solemnitate in dicta Dioecesi gaudet, et historiae martyrii S. Stephani, cuius corporis inventio celebratur, huius lectiones legendas autumamus et illas S. Doctoris expungendas, ut initio Scripturae locus fiat.

II. *E Dioecesi Iacensi.* **De Missa in aliena Ecclesia pro Sacerdote Regulari ritu proprio utente.** Sacerdotes ex Ordine Praedicatorum proprio ritu utentes comprehendunturne in Decreto S. R. C. diei 9 Iul. 1895 confirmato die 9 Decemb. eiusd. anni?

Resp. In solutione quaestionis alias hisce in *Ephemerid.* pertractatae *(V. Vol. 8, an. 1894, pag. 228 et seq.)*: « Utrum Sacerdotes, sive Saeculares, sive Regulares utentes ritu a Romano diverso, teneantur servare omnia Decreta a S. R. C. emanata? » conclusionem dedimus Ordinariorum esse declarare ea tantum Decreta sequenda, *quae cuiusque Liturgiae spiritui convenire iudicaverint*, quamquam « ex praxi alligata *(ibi)* censeri debet, ipsa Apostolica Sede annuente, *ritus particulares non teneri ad Decreta generalia S. R. C. servanda* ».

Nec nobis contradixisse videmur, etenim considerandum venit, utrum Decreta *saltem indirecte* praefatos Sacerdotes tangant, ita ut Ordinarii declarare valeant, quibus in casibus iisdem illi se conformare debeant, cauto semper, *ut in eadem antiqua forma perseverent*, in qua a Summis Pontificibus servatae eorum liturgiae fuerunt. Ita in casu Sacerdotes Regulares credimus debere Decreto generali obtemperare. Et sane, indirecte tantum Decreto subesse debebunt, cum nempe hospites, ut ita dicam, in loco versari contingat, quo lex illa solemnis habenda est. Nihil autem exinde damni pertimescant, cum nempe Missam Officio Ecclesiae comformem legent, quia illam proprio ritui aptabunt, sicuti reipsa faciunt quando color alienae Ecclesiae discordat. Ceterum Rubrica ipsa Missalis Dominicani (*Rubr. gen.*, §. *VII, n. 2*) praecipit: « *Quoad fieri potest*, Missa cum Officio concordet »; nunc autem si celebrent in aliena Ecclesia et Officium agant de alio Sancto vel Mysterio, et ritus illius Ecclesiae Missas ad libitum non permittat, *fieri non potest* ut Missa cum Officio concordet. Concludimus ultimam considerationem proponentes: Decretum Urbis et Orbis *a*) *certam normam*; *b*) *universis Sacerdotibus*; *c*) *in singulis casibus* constituere voluit: si ergo Regulares in casu huic legi non subiiciuntur, non amplius habetur *certa norma*; ipsi ultra *Sacerdotes universos* inveniuntur; fallitur S. Congregatio, quod putet *singulis casibus* providisse.

III. *E Dioecesi Metensi.* **De duplici Ecclesiae Titulo recolendo.** Ecclesia pagi N. ab antiquis temporibus dedicata erat sub titulo *Translationis corporis S. Stephani Protom.*, qui est etiam patronus loci. Anno 1850 Ecclesia restaurata est, et ex antiquo aedificio solum remansit Sanctuarium; Altare maius consecratum est sub titulo *Nativi-*

tatis B. V. M., sub quo titulo et benedicta est Ecclesia ipsa restaurata.

Quaeritur: 1. Utrum, remanente Sanctuario veteris Ecclesiae, valide commutari potuerit Titulus Ecclesiae, occasione novae benedictionis?

2. Quatenus negative, utrum ob consecrationem Altaris maioris, Nativitas B. M. V. sit ut contitularis colenda cum S. Stephano?.

Resp. 1. Iure liturgico inspecto, indubium est, destructa (saltem simul) maiori parte Ecclesiae consecratae, hanc execratam fieri. Hoc autem cum comprobetur in casu, certum credimus pariter, Ecclesiam de qua agitur, execratam fuisse. Verum destructa Ecclesia, ipse quoque eius Titulus *per se* desinit, quippe qui propter Ecclesiam extitit; ergo, illa destructa, Titulus amplius non subsistit. — Sed in facti specie, antiquae Ecclesiae remanet adhuc Sanctuarium, quod nova cum reaedificata Ecclesia, uti ex Dubii expositione apparet, unum totum efformat. At hoc rem non mutat, illud enim minimam, ut iure ponimus, vel certe satis minorem Ecclesiae antiquae partem constituit; merito proinde nova benedicta est Ecclesia, et consecratum altare princeps. — Iam nunc, et altari et Ecclesiae alius ab antiquo datus est titulus; vetus enim erat S. Stephanus (1), novus est Nativitas B. M. Virginis. Fieri ne poterat eius-

---

(1) Dubium ponit pro Titulo *Translationem S. Stephani*, nos vero in illius solutione posuimus S. Stephanum. Translatio enim minus festo patronali congruit, quod primarium et solemnius est. Audi Guyetum: « Quod autem in aliquibus Ecclesiis pro praecipuo Patroni festo habeatur, non dies transitus vel depositionis, ut fit communiter, sed vel Translationis vel Ordinationis, aut aliqua alia similis solemnitas, non idcirco tamen ad Tituli rationem, qualem hic describimus, referenda est eiusmodi solemnitas; neque Sanctus ille minus vere ac proprie Patronus (*Titulus*) dici debet (*Lib. I, Cap. VI, quaest. 14*) ». Consequenter Translatio in casu habenda est velut *in obliquo*, S. Stephanus *in directo*.

modi commutatio, manente adhuc veteris Ecclesiae Sanctuario? Affirmative reponimus, dummodo nihilominus antiquus Titulus quoque maneat. Responsum ex dictis concludimus; Ecclesia enim antiqua destructa fuit, ergo et Titulus *per se* cessavit, uti exposuimus. Conditionem ex antiqui Sanctuarii existentia quasi dicam morali inferimus; congruit enim ut novo Titulo novae Ecclesiae assignato, vetus non pereat ad antiquam pertinentem, cuius loco nova construitur et cuius nobilior et moraliter potior pars remanet. Quod educitur ex Decreto in *Isclana* ad 1, d. d. 16 Ian. 1885, declarante, Ecclesiam parochialem iam sub titulo S. Mariae Magdalenae poenitentis erectam, terraemotu integre collapsam atque iterum ab interitu vindicatam, dicari potuisse SSmo Cordi Iesu, *retenta tamen S. Maria Magdalena tanquam contitulari*. Ergo a fortiori in suo iure manere debet in casu nostro S. Stephanus Titulus Ecclesiae antiquae, cuius adhuc Sanctuarium extat.

Resp. 2. Patet ex dictis, ad alterum quaesitum iam esse provisum: ita ut huiusce novae Ecclesiae duo sint Titulares, quorum proinde festum celebrandum est solemniori consueto ritu, et quidem separatim, et unumquodque die sua propria, cum celebrari simul nequeant, uti patet.

IV. *Ex eod. loco*. **De hoc festo obliterato, redintegrando die sua.** Quoad festum S. Stephani Translationis, anno 1858 post redintegrationem Ritus Romani, ipsum expunctum fuit e Kalendario Dioecesano in quo ab immemorabili, etiam ante Tridentinum, reperiebatur. Ex eo tempore, hoc festum in dicto pago de N. nec ut festum Patroni loci amplius colebatur, et usque nunc S. Stephanus (qui remanet saltem Patronus loci) nullo cultu speciali gaudet.

Translatio S. Stephani inscripta est in Martyrologio Romano sub die 7 Maii.

Quaeritur utrum festum S. Stephani, Patroni loci, quod certo celebrari debet aliquo die infra annum, redintegrari debeat *die 7 Maii*, sub titulo Translationis, vel celebrari possit *die 3 Augusti* titulo Inventionis, eo quod in Breviario Romano desit officium translationis?

Resp. Patronus loci legitime constitutus ius habet ad Officium dupl. 1.^{ae} cl. cum octava: unde si S. Stephanus est vere Patronus *loci* ita *debet* coli, et siquidem celebraretur, die sua, nempe 26 Decembris, in omnibus loci Ecclesiis, id nihil detrahere debet festo Tituli alicuius Ecclesiae, quod si est Translatio eiusdem Sancti, ius pariter habet ad Officium, sub ritu dupl. 1.^{ae} cl. cum oct. Etenim licet, uti diximus supra, ratio Tituli in Sancto habenda sit potius quam in eius Translatione; nihilo tamen minus eadem non est negligenda Translatio, quod attinet diem suum, uti fit in Dioecesi Viglevanen. (V. Decr. S. R. C. 21 Febr. 1896) pro S. Mauritio M. cuius Patronale festum agitur in Traslatione Reliquiarum. Nihil autem obstat, quod idem festum expunctum sit a calendario dioecesano, quia in tota Dioecesi fieri id poterat in acceptatione Ritus Romani, in cuius calendario non extat Officium dictae Translationis, sed non in Ecclesia legitime illo titulo ornata. Porro dies Translationis, uti ex Martyrologio Romano constat, est septima Maii, haud tertia mensis Augusti, quae Inventioni S. Martyris dicata est. Officium ergo illius diei redintegrandum esset ut ante an. 1858, illud aptando quatenus opus sit, Ritui Romano. Verumtamen in Officio Inventionis, 3 Aug., agitur quoque, peculiariter in 2. lectione 2. Nocturni, de Translatione. Eapropter, si vetus Officium instaurari haud possit, ni fallimur, consultius foret

Officium agere in casu ut die 3 Augusti, sed die 7 Maii recolendum. Quod nihilominus haesitantes dicimus, ut securius sit ad S. R. Congregationem recurrere, cum de re insolita agatur, et quomodo antiquitus factum fuerit ignoretur.

BREVIORA RESPONSA.

1. *Pro Melita. a)* Post Vesperas Omnium Sanctorum servari potest consuetudo ut celebrans pluviale album deponat et nigrum assumat *(Caerem. Ep. lib. II, c. X)* una cum stola (S. R. C. *in Briocen*, 12 Aug. 1854), aut stolam tantum in Sacristia vel apud Altare.

b) Assistentes celebranti in Vesperis solemnibus esse possunt Presbyteri aut etiam Clerici minores, quia non ministrant ut Diaconus et Subdiaconus; in Processionibus vero, si adsint, debent esse Diaconus et Subdiaconus (V. Rituale Rom. *Ordo Servandus in Lit. Mai. Process.*). Possunt adhiberi tamen Clerici cantores pluvialibus induti.

c) Non est confundenda poena privationis sepulturae ecclesiasticae suicidis inflicta, cum privatione Sacramentorum, ita ut, iuxta Rituale Romanum, quando *sese prius sacra Confessione purgaverint*, capaces sint Eucharistiam pro Viatico suscipiendi.

Nota. Pro intelligentia Decr. Gen. 19 Maii 1896 ne pigeat Rev. Inquirentem perlegere, quae dicta sunt in fascic. mensis elapsi pag. 680.

2. *Pro Carcassona. a)* Concurrentibus officiis votivis SSmae Eucharistiae ac Passionis, totum fit de praecedenti, ratione identitatis Mysterii, proinde per totam feriam quintam dicitur doxologia: *Iesu sibi sit gloria, qui natus* etc. Concurrentibus vero officio votivo Passionis et Imma-

culatae Conceptionis, conclusio erit respondens Officio, de quo fit a capitulo, nempe: *Iesu tibi... qui natus* etc.

b) Occurrente feria II hebdomadae cum prima die libera mensis, satis est in Missa feriali illius tantum diei recitare orationem *Fidelium;* ratio est quia alia dies libera de insequentibus non esset prima libera et nulla lex translationem praecipit hoc in casu, quem ceterum non erat difficile praevidere.

3. *Pro Dioec. Baltimoren.* Decretum S. R. C. *in Marianopolitana,* diei 30 Ian. 1878 non contradicit alii recentiori *in Quebecen.* diei 13 Dec. 1895, quia Episcopus Coadiutor in Consistorio eligitur cum titulo sedis non residentialis, quem dimittet cum possessionem capiet, coadiuto utcumque translato, quin noviter in Consistorio proclametur, unde *translationi* (V. Decr. 2 Sept. 1741 *in Aquen.*) non fit locus, nec ex alia parte dies *electionis* ad sedem titularem esset amplius verus; sed cum Coadiutor eligatur pro Dioecesi cui aliquando praeerit ut Episcopus, data anniversarii tunc computanda est a die expeditionis Literarum in forma Brevis quibus Coadiutor efficitur.

4. *Pro Friburgo in Helvetia.* Coetus puerorum Missae assistens Litanias pro privata devotione permissas recitans non refragatur Decreto S. R. C. *expedito* die 15 Ian. 1895, quia nullam relationem cum liturgico actu habent. Sensus enim verborum Decreti: *publice recitari,* est recitari liturgice, si ita loqui fas est, seu Ecclesiae nomine et per Sacros Ministros.

Nota. Dicimus per Sacros Ministros, semper publice, nempe vice Sacra fungentes; intendant qui prohibitionem extendere vellent ad Sacerdotes, qui ex propria devotione et extra ecclesiasticam functionem praefatas Litanias recitarent.

5. *Pro Carnuto in Gallia.* Iam alias regulas dedimus pro translatione festorum Dominicis vel feriis affixis, eas perlegat, rogamus, Rm̃us Inquirens in fascic. praeteriti mensis pag. 690.

6. *Pro Dioecesi N.* Cappellae, quas Religiosae Familiae et Seminaria in Villis possident, gaudent absque dubio iisdem privilegiis ac illae, quae sunt in Conventu vel Seminario, ita ut Sacrum fieri inibi valeat et in festis solemnioribus; assistentes satisfacere valeant praecepto; sacra communio possit distribui et Sacerdotes exteri ad celebrandum admittantur.

7. *Pro Augusta Praetoria.* Nullo pacto absonus censendus est usus, quo non solum Clerus maior, sed etiam minor candelas gestet accensas in processione SS. Sacramenti, dummodo clerici omnes ordinatim procedant, et minus digni ante, digniores postea sequantur *(V. Caerem. Episcop. lib. II, cap. XXXIII, n. 5).*

8. *Pro Praeneste.* Responsio ad Dubium II Decreti *Ord. Min. S. Franc. Capuccin. 27 Iun. 1896 (Ephem. hui. an. n. 8, pag. 520)* cum non respiciat specialiter praefati Ordinis Calendarium, omnibus indiscriminatim inservire potest, qui iisdem in rerum adiunctis versantur. Quod si comprobetur, com. de Dominica infra octavam Nativitatis, aut fiet die in quem incidit, more solito aut, si Nativitas vel S. Stephanus, vel S. Ioannes, vel Ss. Innocentes in Dominicam incidant, *fiat eo prorsus die,* uti docet Gavantus *(Sect. VI, cap. VI, n. 10), quo universalis Ecclesia facit de eadem Dom. officium vel commemoratio.* Vesperae autem diebus 29 et 30 ita ordinabuntur, prouti dictum fuit n. 4 *Ephemerid.* exeuntis anni ad Dubium VIII, pag. 279.

INDEX

CAPITUM ET ARTICULORUM CUIUSQUE MATERIAE

HUIUS X. TOMI

Archaeologia Sacra.

PAG.

IX. De Coemeteriis veterum christianorum, quae Romae extant. Prolegomena 3
X. *Coemeteria Maiora.* Coemeterium Ostrianum. . 76
Coemeterium Priscillae . 81
XI. De Cruce 136
XII. Coemeterium Callixti . 203
XIII. Coemeterium Praetextati. 363
Coemeterium Domitillae . 367
Coemeterium S. Sebastiani seu ad Catacumbas . . 371
XIV. Coemeterium SS. Petri et Marcellini 455
Coemeterium Divae Agnetis M. 461
XV. *Coemeteria Minora. In via Salaria Vetere.* Coemeterium S. Pamphili . 535
Coemeterium S. Hermetis. 536
Coemeterium ad Septem Columbas 537
In via Salaria Nova. Coemeterium S. Felicitatis M. . 538
Coemeterium Thrasonis . 541
Coemeterium Iordanorum . 544

PAG.

In via Nomentana. Coemeterium S. Nicomedis . ibi
XVI. *In via Tiburtina.* Coemeterium Cyriacae . . 578
In via Labicana. Cometerium S. Castuli . . . 584
In via Latina. Coemeterium SS. Gordiani et Epimachi 585
Coemeterium Aproniani . 586
Coemeterium Tertullini . 587
In via Ardeatina. Coemeterium Basilei . . . . ibi

Ad dubia super Sacris Caeremoniis responsa.

I. *E Dioecesi Segoviensi.* De quadam incohaerentia inter Ephemerides et Rubricam. 285
II. *E Gallia.* De Cereo Paschali et quinque granis incensi 286
III. *Ex eodem loco.* De thurificatione Canonicorum extra Cathedralem, et Presbyterorum 287
IV. *Ex eodem loco.* De modo Pluvialistas thurificandi . 288

PAG.

V. *E Ferraria.* De quibusdam genuflexionibus in Missa solemni 644
VI. *E Dioecesi N.* De ordine Candelas accendendi super Altare 645
VII. *Ex Augusta Praetoria.* De supposita incohaerentia inter Caeremoniale Episcoporum et Ephemerides, quoad genuflexionem Canonicorum ad circulum . . 646
VIII. *Ex eodem loco.* De loco ubi recitari debet Kyrie eleison in Missa cum cantu. 647

Ad quaedam dubia liturgica breviora responsa.

I. E Friburgo in Helvetia . 107
II. E Longobardia 108
III. E Nicaea ad Varum . ibi
IV. E Curenna 109
V. E Civitate N. . . . . ibi
VI. Ex Augusta Praetoria . 110
VII. E Guatimala . . . . ibi
VIII. E Dioecesi Briocensi . ibi
IX. E Sena . . . . . . ibi
X. E Verona 111
XI. E Padua . . . . . . ibi
XII. Ex Subalpinis. . . . ibi
XIII. E Rota in Dioec. Veronen . . . . ibi
XIV. Pro Urbe 572
XV. Pro Gallia 573
XVI. Pro Statibus Unitis Americae 574
XVII. Pro Dioec. Briocensi . ibi
XVIII. Pro Matera . . . 575

PAG.

XIX. Pro Dioec. Praenestina. 575
XX. Pro Gallia 620
XXI. Pro Centumcellis . . ibi
XXII. Pro Austria . . . 621
XXIII. Pro Dioec. Anneciensi. ibi
XXIV. Pro Dioec. Baionen. . ibi
XXV. Pro Dioec. Carnuten. . 622
XXVI. Pro Curenna . . . 623
XXVII. Pro Venetiis . . . ibi
XXVIII. Pro Belgio . . . ibi
XXIX. Pro Dioec. Calataniaden. 624
XXX. Pro Ferraria . . . 649
XXXI. Pro Hispania . . . ibi
XXXII. Pro Gallia . . . 650
XXXIII. Pro Legione in Hispania . . . . ibi
XXXIV. Pro America Meridionali . . . . ibi
XXXV. Pro Dioecesi N. . 651
XXXVI. Pro Dioecesi Baionen . . . . ibi
XXXVII. Pro Regione Britannica . . . . ibi
XXXVIII. Pro Prov. Pennsylvanica . . . . ibi
XXXIX. Pro Senogallia et Gallia. 699
XL. Pro Melita. . . . . ibi
XLI. Pro Gallia 700
XLII. Pro eodem loco et Belgio . . . . ibi
XLIII. Pro Montepolitiano . ibi
XLIV. Pro Belgio. . . . 701
XLV. Pro Ebroicis in Normandia . . . . ibi
XLVI. Pro Curenna . . . ibi
XLVII. Pro eodem loco. . ibi
XLVIII. Pro Sardinia . . ibi
XLIX. Pro eodem loco . . ibi

PAG.
L. Pro Ecclesia item in Sardinia 703
LI. Pro eodem loco . . . ibi
LII Pro Parisiis . . . . ibi
LIII. Pro Melita 723
LIV. Pro carcassona . . . ibi
LV. Pro Dioecesi Baltimoren. 724
LVI. Pro Friburgo in Helvetia ibi
LVII. Pro Carnuto in Gallia 725
LVIII. Pro Dioecesi N. . . ibi
LIX. Pro Augusta Praetoria ibi
LX. Pro Praeneste . . . ibi

Decreta SS. Congregationum.

Ex S. Rituum Congregatione.

Congregationis Presbyterorum SS. Sacramenti . . 1
Quebecen. Decreta 66
Animadversiones 68
Romana. De psalmo *De profundis* post Laudes in Off. Def. 72
Recens Benedictio a S. R. C. permissa 73
Almerien. De processionibus vespertinis 129
Annecien. De usu Sacrorum Oleorum 130
Bisarchien. De precibus in lingua vernacula in Missa . 131
Decretum Generale , Anniv. Dedic. Ecclesiae 132
Dubia et Responsa . . . 133
Viglevanen. Dubia varia . . 134
De Missa Conventuali . . 193
Platien. Dubia varia . . . 194
De elevatione ritus festi S. Thomae Cant. Ep. . . . 195
PAG.
Quebecen. Dubia varia . . ibi
Romana. De modulationibus a Celebrante in Missa cantata exequendis 198
Basileen. Dubia varia . . . ibi
Super decreto *Quebecen.* Adnotationes 201
Romana. De solemnioribus diebus Missam in Oratoriis privatis impedientibus . . 289
Placentina in Hispania. Dubia varia 290
Adnotatio super praefato Decreto 291
De Regularibus quoad Decretum diei 9 Dec. 1895 . . 355
De missa votiva S. Francisci Assisien. in Sacello Portiunculae etc. 356
Senogallien. De defuncti imagine in tumulo 357
Amalphitana. De officiis votivis . . . . ibi
Ordinis Min. S. Francisci de Observantia. De quodam privilegio pro Missis cantatis in Hispania . . . 358
Gerunden. De rituali pro monialibus Cisterciensibus . 359
Urbis. De officiis votivis et de quibusdam Octavis . . . 360
Valven. et Sulmonen. De coroniis mortuariis in Ecclesiis 361
Ruthenen. De Missae conformitate pro Capellis Episcoporum etc. 362
Vicentina. De benedictione mulieris post partum . . 449
De methodo servanda in pro-

PAG.

fessione et renovatione votorum intra Missam. . . 450
Brunen. De benedictione Abbatiali 451
Urbis et Orbis. Super satisfactione praecepti de Missa audienda in Episcopali Sacello 452
De Missis privatis de Requie in sepulchretis et in die obitus. 453
De consecratione Ecclesiae et Altaris 513
De Missis propriis S. Aloisii in ipsius festo recolendo . 514
Ordinis Min. S. Franc. Capuccinorum. Dubia varia . 515
Ordinis Min. S. Franc. Capuccinorum. Dubia varia . 517
Ordinis Min. S. Franc. Capuccinorum. Dubia varia . 520
Orationum et Sequentiae in Missis defunctorum . . . 522
De pluribus Missis cantatis de eodem Sancto in eadem Ecclesia 523
Strigonien. Dubia varia . . 524
Strigonien. Dubia varia . . 526
Ordinis Min. S. Franc. Capuccinorum. Dubia varia . 529
Ordinis Min. S. Franc. Capuccinorum. Dubia varia . 531
Urbis eiusque Districtus. De lectionibus in off. S. Agapiti Pont. et Conf. 577
Buscoducen. De officio parvo B. M. Virginis translato in linguam vernaculam et ab Ordinario approbando, quod edi potest 705

PAG.

Ord. Min. Cappuccinorum. De agenda com. S. Familiae Titularis Ecclesiae in Suffragiis, et de commemorationibus B. M. Virginis et S. Juseph omittendis . . 706

Ex Sacra Congregatione Concilii.

De Missae applicatione in exequiis 292
Adnotationes super praefato decreto . . . . ibi

Ex S. Congr. Indulgentiarum et Ss. Reliquiarum.

De Reliquiis, quarum authenticae non habentur . . . 446
De indulgentiis adnexis recitationi Orationi « Angelus Dni » et Antiphonae « Regina coeli » 576
Ordinis Praedicatorum. De erectione Confraternitatum earumque indulgentiis . . 653
Montis Politiani. De indulgentia plenaria benedictioni Papali adnexa. 655

E Suprema S. Officii Congregatione.

De carnis iusculo in collatione serotina 444
De Ordinariorum facultate anticipandi vel dispensandi super ieiunii et abstinentiae lege, occasione solemnitatum . . . . ibi
De butyro per modum condimenti in diebus ieiunii. 509

Dubiorum Liturgicorum solutio scientifica.

PAG.

E Borussia. De quorumdam festorum occurrentia . . 52
E Spalato in Dalmatia. De significatione diei quasi-natalitiae 54
E Subalpinis. De officiis, parvo B. M. et defunctorum recitandis in die Dominicae anticipatae 56
E Londino. De Benedictione post Communionem. . 57
E Rota in Dioec. Veronae. De concursu dierum infra octavam 59
E Civitate Segoviensi. De praeferentia unius Praefationis propriae prae alia etiam propria 62
Ex Subalpinis. De concursu inter duo festa Passionis. 112
Ex eodem loco. De festis permissis infra Oct. Corporis Christi 115
Ex eodem loco. De infra Oct. Corporis Christi in festo dup. mai. 117
E Parisiis. De nova Ecclesia super antiquam criptam, quarum diversus est Titulus . . . . ibi
E Verona. De Concursu inter S. Damasum et diem infra Oct. Imm. Conc. Deiparae. 119
E Curenna. De Missa occurrentis simplicis in duplici et infra aliquam octavam. 121

PAG.

Ex Hollandia. De benedictione Nuptiarum ante acceptum sponsorum consensum 122
E Dioecesi Briocensi. De tempore praeintonandi antiphonas 174
E Sabaudia. De Missa exequiali impedita, an remitti possit nunc uti antea . . ibi
Ex eodem loco. De intelligentia Rubricae Octavas prohibentis 175
E Subalpinis. De tertia Oratione in Missa vot. Imm. Concept 179
E Gallia. De festo S. Marci in Dom. in Albis occurrente 180
E Massilia. De benedictione cryptae pro sepeliendis Episcoporum cadaveribus . 182
E Mantua. De ritu festorum Dioecesis, ad quae tenentur Regulares . . . . . . ibi
Ex Urbe. De officii votivi recitandi libertate pro Canonicis ad chorum quotidianum non adstrictis . . . 183
Ex Urgellis. De initio Psalmi non omittendo quando postrema Antiphonae verba sunt ex illo 271
E Dioec. Segoviensi. De cuiusdam decreti inscripta die . 274
E Gallia. De clericis pluviali indutis in Missa coram Episcopo. . . . . . . ibi
Ex eodem loco. De cantu et sono alternis . . . . ibi

PAG.

E Bogota. De non mutando textu liturgico. 276

E Sicilia. De officii recitatione privata tempore Missae Conventualis . . . . . ibi

E Gallia Narbonensi. De forma planetarum gallica. . 278

E Verona. De concurrentia officiorum ritus duplicis infra oct. Nativitatis . . . 279

Ex eodem loco. De concurrentia diei octavae cum festo rit. dupl. min. . . 280

Ex Hispania. De discrimine inter Expositionem publicam et privatam. . . . ibi

E Curenna. De praelatione diei prae alio infra duas octavas 281

E Dioecesi Septempedana. De concursu inter officium votivum et Dominicam sequentem. 282

E Dioecesi Senensi. De collatione baptismi in Sabbato ante Pascha et Pentecosten. 283

Ex Ostuno. De iuribus quibusdam Parochi in delatione cadaveris 284

E Bogota. De loco pro benedictione ante Evangelium in Missa. 336

E Galliis. De mutatione tertii versus ad hymnum *Iste Confessor* in festo S. Petri Damiani 337

E Borussia. Iterum de quorumdam festorum occursu . 339

E Dioecesi Briocensi. De titulo *Viduae* B. Ioannae Valesiae attributo 341

PAG.

Ex eodem loco. Iterum de concursu inter Tit. Ecclesiae Cathedr. et Patronum provinciae 342

Ex eodem loco. De modo psalmos intonandi in Officiis Defunctorum et Tenebrarum 345

E Verona. De calendario a Parocho Regulari sequendo in sua Ecclesia 346

E Rossia. De modo exponendi et reponendi Sacramentum in Ostensorio. . 348

E Caurio in Hispania. De ordine distributionis Palmarum 421

Ex eodem loco. De duabus Crucibus in Processione . 423

Ex eodem loco. De quadam consuetudine in renovatione Sacrarum Specierum . 424

E Padua. Iterum de benedictione post Communionem fidelibus distributam immediate ante Missam . 425

Ex eodem loco. De Vesperis defunctorum mane non decantandis 427

Ex Hispania. De iure corrigendi Calendarii 428

E Dioecesi Briocensi. De concursu inter officia votiva 429

Ex eodem loco. De concursu inter dupl. min. primarium et diem octavam dignioris festi . . . . ibi

PAG.

E Parisiis. De *Gloria* et *Credo* omittendis in quibusdam Missis votivis 431
Ex eodem loco. De inclinatione Celebrantis in Missa dum a se Missale transfert. . . 432
E Turiasona in Hispania. De 9 lectione in festo Nativitatis B. M. V. Ecclesiae Titularis 434
E Strigonia. De officio votivo Imm. an recitari valeat ritu dupl 435
Ex Apuliis. De Missa lecta in die obitus occurrente semiduplici . . . . . . ibi
E Baiona. De officio ad libitum absolute suppresso . 437
Ex eodem loco. De sensu verborum « alicui Ecclesiae adscriptus » 438
E Verona. De occursu Desponsationis Deiparae et S. Familiae. 488
Ex eodem loco. De conformitate Missae cum officio Ecclesiae 490
E Legione in Hispania. De chirothecis in Episcopo assistente Missae solemni cum pluviali, vel cappa . 491
E Curenna. De quodam festo in die sua recolendo . . ibi
Ab Etruria. De Aliquorum festorum die mutanda in anno bissextili 493
E Dioecesi Briocensi. De festis Titularis et Dedicationis per accidens secundariis 494

PAG.

Ex Algeria. De festo S. Familiae et Desponsationis Deiparae occurrentibus . 495
E Sinis. De non praemittendo *Dominus vobiscum* Orationibus in Expositione solemni 496
Ex Ebroicis in Gallia. De Missa festiva praesente cadavere 497
Ex Arequipa in Peruvia. De extensione cuiusdam privilegii 498
Ex eodem loco. De sensu cuiusdam privilegii Canonicis Arequipae concessi . . . 499
E Legione in Hispania. De peculiari quodam ritu in Absolutione pro Defunctis . 608
E Dioecesi Baionen. De festis particularibus pro Regularibus . . . . . . ibi
Ex eodem loco. De processione in Commem. Omnium Fidel. Defunctorum. . . 609
E Ferraria. De modo tenendae manus sinistrae in benedictionibus Sacerdotis ad Altare . . . . ibi
Ex eodem loco. De osculando Altari a Sacerdote postquam illud conscenderit pro sacra actione inchoanda 611
Ex eodem loco. De qualitate vocis in recitatione Ps. *Miserere* in Triduo sacro servanda. . . . . ibi
Ex eodem loco. De impositione thuris in feria VI. Mai.

PAG.

Hebdomadae post adorationem Crucis. 612

Ex eodem loco. De manipulo a Subdiacono accipiendo in Sabb. Sancto 613

Ex eodem loco. De benedictione thuris ante Praeconium Paschale 614

Ex eodem loco. De verbo « *eiusdem* » in conclusione Orationum in quibus facta est mentio Spiritus Sancti. . 615

Ex Urbe. De Octava commemoranda infra Octavam Epiphaniae 616

Ex eodem loco. Iterum de Vesperis diebus 29 et 30 Dec. . . . . , . . 617

E Dioecesi N. De genuflexione in Vigilia Imm. Conceptionis 618

Ex eodem loco. De Missa de Requie prima die mensis. 619

Ex Hispania. De diebus vetitis pro Officio votivo, etiam in dupl. mai. indulto. 635

E Legione in Hispania. De pluribus absolutionibus pro Defunctis 636

Ex eodem loco. De extensione privilegii ad Ecclesias Monialium . . . . ibi

E Dioec. Calatanisiaden. De applicatione Missae de Requie iuxta Decretum: *Aucto.* 637

E Parisiis. De Missa iuxta Calendarium concessum Monialibus Officium Divinum non recitantibus 638

PAG.

Ex eodem loco. De qualitate Missae in Oratorio cuiusdam Communitatis . . . 639

E Lauda. De Titulari solemniter recolendo in Oratoriis publicis 640

Ex Augusta Praetoria. De obligatione eorum, qui ad Missam Conventualem tenentur, interessendi ad Aquae Aspersionem in Dominicis 642

E Centumcellis. De interpretatione 1.ae partis Decr. Gen. circa Missam in Sacello sepulcreti 680

E pluribus Galliae locis. De interpretatione 2.ae partis eiusdem Decr. Gen. circa Missas de Requiem. . . 682

E Carcasso. De quibusdam concurrentiae casibus . . 685

Ex Burgo Oxomensi in Hispania. De Consecratione cuiusdam Ecclesiae. . . 687

Ex Utino. De officiis affixis alicui Dominicae impeditis. 690

E Cremona. De non repetendis Litaniis Rogationum, nisi in processione extra Ecclesiam 692

Ex Hispania. De cantu Passionis per Celebrantem et duos ministros laicos . . 693

E Baiona. De Missa, in Ecclesia parochiali non propria, conformi Calendario loci 696

E Carcassona. De initio scripturae, tota hebdomada fe-

PAG.

stis proprias habentibus impedita 716

E Dioecesi Iacensi. De Missa in aliena Ecclesia pro Sacerdote Regulari Ritu proprio utente 717

E Dioecesi Mentesi. De duplici Ecclesiae Titulo recolendo 719

Ex eod. loco. De hoc festo obliterato, redintegrando die sua 721

Expositio novissima Rubricarum Breviarii Romani.

Tit. IX. N. 4. De Octavis. Continuatio . . . 85

N. 5. De Commemorationibus . . 92

N. 6. De Commemorationibus . . 150

N. 7. De Commemorationibus . . 329

I. Tabella Commemorationum in primis Vesperis. 333

II. Tabella Commemorationum in Laudibus. . . 334

III. Tabel. Commemorationum in secundis Vesperis 335

Eaedem Tabellae emendatae . . 481

Notanda ad Tabellas 484

N. 8. De modo faciendi Commemorationes 485

Continuatio . . . 564

PAG.

Continuatio . . . 601

N. 9. De 9 lectione quando fit commem. Dominicae vel feriae . . 605

N. 10. De 9 lectione quando fit commem. de Festo trium lectionum. 657

Manuale novissimum pro visitandis Ecclesiis a Vicariis Episcopalibus et Foraneis.

Caput XVI. De Visitatione ipsius Ecclesiae 226

Continuatio . . 504

Continuatio . . 558

Continuatio . . 672

Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae.

I. De Oratoriis privatis . . 41

II. De Oratoriis priratis . 95

III. De Oratoriis privatis . 156

IV. De Oratoriis privatis . 209

V. De Oratoriis privatis. . 307

VI. De Oratoriis privatis . 384

VII. De Oratoriis privatis . 466

VIII. De Oratoriis privatis. 546

IX. De Oratoriis privatis . 589

X. De festo Novi Titularis et de infra octavam S. Rufinae Patronae. 625

XI. De Missa in anniversario Consecrationis Episcopi. 662

XII. De quibusdam consuetudinibus quoad Clericos Missae inservientes 707

Argumenta varia.

PAG.

Decreti Urbis et Orbis *De conformitate Missae cum officio* explanatio 16
Animadversiones super editione novissima Caeremonialis iuxta Ritum Romanum 26
Ad Calendariorum Redactores 125
Praenotanda Calendariis locorum praemittenda. . . 126
Ephemerides Liturgicae et Le Canoniste contemporain 168
Super praenotanda Calendariis locorum praemittenda Declarationes 186
Necrologium 192
Dissertatio super quodam casu occurrentiae 233
Continuatio 294
Continuatio 397
Dubium Liturgico-Canonicum. Quivis actus liturgicus Episcopi, in quo pontificalibus utatur indumentis, iure ne venit sub nomine Pontificalium? 257
Specimen Kalendarii universalis Ecclesiae pro anno Dñi 1897 319
Leo PP. XIII et Ephemerides Liturgicae 353
Praenotanda Calendariis locorum praemittenda . . . 440
De Reliquiis Aquisgrani. . 447
De ordine sedendi in sessionibus synodalibus. . . 509

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM QUAE IN HOC X TOMO CONTINENTUR

(N. B. Numerus lectorem ad paginam remittit)

A

Absolutio, presente cadavere *fieri potest post missam de festo*, 498 — de *peculiari quodam ritu eliminando* in absolutione pro defunctis, 608 — de absolutione post missam, 624 — de *pluribus absolutionibus* pro defunctis, 636.

Abstinentia, vide *Jeiunium*.

Adrianus (S), quum die 8.ª Sept. faciendum est de S. Adriano M. Ecclesiae Titulo, *die 9.ª eiusdem mensis fiat de Nativitate* B. M. V. *absque integra octava*, 68 — animadversio in praefatum decretum, 71.

Agapitus (S) M., vide *Secreta* et *Postcommunio*.

Agapitus (S) Pont. et Conf., de lectionibus et missa huius Sancti, 577.

Alma Redemptoris Mater, recitanda est haec antiphona *post Vesp. absque Completorio* in festo Purificationis in Eccl. parochialibus *nullam habentibus Chori obligationem*, 135.

Aloisius (S), omnes missae propriae de S. Aloisio celebrari possunt *qualibet die a R̃mis Ordinariis designata pro eius festo*, 514.

Alphonsus (S) de Ligorio, vide *Tertius versus*.

Altare, de osculando altari a Sacerdote *postquam illud conscenderit* pro Sacra actione inchoanda, 611 — vide *Oratoria privata*.

Anastasia (S), dies 30.ª Dec. assignari potest S. Anast. M. in Eccl. propria, *non omissa eius commem. in 2.ª Missa*

Nativ., ratione Stationis, 66 — animadversio in praefatum decretum, 69.

Angelus Dni in Sabb. Quadrag. meridie *stando* recitandum est, 576 — *Sabbato infra oct. Pentec.* recitanda est antiphona « *Regina coeli* » *ibid.*

Anniversarium Dedic. Eccl., in hoc Anniv. duodecim cerei ardere debent *per integrum et solum diem* incipiendo a 1.is Vesp., 66 — die octava *accendi pariter possunt*, sed non debent, *ibid.* — decretum generale omnes controversias circa hoc Anniv. evellens, 132 — Anniv. Dedic. Eccl. propriae *est festum primarium*, 623.

Anniversarium Creationis et Coronationis Summi Pont., vide *Praefatio.*

Anniversarium Electionis et Consecrationis Episcopi, pro Episcopis *per S. Congregationem de Propaganda Fide institutis*, dies electionis pro anniv. in dioec. celebrando illa est, *qua fuit in Consistorio proclamatus*, 66 — de Missa pro hoc Anniv. casus, 662 — quid *circa anniv. consecrationis Episcoporum* recolenda ferat antiquitas seu latinae seu graecae Ecclesiae, 663 — quomodo intelligenda *utraque rubrica Caeremonialis Episcoporum* ut in casu, S. R. C. Decretis maxime attentis, 667 — quid *de invecta consuetudine iudicandum* et pro quo ex duobus caeremoniarum magistris ratio pugnet, 671 -- de anniv. consecrationis *pro Episcopis coadiutoribus*, 723.

Annuntiatio B. M. V., Solemnitati Annunt. *assignari nequit in perpetuum* Dominica II. post Pascha, 67.

Annus bissextilis, vide *Festum.*

Antiphona, de tempore praeintonationis antiphonae, 174. — vide *Psalmus.*

Applicatio, vide *Missa de festo*, *Missa de Requie.*

Aspersio aquae in Dominicis, de obligatione eorum, qui ad Missam Conventualem tenentur, *interessendi ad aquae aspersionem* in Dominicis, 642.

Assistentes, de assistentibus Celebranti in *Vesp. et processionibus*, 722.

B

Baptismus, collatio baptismi in Sabb. Sancto *est praeceptiva*, 289 — in collatione baptismi *non debet continuari infusio* et distingui *per solam crucium efformationem*, 622.

Barnabas (S) Ap., vide *Festum*.

Beati, Beatorum officia, ubi sunt indulta, *iisdem subiacent Rubricarum normis super translatione festorum*, quibus officia Sanctorum 529.

Benedicamus Dno, de eius cantu in fine *Horarum minorum* et *Completorii*, 110.

Benedictio, danda est eis, *qui immediate ante vel post missam* communicant, 57, 425.

Benedictio Abbatialis, de ritu et forma huius benedictionis *pro Praelatis saecularibus*, 451.

Benedictio Apostolica, de benedictione apostolica bis populo impartienda, 703 — vide *Indulgentia plenaria.*

Benedictio Fontis, vide *Olea Sacra.*

Benedictio Mulieris post partum, neganda non est puerperae, *cuius proles mortua fuerit sine baptismo*, 449.

Benedictio Nuptialis, Nuptiarum benedictio a Parocho impertiri nequit *ante acceptum sponsorum consensum*, 122.

Benedictio Sepulcri, in benedictione cryptae *pro sepeliendis Episcoporum cadaveribus* adhibenda est formula sicut pro omnibus coemeteriis, 182.

Benedictio Thuris, thus apponendum et benedicendum est *ante processionem* pro *Lumen Christi*, 614.

Butyrum, diebus ieiunio consecratis, in quibus condimentum ex adipe indulgetur, *butyro quoque per modum condimenti uti licet*, 509.

C

Caeremoniale, animadversiones *super editione novissima Caeremonialis* iuxta ritum romanum, 26.

Caeremoniarius, de *eius loco* in quibusdam functionibus, 624.

Calendarium, Exteri Calend. Rom. sequentes *Adnotationes pro utentibus extra* sequi debent et *tenentur ad Officium S. Familiae* si in aliena dioecesi *pro negotio gerendo* versantur, 107 — normae tenendae in redigendis calendariis *pro dioecesibus*, *quae*, *ex privilegio maxime extra Italiam*, Calendario Cleri Rom. utuntur, 375 — de Calendario *a Parocho Regulari in sua Ecclesia* sequendo, 346 — qui utuntur Calendario Cleri Rom. *fer. III officium votivum de S. Petro et Paulo faciant*, 440, 622 — Religiosi per aliquot dies a suo conventu absentes, *in choro sequantur Calend. Coenobii in quo hospitantur*, in recitatione privata *Calend. Coenobii* e quo discesserunt, 518 — Calendarium Provinciae pro Religiosis *redigatur super Calendario perpetuo Ordinis; Calendarium Coenobii super respectivae Provinciae Calendario*, 521 — de Calend. sequendo a *Sacerdotibus addictis Oratoriis Gymnasiorum, Hospitalium* etc., *ibid.* — in concessione utendi Calend. Cleri Rom. *non includuntur Octavae propriae* huius Cleri, 620 — de Calend. pro quadam Eccl. parochiali. 621 — in Ecclesiis ab Ordinario *Ordini Regulari commissis*, Ordinis Calendarium est adhibendum, 651 — vide *Kalendarium*.

Campanae, pulsandae sunt in *accessu Episcopi Ordinarii ad Cathedr. Eccl.*, rei divinae peragendae causa, 194 — observanda a Visitatore circa Campanas Eccl., 677 — Campanae pulsari nequeunt *ob finem profanum*, 678.

Campanile, observanda a Visitatore circa Campanile Eccl., 676.

Candelae, de *ordine* candelas accendendi super altare, 645 — de candelis *a Clero gestandis* in processione SS. Sacramenti, 725.

Canonici in accessu Episc. Ordinarii ad Cathedr. Eccl., *praescriptiones Caeremonialis servent* pro Episcopo comitando, 194 — Canonici *si non induti habitu canonicali* choro intersunt, *extra Eccl. Cathedr.*, incensandi sunt ut *simplices Presbyteri*, 287.

Cantus, cum leguntur versus hymni « Gloria in excelsis » in Missa, organa *sequi non debent notas versus*, *qui legitur*, 274 — vide *Psalmus*.

Canutus (S), vide *Officia ad libitum.*

Cappellae in Eccl. *instruantur transennis*, aditu solummodo patefacto ad sacra obeunda, 650 — Religiosorum vel Seminariorum *Cappellae in Villis extantes iisdem privilegiis gaudent* ac eae, quae sunt in Conventu vel Seminario, 725.

Capsulae pro Eleemosynis, invisenda a Visitatore circa has Capsulas, 230.

Cerei, de *quatuor cereis* in Missa plana Cardinalium aut Episcoporum, 37 — vide *Anniversarium Dedic. Eccl.*

Cereus Paschalis sicut et *quinque grana incensi* possunt, sed *non debent singulis annis* renovari, 286.

Ceroferarii, de eorum loco in quibusdam functionibus, 624.

Charta, dedecet *chartam albam ponere super mappas altaris*, ne cera inquinentur, 109.

Chirothecae, chirothecis Episcopus *nonnisi in Pontificalibus uti potest*, 491.

Claves Ecclesiae, vide *Moniales.*

Clerici Missae privatae inservientes, de Clericorum consuetudinibus casus, 707 — est conveniens pro Clericis missis privatis inservientibus *usus cottae*, et Diaconi ad Sacram Synaxim *cum stola* accedere tenentur, 711 — male operantur Clerici *Missale in missa aperientes et disponentes*, vel *Calicem post Communionem aptantes*, 712 — reprobatur usus *planetam sustinendi* prout in casu, *ibid.* — Clericus quicumque *vices caeremoniarum Magistri* in Missa cum cantu agere potest *data necessitate*, 713 — quid in hypothesi ipsi agere in illa liceat, 714.

Coemeteria, de Coemeteriis veterum Christianorum, *quae Romae extant*, 3 — de *verbi Coemeterii* acceptione, 4 — tribus saeculis post Eccl. constitutionem *Coemeteria intra terrae viscera* effossa sunt, 5 — ad horum locorum horrorem temperandum, ad soli superficiem extabant *luminaria maiora et minora*, 6 — de *innumeris in cryptis ac cubiculis picturis* religionis nostrae Mysteria repraesentantibus, 8 — prima Romae Coemeteria effossa sunt *cura et impensa nobilium Matronarum*, *ibid.* — tempore persecutionum etiam Coemeteria *fisco addicta sunt*,

9 — cuniculis cryptisque effodiendis, *fossores christiani intenti erant*, *ibid.* — quo *ordine* fossores inferiora terrae effodiebant, *ibid.* — Christianorum cadavera *in cubiculis supra coemeteria* in sarcophagis inclusa sepeliebantur, 10 — plurimi *adhuc viventes* in Coemeteriis sibi tumulum parabant, 11 — fas non erat Christianis *defunctorum suorum corpora in paganorum sepulcro deponere*, *ibid.* — pleraque coemeteria *variis ordinibus superpositis* constant, 12 — post *annum 410* desiit mos in subterraneis coemeteriis cadavera deponendi, 13 — de coemeteriis Rom. Eccl. loquuntur *peregrinorum Itineraria*, *ibid.* — adnotantur Coemeteria Urbis, *Apostolorum Petri et Pauli aetate* effossa, 15 — de Coemeterio *Ostriano*, 76 — Coemeterium *maius dictum fuit* ratione antiquitatis, 77 — de singulari *Aula* quae inibi reperitur, *saeculum tertium* redolente, 78 — de altera Cathedra *topho excisa* et de eius *fine*, *ibid.* — picturae huius Coemeterii *multae sunt et praeclarae*, 80 — probatur huius Coemeteri vetustas, *ibid.* — de Coemeterio *Priscillae*, 81 — plurimae *Fidelium Martyrumque exuviae* hoc in Coemeterio conditae sunt, 82 — de Coemeterio *Novellae*, 83 — magnam vastationem passum est *sub Vithige*, 84 — in hoc Coemeterio *Christus Pastor in persona Orphaei Cytharaedi* inspicitur, *ibid.* — de Coemeterio *Callixti*, 203 — per *quatuor circiter saecula* Christianorom exuvias Coemeterium hoc sinu suo excepit, 204 — Pontifices Rom. recensentur in eo depositi, *ibid.* — S. Damasi *Carmen*, quo loci sanctitas ac veneranda omnium ordinum sepulcra expressit, 205 — de Eccl. B. Xisti aedificata *supra Cryptam Papalem* saeculo III, 206 — de Cubiculis *a Sacramentis nuncupatis* et de eorum picturis, *ibid.* — de Coemeterio *Praetextati*, 363 — *ignotus est* vir Praetextatus, a quo Coemeterium sumpsit nomen, 364 — duobus ordinibus *uno alteri superposito* hoc Coemeterium constat, *ibid.* — multis *cubiculis*, *hypogeis*, *arcosoliis* et *cuniculis* constat, 365 — Martyr illustrior huius Coemeterii *Ianuarius est filius natu maior S. Felicitatis*, *ibid.*

— ignotus est locus in spelunca magna locus, ubi depositus est *Urbanus Episcopus et Martyr* persaepe cum Urbano I Papa confusus, 366 — de *Sarcophago Postumii Quieti* Viri Clarissimi, *ibid.* — de Coemeterio *Domitillae*, 367 — Flaviorum gens Reate oriunda *Christianam Religionem amplexa est* saeculo primo, *ibid.* — de introitu ad Flaviorum hypogeum et de eius picturis, 368 — inter clariora cubicula huius coemeterii *recordatur illud Ampliati*, *ibid.* — de huius coemeterii picturis, 369 — Martyres plurimi inter quos *Nereus et Achilleus* in Domitillae coemeterio conditi fuere, 370 — de Coemeterio *S. Sebastiani seu ad Catacumbas*, 371 — distinguendum est coemeterium *S. Sebastiani* a cometerio *Callixti*, 372 — Damasus supra coemeterium *Basilicam D. Sebastiano aedificavit*, 373 — de pictura *cuiusdam arcosolii* huius coemeterii, 374 — de *Oratoriis*, *sepulcris* etc. aedificatis supra aream coemeterii huius, *ibid.* — errores in quibusdam inscriptionibus *parietibus Eccl. S Sebastiani affixis*, *ibid.* — de Coemeterio *SS. Petri et Marcellini*, 455 — in huius loculis *plurimi Martyres* depositi sunt, *ibid.* — de *SS. Quatuor Coronatis*, 456 — quo *tempore* et *loco* passi sint Petrus et Marcellinus, 457 — de pluribus appellationibus huius Coemeterii, *ibid.* — Constantinus Magnus supra coemeterium *Basilicam condidit*, 458 — de eiusdem coemeterii picturis, *ibid.* — de Coemeterio *B. Agnetis*, 461 — Liberius Papa *in hoc coemeterio habitavit*, 462 — Constantinus *Basilicam saeculo IV supra Martyris corpus* condidit, *ibid.* — hoc coemeterium multis constat *cubiculis* et *ambulacris subterraneis*, *ibid.* — omnium nobilissimum est *Sepulcrum S. Agnetis*, 463 — Damasus hoc Sepulchrum *nobili carmine illustravit*, *ibid.* — de *tempore* passionis B. Agnetis, 464 — illustris admodum est *in tota Eccl.* memoria Eius, 465 — de Monasterio *Ancillarum Dei* a saeculo IV. *prope tumbam Beatae* aedificato, *ibid.* — Coemeteria Minora in *Via Salaria Vatere*, 535 — Coemeterium *S. Pamphili*, *ibid.* — Coemeterium *S. Hermetis*, 536 — S. Damasus sepulcrum

Ss. Proti et Hyacinti *duplici carmine* ornavit, 536 — hi fratres *igne* martyrium subiere, 537 — Epithaphia multa ex hoc coemeterio eruta sunt, *ibid.* — Coemeterium *ad Septem Columbas, ibid.* — In via *Salaria nova*, Coemeterium *S. Felicitatis M.*, 538 — nuper effossa est *crypta S. Felicitatis et Silani*, 540 — in hoc coemeterio *depositus est S. Bonifacius Pont.* huius nominis *primus*, 541 — Coemeterium *Thrasonis, ibid.* — quamplures Martyres coemeterium hoc suo excepit sinu, inter quos *Chrysantum et Dariam*, 542 — *Mirabile factum in hoc coemeterio accidit anno II* post martyrium SS. Chrysanti et Dariae, *ibid.* — supra coemeterium *Basilicae ad honorem Martyrum* extiterunt, 543 — multa epitaphia *in Arenario* inventa sunt, 544 — Coemeterium *Iordanorum ibid.* — In via *Nomentana Coemeterium S. Nicomedis* extat, *ibid.* — huius coemeterii origo *saeculo II vel certe III* assignatur, *ibid.* — ad soli superficiem *Basilica S. Nicom.*, extabat, 545 — Coemeteria *Minora* in via *Tiburtina*, 578 — Coemeterium *Cyriacae in Agro Verano* effossum, *ibid.* — celeberrimus Martyr Eccl. Rom. *Levita Laurentius prope Cyriacam* sepultus est, *ibid.* — insignes picturae huius coemeterii *fere omnes perierunt*, 579 — inscriptiones multae coemeterii Cyriacae *in musaeo ad Lateranum* servantur, *ibid.* — in aperta area coemeterii *duae Basilicae aedificatae sunt* D. Laurentio, *ibid.* — recensentur Pontifices sepulti in confessione *iuxta Corpus B. Laurentii*, 580 — iuxta Basilicam *oratoria extabant* Martyribus dicata, 581 — celebriora sepulchra, quae in *Agro Verano* olim videbantur, *ibid.* — Coemeterium *S. Hippolyti*, 582 — Damasus ad sepulcrum Martyris carmen apposuit, *ibid.* — de *quonam Hippolyto loquatur* in carmine, *ibid.* — alii eiusdem coemeterii Martyres, 583 — Basilica supra coemeterium extitit, 584 — In via *Labicana* extat coemeterium *S. Castuli, ibid.* — In via *Latina* coemeterium *SS. Gordiani et Epimachi*, 585 — Coemeterium *Apronianum* seu *S. Eugeniae*, 586 —

Coemeterium *Tertullini*, 587 — In via *Ardeatina* coemeterium *Basilei, ibid.*

Coemeterium, benedicto coemeterio *censenda non est benedicta Ecclesia adnexa* et viceversa, 194.

Collecta pro gratiarum actione dici potest *etiam cum cessat Collecta pro Papa*, 111 — de Collectis in benedictione cum Sacramento, 352, 448.

Color in Commem. Omnium SS. Roman. Pontificum *debet esse rubens*, 109 — Religiosi exempti vel Ordinario subiecti, vi privilegii *colore caeruleo* pro *Missis Immac. Conc.* in *paramentis uti possunt* in suis Ecclesiis *contentis in dioec. Arequipae*, 498 — idem color adhiberi potest in dicecesibus, quibus concessum est privilegium, *et in festis Apparitionis et Manifestationis* eiusdem Imm. Deiparae, 499 — vide *Innocentes.*

Commemorationes, quae faciendae sunt ratione concomitantiae, *quamcumque aliam praecedunt*, 62 — de Commemorationibus in quibusdam *festis maioribus*, 92 — de Commem. in festis *secundi ordinis*, 150 — de Commem. *Dominicarum*, *feriarum*, *festorum*, *Octavarum* etc., 329 — *Tabella Commem.* in primis Vesperis, 481 — in Laudibus, 482 — in secundis Vesperis, 483 — *notanda* ad Tabellas, 484 — *quomodo* fiant Commemorationes, 485 — continuatio, 464 — continuatio, 601 — de nona lectione *quando fit Commem. Dominicae vel Feriae*, 605 — Commem. SS. Sacramenti, ob *identitatem Mysterii*, solummodo *omittenda est* in festis *Passionis*, *Crucis* etc., 528 — infra octavam Epiph. *fieri potest commem. de alia Octava* et *die infra Oct.*, 616 — vide *SSmum Sacramentum.*

Commemoratio S. Pauli Ap. quoties impeditur, non gaudet privilegio translationis *super alia officia duplicia maiora translata*, 518.

Communio dari nequit intra Missam infirmis *in eorum cellulis*, 33 — Sacerdos in Communione danda *curet ne tangat labia* aut *faciem* communicandorum, 34 — de Communione *ante, infra et post missam* fidelibus danda, 168 — vide *Conclusiones Orationum.*

Concio quoties in Missa solemni habeatur, non est incongruum si Ministri et ipse Celebrans *concionatoris salutationi respondeant*, 39.

Conclusiones Orationum in *Missa et Officio semper esse debent longiores*, *extra* Officium et Missam *breviores*, modo aliter in codicibus non habeatur, 35 — conclusio Orationis « Deus qui nobis » post datam communionem *longior dicatur*, *ibid.* — de verbo « eiusdem » in conclusione Orationum, in quibus *facta est mentio de Spiritu Sancto*, 615.

Concurrentia, festo semiduplici et officio vot. concurrentibus, *Vesperae erunt de festo cum commem. off. vot.*, 110 — in concurr. festi *S. Familiae* et *Desponsationis*, Vesperae erunt *de S. Familia*, 111 — de concurr. officiorum ritus dupl. *infra oct. Nativ.*, 279 — de concurr. diei oct. cum festo ritus *dupl. min.*, 280 — de concurr. duorum dupl. min. *primariorum*, 572 — de concurr. inter off. vot. et Dominicam sequentem, 282 — de concurr. inter *Titulum Eccl. Cathedr.* et *Patronum Provinciae*, 342 — in concurr. officiorum votiv. *Vesperae erunt dividendae*, 429 — de quodam occurr. casu *circa festum S. Joann. Bapt.*, 685 — de concurr. *SS. Cyrilli et Methodii* cum primis Vesp. *diei Oct. Apostolorum*, 686 — de concurr. *S. Barnabae* cum *S. M. Magd.*, *ibid.* — de quadam concurrentia die 2.ª Ian. pro Senogallia et Gallia, 699 — vide *Festum Titularis.*

Concursus, vide *Concurrentia.*

Conformitas Missae cum officio, vide *Missa.*

Confraternitates, quaesita varia circa Confraternitatum erectionem, 653.

Congregatio Presbyterorum SS. Sacramenti, vide *Sacramentum.*

Consecratio Ecclesiae, valide sed non licite consecrata habenda est Ecclesia, in cuius consecratione *omissa fuit consecratio altaris*, 513 — Ecclesia consecrata remanet, quamvis in eius parietibus *opus tectorium sit renovatum. ibid.* — non potest *valide ac licite* consecrari Altare *enormiter fractum quamvis coementatum*, aut *ex pluribus lapidibus* efformatum, *ibid.* — de consecratione cuiusdam Eccl., 687.

Cor Iesu, Solemnitas SS. Cordis Iesu *iuxta regulas ceteris Solemnitatibus communes* peragi nequit, nisi sit festum *de praecepto*, 67 — vide *Octava.*

Coronae mortuariae, in parietibus Eccl. vel publici Oratorii *suspendi nequeunt* ut *inibi maneant*, 362.

Corpus Christi, de festis permissis *infra Oct. Corp. Christi*, 115 — de infra Oct. Corp. Christi *in festo dupl. mai.*, 117.

Credo, de Rubrica « Et dicitur Credo » expungenda in Missa *S. Ladislai* pro *Hungaria*, 527 — vide *Gloria in excelsis.*

Crux, de signo S. Crucis, 136 — variae *formae* Crucis, 137 — de Eius *cultu* et *honore*, 141 — Crucis almae cultus *est admodum propagatus*, cum libertas Eccl. concessa est per edictum *Constantini*, *Licinii* ac *Theodosii*, 144 — iam a saeculo IV *veluti fons salutis habebatur* pro hominibus et pro animantibus, cum morbo laborarent, 145 — de honore a *S. Paulino Nolano Episcopo* Cruci tributo, *ibid.* — de *columbis insculptis* in linea transversa Crucis, 146 — Crux solemniter adhibita est in *oblationibus* donorum vel voti solutione, 147 — de Crucis usu, 148 — de *duabus Crucibus* in processione, 423 — de Cruce in *frontispiciis aedium sacrarum*, 675.

Crypta, vide *Benedictio*, *Coemeteria.*

Cyrillus (SS) et Methodius, vide *Vesperae*, *Concurrentia.*

D

Damasus (S), de concursu inter *S. Damasum* et *diem infra Oct.* Imm. Conc. Deiparae, 119.

Decretum, de Litaniarum recentissimi Decreti inscripta die, 274.

Dedicatio, festum Dedic. Basilicarum SS. Petri et Pauli Apost. *si perpetuo impediatur in Calendario dioecesano*, de speciali gratia reponatur *prima die a dupl. min. libera*, et festum *semid. fiat simplex*, 134 — de off. Dedic. omnium Ecclesiarum *pro Regularibus* Belgii et Galliae, 532 — de sensu verborum « alicui Ecclesiae adscriptus » quoad

officia *Dedic.* et *Titularis*, 438 — festa *Dedic.* et *Titul.* extra ipsam Eccl. et *Dedic. omnium Ecclesiarum*, pro non consecratis, *uti secundaria sunt habenda*, 495 — Dedic. Octava in concursu cum dupl. min. atque etiam mai. *integras Vesperas sibi vindicat*, si agatur de Dedic. Eccl. *propriae*, 700 — pro Dedicatione Basilicae SS. Salvatoris vide *Titularis* — vide *Anniversarium Dedic. Eccl.*

Desponsatio, vide *Concurrentia*, *Occurentia.*

De profundis, in anniversariis aliisque diebus etsi totum officium Defunct. ritu dupl. recitetur, *omitti nequit*, 72.

Dies festus, vide *Titularis.*

Dies infra Octavam cedere debent in concursu *cuicumque semiduplici*, 573 — de concursu dierum infra octavam, 59 — vide *Octava Titularis.*

Dies natalitia, vel **Quasi natalitia**, quid significat dies *quasi natalitia*, et *quousque extendatur*, 54 — vide *Titularis.*

Dies solemnes quinam sunt habendi, ut tales *iuxta Caeremoniale* pro processione Cleri ad *Vesperas* et *Missas precedentis*, 649.

Dies solemniores pro Missa in Oratoriis privatis, 289.

Dominica, vide *Commemoratio.*

Dominica in Albis, vide *Missa cum cantu.*

Dominus vobiscum non est dicendum ante orationem « Deus qui nobis » ad benedictionem cum Venerabili, 108 — neque ante orationem B. M. V. quando functio *cum benedictione absolvitur*, 496.

Doxologia, in 1.is et 2.is Vesp. *semper propria dicitur* si officium ad quod pertinet, saltem *commemoratione gaudeat*, 439 — de doxologia in concurr. officiorum votiv. *SS. Euch. ac Passionis*, et *Passionis* cum *off. Imm. Conc.*, 723.

Duplex, de duplicibus occurentibus in die octava, 85 — vide *Commemoratio*, *Concurrentia*, *Occurrentia.*

Duplex minus, vide *Titularis.*

E

Ecclesia, de nova Eccl. super antiquam cryptam, *quarum diversus est* Titulus, 117.

Eleemosyna, Sacerdos in exequiis persolvendis Missam celebrans, non recepto stipendio, Sacrificium applicare potest *pro aliis petentibus* et *eleemosynam offerentibus*, 292.

Evangelium, de *benedictionis loco* ante Evangelium in Missa, 336.

Expositio, discrimen inter Expositionem *publicam* et *privatam*, 280 — de quibusdam *peculiaribus consuetudinibus* in Expositione et Repositione SS. Sacram. in Ostensorio, 348.

F

Familia Sacra, vide *Concurrentia*, *Occurentia.*

Fenestrae, invisenda a Visitatore circa fenestras Ecclesiae, 506.

Feretrum, vide *Tumulus.*

Feria, vide *Commemoratio.*

Festum, in dioecesi Basileensi festum *SS. Sigismundi et Soc.* Dominicae II post Pascha affixum, quoties impeditur *penitus omittatur*, 199 — festum *extra diem suam assignatum* ob perpetuum impedimentum, *hoc cessante*, diei suae restitui debet, 516 — in festis secundariis *dignitas personalis* attendenda est in *concurrentia*, quando *quoad ritum et reliqua* aequalia sunt, *ibid.* — in occurrentia diei festi fixi cum festo mobili, ceteris paribus, *praecedentia competit festo diei affixo*, *ibid.* — festum *S. Barnabae Ap.* translatum, est celebrandum iuxta ordinem temporis *ante alia festa eiusdem ritus*, *ibid.* — occurrente festo *primario et immobili* cum festo *secundario et mobili*, ut in casu, praecedentia *competit primario*, *ibid.* — Officia particularia Dominicis aut feriis affixa ex indulto transferenda, si impediantur, in *primam diem liberam* tanquam in *sedem propriam* transferri debent, *ibid.* —

de iisdem officiis, 529 — festum classicum particulare v. gr. *Titul.* aut *Patroni* occurrens infra *Oct. privilegiatam*, transferri nequit *absque speciali Indulto S. Sedis*, 527 — de quodam festo in die suo recolendo, 491 — de aliquorum festorum *die mutanda* in anno bissextili, 493 — ex duobus festis primariis aut secundariis *eiusdem ritus et classis*, praecedentia competit *digniori:* in *paritate* dignitatis competit festo *diei mensis affixo*, 134 — festa Dominicis et feriis affixa *in primam diem liberam* transferenda sunt, 702 — vide *Concurrentia*, *Corpus Christi*, *Occurrentia*, *Officium*, *Reliquiae*, *Ritus*.

Festa primaria vel secundaria, vide *Festum*.

Fidelium Deus, de oratione, « Fidelium » in missa feriali *occurrente fer. II hebdomadae* cum *prima die* libera mensis, 724.

Frontispicium, observanda a Visitatore circa *frontispicia* Sacrarum Aedium, 674.

G

Genuflexio, quomodo se gerere debeat quoad genuflexiones, qui *SS. Sacramentum solemniter exponit*, 109 — ad stropham « O Crux » in hymno « Vexilla » genuflectendum est in festis *Invent.* et *Exaltat* S. Crucis, 111 — de genuflexione ad *Confessionem* et *benedictionem* in Missa, 649 — genuflexio a Celebrante fieri recte potest ad verba « Adiuva nos » Emisit spiritum « Veni S. Spiritus » dum cantantur in choro, 644 — de supposita *incohaerentia* inter *Caeremoniale Episcop.* et *Ephemerides*, quoad Canonicorum genuflexionem *ad Circulum*, 646 — vide *Vigilia Imm. Conc.*

Gloria in excelsis, Caecus facultatem habens Missam de B. M. V. faciendi, *Gloria* et *Credo* semper omittere debet *sub unica tantum ac limitata exceptione*, 431 — vide *Cantus*.

Grana incensi, vide *Cereus Paschalis*.

H

Hymni, vel preces *lingua vernacula compositi* de consensu Ordinarii intra Missam privatam *cani possunt*, non vero *intra Missam solemnem* sive cantatam, 131 — hymni *Dominica III Adv. infra Oct. Imm. Conc. B. M. V.* concludi debent « Jesu tibi sit gloria » et pro Responsorio brevi ad Primam dicendum est « Qui natus es » 528.

I

Ieiunium ecclesiasticum, de usu *iusculi carnis* in collatione, 444 — plura quaesita circa Decretum « Cum recenter » Supremae S. Officii Congr. quo fit facultas Ordinariis *anticipandi vel dispensandi* super ieiunii et abstinentiae lege, *ibid.* — vide *Butyrum.*

Imagines, vide *Processiones*, *Via Crucis.*

Immaculata Conceptio B. M. V., vide *Officia Votiva.*

Incensum, vide *Cereus Paschalis.*

Inclinatio, Stationis titulus non est ratio sufficiens, ut *ad relativum nomen in Canone* inclinetur caput, 111 — de inclinatione Celebrantis in Missa, *dum a se Missale transfert*, 432.

Indulgentia Plenaria, quam lucrantur Christifideles *benedictionem nomine Summi Pontificis recipientes*, illam eam lucratur et Episcopus illam impertiens, 655.

Innocentes (SS), ubi sunt *Patroni vel Titulares* dici potest « *Te Deum* » in Officio, et in Missis *adhiberi rubeus color*, 622.

Insignia Canonicalia, intra propriam Eccl. *etiam non collegialiter*, extra *nonnisi capitulariter* adhiberi possunt, 650 — de *sensu cuiusdam privilegii* circa haec insignia, 499.

Inventio S. Stephani Prot. si ad instar simplicis officium sit redigendum, pro secunda lectione *duae primae tantum recitantur*, 572.

Invitatorium, in Dominicis Septuagesimae etc. verba Rubricae *pro repetitione Invitatorii* intelligenda sunt ut Chorus semel repetat, 434.

Ioanna (B) Valesia, de titulo *Viduae* B. Ioannae attributo, 341.

Ioannes (S) Eleemosynarius, supprimendum est nomen *Eleemosynarii* in ejus oratione, 527.

Ioannes (S) Evangelista, vide *S. Stephanus.*

Ioannes (B) Gabriel Perboyre, vide *S. Vincentius a Paulo.*

Ioannes (S) Nepomucenus, de die natalitia *S. Ioannis Nep.* et *S. Ubaldi*, 439.

Iura parochialia, in delatione cadaveris *stolam deferre* spectat ad Parochum, 284 — praecedentia *non competit Parocho* super Capitulo Cathedr. Eccl., 284.

K

Kalendarium, specimen Kalendarii universalis Eccl. pro anno Dñi 1897, 319.

Kyrie eleison, in missa cum cantu *in cornu Epistolae* recitandum est, 647.

L

Lectiones secundi Noct die octava alicuius Sancti, *deficiente octavario*, sumi debent *de die festo*, 67 — de 9.ª lectione in festo *Nativ. B. M. V. Eccl. Titul.*, 434 — in officio novem lectionum si fiat commem. de festo trium lectionum, *nona lectio legitur de festo trium lectionum*, 657 — vide *Commemoratio.*

Litaniae, Missae assistentes, litanias pro privata recitatione permissas recitantes, *non refragantur decr. S. R. C.* expedito die 15ª Ian. 1895, 724.

Litaniae Maiores repetendae non sunt *si processio fieri nequeat extra Ecclesiam*, 692 — vide *Missa cum cantu, Missa Rogationum.*

Lourdes, quando loca sacra B. M. V. de Lourdes considerari possint ut *publica Oratoria*, 573.

M

Manipulus, de manipulo a Subdiacono accipiendo in Sabb. Sancto, 613.

Manus sinistra quomodo tenenda a Sacerdote in *benedictionibus ad altare*, 609.

Marcus (S), de festo S. Marci in *Dominica in Albis* occurrente, 180, 285 in nota — de quadam *repositione* S. Marci Ev., 702.

Maria (B.) Virgo de Bono Consilio, vide *Occurrentia*.

Martyrologium, quomodo praenuntianda festa Sanctorum *a die vere natalitia* translata, 621.

Matutinum si a Laudibus separetur, *cum Oratione officii diei absolvitur*, 109.

Matutinum Tenebrarum, quinam iuxta Caeremoniale ad *Lamentationes et lectiones canendas teneantur*, 651.

Mauritius (S), Eius festum pro dioecesibus Pedemontanis *tanquam primarium* habendum est, 134.

Minister, super *unico Ministro* in missa privata, 35 — praxis, qua Ministri sacri Celebrantem adiuvant dum sacras vestes induit, *est maximopere laudabilis*, 39 — vide *Concio.*

Miserere, qua *voce recitandum* in Triduo Sacro post *Pater noster*, 611.

Missa, decreti Urbis et Orbis a S. P. Leone XIII *de conformitate Missae* cum officio explanatio, 16 — Celebrans, iuxta Regulam generalem exhibitam in Decreto, *quamcumque Missam Officio Eccl. conformare tenetur*, *ibid.* — quare Rubricae, cum Missam quotidie secundum ordinem Officii exigunt, non dicant *an cum Celebrantis officio* an *Ecclesiae* convenire debeat, 17 — momenta, quae S. R. Tribunal ad mutationem antiqui principii, *aliudque per praesens Decr. statuendum* inducere potuerunt, 18 — Sacerdotes Tertiarii impraesentiarum *tenentur et ipsi ad Missam conformem Off. Ecclesiae faciendam*, 21 — Decr. extenditur *etiam ad Missas Regularium proprias*, 22 — ritus nihilominus Regularium proprii *ad-*

huc manent vetiti, ibid. — nec interest si Missa sit de aliquo ex nondum canonizatis, *dummodo Ecclesiae sit indulta*, 23 — haec norma conformitatis non tenet *quando ritus semiduplicis vel inferioris officium* in Eccl. agitur, *ibid.* — haec dispositio etiam *Oratoria publica* respicit, 24 — dicta conformitas secum fert ut Celebrans *in omnibus et per omnia* Ecclesiae vel Oratorii officio se conformet, 25 — illationes quaedam, *ibid.* — quando ritus alienae Eccl. permittit Missas *de Requie* et *votivas*, Missa, quam Sacerdos officio conformem celebrat, *est festiva*, 200 — missa in aliena Eccl. *cum off. eiusdem Eccl. convenire debet*, 126, 192, 443, 490 — Missae, quae dicuntur in cappellis Episcoporum, Seminariorum etc. Calendario loci conformari debent *si agatur de principali Cappella*, 362 — de Sacerdotibus, celebrantibus in Eccl. et Oratoriis Monialium, *chorale officium habentibus*, 521 — norma pro celebranda missa in Eccl. aliena evulgata per Decr. Urbis et Orbis diei 9.ae Decembris 1895, *nullam patitur exceptionem*, 525, 703 — de Missa iuxta Calendarium concessum Monialibus *Officium divinum non recitantibus*, 638 — de *Missae qualitate* in Oratorio cuiusdam Communitatis, 639 — de Missa *in Eccl. parochiali non propria*, conformi Calendario loci, 696 — de Missis privatis in *Cappellis Puellarum a Caritate dictarum*, 703 — de *Missa de festo* praesente cadavere, 497.

Missa Conventualis vel Parochialis, quando S. R. C. *indulget Missam solemnem vel etiam Missas lectas* in aliqua extrinseca festivitate, in Ecclesiis Officium chorale habentibus, facienda est *Missa Conventualis officio diei respondens*, et Missa Parochialis, *si pro populo applicanda est*, debet esse *conformis officio diei*, 193 — subsistit obligatio Parochorum *Missam pro populo applicandi die*, qua celebratur officium transferendae vel translatae solemnitatis, 196 — Missae Communitatis appellatae in Seminariis *non sunt conventuales*, 434 — vide *Officium*.

Missa coram SS. Sacramento, in Missa *coram Sacramento exposito* a Sacerdote *non est signandum* Altare, 30 — Missa

pro Oratione quadraginta horarum infra Oct. Corp. Chr. dicenda est cum *Sequentia sine commem. et collectis*, si Exposito fiat iuxta Instr. Clementinam, 110.

Missa cum Cantu, Missa Solemnis, plures Missae *de eodem Sancto vel Mysterio in eadem Eccl.* non sunt prohibitae, si *ante vel post absolutum officium chorale* concinantur, 523, 702 — de unica missa cantata in occursu *Dominicae in Albis* cum *Litaniis Maioribus*, 574 — Missa solemnis de Titularis vel alio festo cum concursu populi celebranda, si occurrat et transferri debeat, *quibus diebus impediatur*, 441 — de Missa cum cantu de Sancto *ob impedimentum transferendo*, 620.

Missa de Requie cum vel sine cantu, Missae, quae in Sacello sepulchreti celebrari permittuntur, *possunt esse de Requie* quibusdam exceptis diebus, 454 — quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis Missae privatae *de Requie*, insepulto vel etiam sepulto *non ultra biduum cadavere*, fieri possunt *die obitus* aut *depositionis*, *ibid.* — 700, 701 — de Missa *de Requie prima die mensis* dicenda, 619 — applicatio Missae *de Requie* iuxta Decr. « Aucto » *libera esse potest* 637 — Missae *de Requie* tam privatae quam solemnes *quando impediantur*, 126, 186, 189, 191, 440 — Missa exequialis impedita *remitti potest nunc uti antea Decr.* 13 Febr. 1892, 174 — de *missa lecta in die Obitus* occurrente semiduplici, 435 — privilegium celebrandi Missas *de Requie* in Sacellis sepulcretorum *extendi nequit ad Coemeteriorum Ecclesias*, 680 — plures Missae privatae permittuntur ex Decr. Gen. circa Missas *de Requie die sepulturae* alicuius defuncti, 682 — non permittuntur in Ecclesiis et Oratoriis, *quae nullam dicunt relationem cum defuncto*, 683.

Missa Elect. et Consecr. Ep. et Creationis et Coronat. S. Pontificis *post Nonam* dicenda est aut *post Missam de feria*, 575.

Missa ferialis, de Missis feriarum maiorum, 525.

Missa in Oratoriis privatis, quando impediatur 126, 443 — prohibitio celebrandi Missam in Oratoriis privatis et Missam exequialem praesente corpore *non subsistit die*,

qua celebratur officium *transferendae vel translatae solemnitatis*, 196 — adnotatio, 201.

Missale, Sacerdotis est *Missale aperire* in Missa, 37.

Missa Rogationum in die S. Marci *legi potest* et in ea fieri debet *commem. S. Marci*, 527 — in Missa Rogationum, quae fer. IV. Rogationum unica in eadem Eccl. celebratur cum commem. festi occurr., *nihil fieri debet de Vigilia*, *ibid.*

Missa SS. Rosarii B. M. V. celebrari nequit *ut votiva*, 524.

Missa Votiva, Indultum S. R. C. circa *missam propriam votivam S. Francisci celebrandam in Sacello Portiunculae* etc. a Sacerdotibus peregrinantibus, 356 — Missa votiva tam solemnis quam privata *quando impediatur*, 126, 440 — Missa votiva Solemnis *de Patrono transferendo* decantari non licet in Dominica *Passionis*, *in Albis* et *SS. Trinitatis*, 526 — Missa votiva licet solemnis *per se nullo privilegio gaudet*, 702 — vide *Praefatio*.

Missa Votiva pro Sponsis quando impediatur, 126, 186, 441.

Modulationes a Celebrante in Missa cantata exequendae cum responsionibus pro Choro *prouti iacent in Missali* ex praecepto sunt exequendae, 198 — non est abrogatum privilegium Hispanis concessum Missas Solemnes *iuxta Eccl. Toletanae formam* decantandi, 358.

Moniales, Sacerdos Saecularis cum Sacramenta Monialibus Cisterciensibus, administrat *Rituale Rom. sequi debet*, 359 — etiam in translatione cadaverum Monialium *servandum est Rituale et Missale Rom.*, *dummodo lex clausurae non violetur*, 360 — Monialium Parochus *est earumdem Confessarius*, 650 — Sacrum Oleum infirmorum in *loco nitido et decenter ornato* servari debet, *ibid.* — Claves Eccl. *custodiantur a Cappellano* eiusdem curam habente, *ibid.*

Munditia, observanda a Visitatore circa Ecclesiae *munditiam*, 560.

Mysteria D. N. I. C. designari possunt ut Titularia Ecclesiarum, 574.

N

Nativitas B. M. V. vide *S. Adrianus.*

Naves Ecclesiae, invisenda a Visitatore *circa naves Eccl.* earumque *capacitatem*, 558.

Nipis, tela vulgo *Nipis* pro Sacris Utensilibus S. R. C. *sapienter exclusit*, 290.

Numisma, Ritus benedictionis et impositionis *S. Numismatis* Imm. Virg. Mariae, 73.

O

Occurrentia, de quorumdam festorum occurrentia, 52 — de occurr. festi *B. M. V. de Bono Consilio* cum festo *Patrocinii S. Joseph* Dom. III post Pascha, 233 — quodnam ex istis duobus festis praelationem habere debeat, *ibid.* — quid iuxta Decr. S. R. C. et veteres Rubricistas intelligatur per festum *praeceptivum* et *facultativum*, 236 — de officiis *ex privilegio*, 237 — ab anno 1730 officia *ex privilegio* semel acceptata ab Episcopis, *ipso facto de praecepto evadunt*, 241 — deductiones ex enunciato principio *quoad occurrentiam*, 242 — deductiones quoad *translationem*, 245 — quaenam sit doctrina Gardellini *circa festa praeceptiva et facultativa*, 248 — quid *Cl. de Herdt* circa hanc quaestionem doceat, 251 — utrum festum *B. M. V. de Bono Consilio* sit *facultativum* an *praeceptivum*, 254 — in occurrentia dignitas personalis in festis secundariis *non constituit titulum praeferentiae*, 295 — festa mobilia *in paritate ritus et qualitatis festi* in occurrentia *cedere non debent festis immobilibus*, si *extrinsece solemnius* celebrentur, 397 — festum Patrocinii in casu praesenti *solemnitate extrinseca pollet*, ideoque bene *praeferentia gaudet.* 410 — vide Mendum erroris typographici, 512 — de occurr. dupl. 1.ª cl. particularis *in diebus infra Oct.* Paschae et Pentecostes, 573 — de quorumdam festorum occurrentia, 52, 339 — de occursu

Desponsationis Deiparae et *S. Familiae*, 488, 495 — vide *Festum*, *Titularis*.

Octava, dies infra Octavam quamcumque *ut secundarii habendi sunt*, et cedunt cuicumque semidupl. occurr., 133 — dies Octava *primaria vel secundaria est*, prouti festum, *ibid.* — privilegium, quod Rubricae Generales Brev. Rom. tribuunt Octavis festorum Dñi et Deiparae, intelligendum est *de solis Octavis ad festa primaria pertinentibus*, 361 — dies Octavi festorum primariorum *Archangelorum*, *S. Joann. Bapt.*, *S. Joseph et Apostolorum* iudicandi sunt *digniores in ordine ad praelationem*, *ibid.* — ubi festum *SS. Cordis Jesu* vel *Purissimi Cordis B. M. V.* est titulus Eccl., utriusque Octava *postponenda est* Octavis *SS. Joan. Bapt. et Apost. Petri et Pauli*, 518 — Octava SS. Apost. Petri et Pauli concurrens cum dupl. min. primario *integras habet Vesperas*, 572 — vide *S. Stephanus, Calendarium, Commemoratio, Concurrentia, Occurrentia*, *Praelatio*, *Rubrica*, *Titularis*.

Officia ad libitum, quaenam dicantur, 437 — de off. S. Canuti *absolute suppresso* in quibusdam Calendariis, *ibid.* vide *Officium votivum.*

Officium, officii recitatio privata *tempore Missa Conventualis* toleratur, 276 — de novo officio alicui diei assignato a S. Sede, 529 — in particularibus Calendariis Ordinis Min. Capuccin. *diei 1 Dec.*, quae libera est in Calend. Univers. Ord., *fixe apponi potest* officium sua die impeditum, 517 — apponi potest *diei 30ae Dec. fixe* Officium *perpetuo impeditum* per annum *de consensu Ordinarii*, si agatur de duplici, 520 — non omnia indiscriminatim officia Dominicis vel feriis affixa, si impedita, *translationis iure privantur*, 690 — vide *Missas*, *Concurrentia.*

Officium defunctorum, in defunctorum Officiis, quae infra annum peraguntur, *semper servandae sunt Rubricae*, 131 vide *Officium parvum* B. M. V.

Officium parvum B. M. V., de officiis *parvo B. M. V.* et *defunctorum* recitandis in die *Dominicae anticipatae*, 56. — officii parvi B. M. Virginis translatio in vernaculam

linguam fieri potest auctoritate Ordinarii, 705 — edi idem officium translatum potest, sed tantum pro recitatione privata, *ibid.*

Officium votivum, officia votiva semel in mense concessa *peragi nequeunt infra oct. non privilegiatas*, 357 — omitti potest non autem transferri officium ad libitum *ut recitetur officium votivum semel in mense concessum,* 358 — officiis votivis inter se concurrentibus *Vesperae dividi semper debent*, 360 — de officii vot. recitandi libertate pro *Canonicis ad quotidianum chorum non adstrictis*, 183 — officio cum vot. Imm. *an recitari valeat ritu dupl.*, 435, — de diebus vetitis *pro off. vot.* etiam in dupl. mai. indulto, 635 — vide *Concurrentia.*

Olea Sacra, Parochus si ob impedimentum nondum recepit nova Olea Sacra *fontem benedicat absque Oleorum infusione*, quae *privatim* opportuno tempore fiet; quod si aliquem baptizare debeat, *tunc in ipsa solemni benedictione Olea vetera infundat*, 130 — pro Oleo infirmorum vide *Moniales.*

Orationes, de *Orationibus* in Missis Defunctorum, 522 — de *tertia oratione* dicenda ad *libitum Sacerdotis*, *ibid.* — de *tertia oratione* in missa vot. Imm. Conc., 179 — vide *Conclusiones Orationum.*

Oratoria Episcoporum, Fideles omnes Missam audientes in Oratoriis Episc. quoties opus fuerit, *praeceptum Eccl. adimplent,* 452.

Oratoria privata, de Oratoriis privatis casus, 41 — quid veniat *nomine Oratorii*, 43 — discrimen inter *Oratorium publicum* et *privatum,* 46 — discrimen inter *Oratorium privatum* et *Altare portatile*, 47 — Ius facultatem Oratorii privati concedendi *exclusive reservatur Summo Pontifici*, 49 — Ecclesia hanc facultatem *recens Episcopis adseruit*, si magnae et urgentes adsint causae, idque *per modum actus* tantummodo, 50 — quid dicendum de singulis in casu propositis, *ibid.* — *Casus alius*, 95 — num *vetus sit in Ecclesia usus* Oratoriorum privatorum, 97 — ante evulgationem Decretorum Tridentinae Synodi; *ius*

erigendi Oratorium privatum, Episcopis, Monachis, Regibus etiam datum fuit, 102 — post Concilium Trid. *de regula ordinaria iureque communi* facultatem huius permissionis concedendae *Sancta Sedes sibi reservavit*, 103 — Conditiones *ab apostolicis indultis* in Oratoriorum domesticorum erectione requisitae, 105 — iudicium de consuetudine in casu proposita, 106 — *alius Casus*, 156 — de *limitibus* sub quibus concessio Oratorii privati coarctatur *quoad locum, num extra domum transferri queat, ibid.* — an possit privilegiatus uti indulto domestici Oratorii *extra Civitatem vel Dioecesim,* 163 — nullimode celebrare licet *duas vel plures Missas in eodem Oratorio privato,* 166 — utrum agendi modus, prout in casu, sit necne probandus et in praxi adhibendus, 167 — *alius Casus,* 209 — in veteri Eccl. disciplina lex ordinaria fuit, privilegium celebrandi in privatis Oratoriis concedere *eodem modo, quo nunc a Summo Pontifice conceditur*, 210 — quaenam *solemnitates* in indultis excipiantur, 214 — rationes, quibus permota Ecclesia *tales exceperit solemnitates*, 218 — nullimode facultatem indultum ampliandi *sibi arrogare quis potest*, 220 — utrum *Sacramenta Poenitentiae et Euch. administrare* in privato Oratorio liceat, 221 — Ordinarius loci permittere potest *ut Sacramentum Poenitentiae* in privatis Oratoriis administretur, *non vero Sacramentum Eucharistiae*, 233 — quid sentiendum de agendi ratione prout in casu, 224 — *Casus alius*, 307 — quid *nomine Titularis Eccl. veniat* in sensu liturgico, 310 — Oratoria *si iuxta Pontificale consecrata, vel iuxta Rituale benedicta sint* Titulares habent in sensu liturgico, *ibid.* — Oratoria mere privata, *utpote quae non consecrantur neque solemniter benedicuntur*, Titularem non habent et ideo *nullo gaudent privilegio* ad illum celebrandum, 312 — Privilegiatus *plurium Missarum celebrationem* in suo privato Oratorio *nullo in casu permittere nequit*, 313 — absque Sedis Apostolicae venia, Titulares Oratoriorum, si qui sunt, ad libitum immutari et Contitularem adiici nequeunt, 314 — iudicium de *tota facti serie* in casu propo-

sita, 317 — *Alius Casus*, 384 — olim Oratoria sive *publica* sive *privata consecrabantur*, 386 — quanam ratione huiusmodi disciplinae insequentibus saeculis *fuerit derogatum*, 392 — Oratoria privata impraesentiarum *consecrari nequeunt*, 394 — requisita ut Oratoria publica *licite consecrari* valeant, 395 — quanam *forma et auctoritate* benedicenda sint, *ibid.* — iudicium de agendi ratione prout in casu, 396 — *Alius casus*, 466 — quaenam olim in Orat. privatis *ecclesiasticae functiones prohibebantur*, et quid hac super re a vigenti Eccl. disciplina statuatur, 467 — in Orat. privatis *Missa solemnis* vel saltem decantata *permissa diei nequit*, 475 — vi privilegii personalis Orat. privati, privilegiatus, Missam in *quovis Oratorio privato celebrare nequit*, 477 — an consuetudines in casu propositae tolerari queant, 479 — *Alius Casus*, 546 — num antiquitus *Sacerdotes extraneos* indistincte *ad Sacra facienda admittere* fas esset, 547 — de litteris *formatis, canonicis, pacificis, dimissoriis*, etc., 550 — utrum impraesentiarum vi facultatis a proprio Ordinario obtentae, *in Eccl. vel saltem in Orat. domesticis laicorum alienae dioecesis* celebrare liceat, 553 — num in recensitis alienae dioecesis locis *celebrare liceat* facultate *a S. Sede vel a Curia Romana* concessa, 554 — *quibus personis* liceat in Orat. domestico *auditionis praecepto satisfacere*, 555 — qui privilegio non comprehenduntur, *non tenentur eo uti quoties Ecclesiam die festivo petere nequeunt*, 556 — iudicium de Sacerdote et Viro nobili privilegiato eiusque hospitibus prout in casu, 557 — *Alius Casus*, 589 — utrum et quibus in casibus iuxta antiquam et vigentem Eccl. disciplinam *extra Eccl. et Oratoria rem divinam peragere*, etiam *absque speciali indulto* licitum sit, 590 — privilegio gaudens Altaris portatilis *illud erigere non valet quocumque in loco*, 595 — specialissimum requiritur privilegium pro Missae celebratione in mari, 596 — Apostolica Sedes in huiusmodi concessione *quasdam clausulas apponere solet*, 597 — Casus solutio, 598 — vide *Dies Solemniores*.

Oratoria publica, vide *Oratoria privata*, *Titularis*.
Ordines Sacri, facultas Episcopo concessa conferendi Sacros Ordines diebus festivis de praecepto *subsistit die*, qua celebratur officium *transferendae vel translatae solemnitatis*, 196.
Organum, de Organi *sonitu* in missa cantata *de Requie*, 275 — vide *Cantus*.
Osculum, vide *Altare*.
Ostensorium, vide *Expositio*.
Ostium, inquirenda a Visitatore *circa ostia* Sacrarum Aedium, 672.

P

Palmae, de *ordine distributionis* Palmarum, 421.
Parietes, observanda a Visitatore circa *parietes externos* Sacrarum Aedium, 676.
Parochus Regularis, vide *Calendarium*.
Passio D. N. J. C., de concursu inter *duo festa Passionis*, de *Crucis invent.* die 3.ª Maii et festi *S. Sindonis* die 4.ª, 113 — Passio D. N. J. C. cantari nequit per celebrantem et *duos ministros laicos*, 693.
Patrocinium S. Joseph, vide *Occurentia*.
Patronus, vide *Titularis*, *Concurrentia*.
Paulus (S) Ap., eius Octava ubi est Titularis *desinit cum octava utriusque Apostoli*, 575.
Pavimentum, invisenda a Visitatore circa Ecclesiae *pavimentum*, 559.
Petrus (S) Damiani, vide *Tertius Versus*.
Petrus et Paulus (SS), vide *Octava*, *Calendarium*.
Planetae, nullum extat Decr. planetarum *formam gallicam interdicens*, 278.
Pluviale, de *Clericis pluviali indutis* in Missa coram Episcopo, 274 — de usu Dalmaticae et Tunicellae *pro pluvialibus* in Vesperis, 649 — de *pluviali aut stola assumenda* post Vesp. Omnium Sanctorum *pro Vesp. Defunctorum*, 723.

Pluvialistae, quando cum Celebrante coniuncti sunt *non genuflectere ad altare*, sed se *profunde inclinare* debent, 26 — Pluvialistae *quoties incedunt cum Celebrante* se profunde inclinare, in aliis casibus *genuflexionem facere debent*, 30 — Pluvialistae *duplici ductu* thurificandi sunt *etiam praesentibus in Choro Canonicis*, 288.

Poenae, de poenis ecclesiasticis *suicidis* inflictis, 723.

Pontificalia, an quivis actus liturgicus Episcopi, in quo pontificalibus utatur indumentis, *iure veniat sub nomine Pontificalium*, 257 — quid *pro actu liturgico* intelligatur, *ibid.* — Auctores quamplures *sunt pro affirmativa sententia*, nonnulli referuntur, *ibid.* — Pontificalia cum dicimus, *nomen a Pontifice derivatum* exprimimus, 259 — Episcopus Sacerdoti *per duplicem potestatem* excellit, *ibid.* — Episcopatus, quamvis Ordo a simplici Sacerdotio distinctum, *nihilominus illud continet*, 260 — inter actus episcopales *aliquid discriminis* reperitur, *ibid.* — discriminis ratio, 261 — actus liturgici episcopales in Caeremoniali contentis *et ab aliis nan Episcopis ex privilegio fieri possunt*, non autem actus in *Pontificali contenti, ibid.* — per Pontificalia *actus pontificales*, significantur, *ibid.* — alligatur auctoritas *Schmalzgrueber, ibid.* — confirmatur auctoritate Trid. Synodi et plurium Theologorum, 262 Insignia pontificalia *vix influere valent in actus pontificales*, 263 — Qui sunt pro affirmativa sententia *eam volunt deducere ex verbis Tridentinae Synodi*, 264 — omnes conveniunt actus pontificales illos esse tantum, *qui fiunt vi characteris episcopalis, ibid.* — Episcopus in aliena dioec. *primam conferre tonsuram*, saltem suo subdito potest, dummodo *privatim* et sine *indumentis pontificalibus*, quin censuram incurrat, 266 — expenduntur verba Trid. Synodi, *ibid.* — resolutiones S. Congr. Concilii, quibus sententia affirmativa munitur, *ad rem non faciunt,* 268 — concluditur *actum quemcumque episcopalem non constituere pontificalia*, quia cum Insignibus pontificalibus peragitur, 270.

Postcommunio, occurrente festo SS. Summorum Pontificum *die infra Oct.* Omnium Sanctorum, *Postcommunio* pro Octava sumi potest ex Missa *Intret*, 620.

Praecedentia, vide *Festum*, *Praelatio.*

Praefatio de Apostolis est recitanda in Missa de *Anniv. Creationis et Coronationis S. Pontificis.* 572. — in Missis votivis propriam Praef. non habentibus, si recitentur in Dominica *Praefatio debet esse de Trinitate*, 31 — de praeferentia unius Praefationis propriae *prae alia etiam propria*, 62, 112.

Praelatio, de praelatione diei prae alio *infra duas Octavas*, 281 — vide *Occurrentia*, *Octava.*

Preces, librorum liturgicorum, *immutari vel vulgari lingua recitari nequeunt* absque Indulto, 574 — in precibus, quae publico fiunt in Eccl., convenientius *ordo servatur dignitatis*, 624 — de precibus a Leone XIII imperatis *post missam SS. Cordis 1.ª feria sexta mensis*, 699 — vide *Hymni.*

Processiones, in vespertinis processionibus, extra festum Corp. Chr. eiusque Octavam, *licet in honorem B. M. V. aut Sanctorum deferre SS. Euch. Sacramentum de consensu Ordinarii*, non *autem Imagines sive Reliquias* ipsius B. V. vel Sanctorum, 129 — de processione in *Commem. Omnium Fidelium Defunctorum*, 609.

Psalmus, de initio Psalmi non omittendo, *quando postrema Antiphonae verba sunt ex illo*, 271 — de *modo psalmos intonandi* in officiis *defunctorum* et *Tenebrarum*, 345.

Pyxis, cooperienda est velo humerali *quum populus benedicitur* in expositione privata, 194 — in purificatione pyxidis *melius est non uti vino*, 32 — pro benedictione cum pyxide *non requiritur permissio Ordinarii*, 171 — Pyxis in Sabb. Sancto finita missa in *consueto Eccl. Tabernaculo* reponatur et adhibeantur *lumina et velum humerale*, 623.

R

Recitatio privata, precum quando habeatur, 574 — vide *Officium.*

Regina coeli, vide *Angelus Dñi.*

Regulares habentes privilegium celebrandi Missam propriam in aliena Eccl. quando color concordat cum colore officii Ecclesiae in qua celebrant, *comprehenduntur sub Decr. S. R. C. die 9. Dec. 1895* edito, 355 — an Regulares proprio utentes Calendario teneantur in dioecesibus, ut in casu, se conformare Clero saeculari *quoad celebrationem et translationem festi Annuntiationis, S. Marci, Litaniarum Maiorum, abstinentiam.* etc., 533 -- quinam intelligendi Regulares *ad effectum Indulti interpretandi Calendarii usum respicientes*, 651 — Regulares festum Titul. Eccl. Cath. *sub ritu dupl. 1.ae classis sine oct.*, et festum Dedic. in *sola civitate episcopali* sub *ritu dupl. 2.ae cl. sine oct.* recolere debent, 433 — de festis *particularibus* pro Regularibus, 608 — de missa in aliena Eccl. *pro Sacerdote ex Ordine Praedicatorum*, 717 — vide *Calendarium*, *Ritus.*

Reliquiae, in dioecesi Basileensi festum SS. Reliquiarum, quod peragitur die Dñica infra oct. Omnium Sanctorum, *omittendum est, quoties deest praedicta Dominica*, 199 — de quibusdam antiquis Reliquiis, *quarum authenticae non habentur*, in dioecesi *Iacensi*, 446 — de Reliquiis *Aquisgrani*, 447 — Reliquia ad venerationem exposita super altari non chorali *thurificari potest ab officiante in Vesp.*, *nullo vero pacto* in solemni Missa, 701.

Repositio SS. Sacramenti, vide *Expositio.*

Responsorium, pro Responsorio brevi ad Primam vide *Hymni* — diebus, quibus festa ritus dupl. 1.ae cl. occurrunt, *vetitum est decantare Responsorium* pro defunctis, 650.

Reverentia, de reverentia Episcopo in *functionibus coram SSmo Sacramento*, 573.

Ritus, de *ritu festorum Dioecesis*, ad quae tenentur Regulares, 182 — vide *Regulares.*

Rubrica, de intelligentia Rubricae *Octavas prohibentis*, 175.

S

Sacrarium, inquirenda a Visitatore circa Sacrarum Aedium *Sacraria*, 675.

Sacrae Species, de consuetudine quadam in *renovatione Sacrarum Specierum*, 424.
Sacra Utensilia, vide *Nipis*.
Sanctissimum Euch. Sacramentum, in Eccl. dicata SSmo Euch. Sacr. in feriali officio *in suffragiis fiat commem. de SS. Sacram. omissa commemor.* de Cruce, 1 — Solemnis Commem. Sacramenti, Congregationi Presbyterorum SS. Sacr. indulta, prima feria V cuiuslibet mensis, *non habet praecedentiam super festum secundarium eiusdem ritus*, sed *non eiusdem dignitatis*, *ibid.* — in concurr. huius solemnis Commem. cum festo secundario eiusdem ritus eiusdemque dignitatis, *totum fit de festo cum commem. officii votivi*, 2 — post expositionem privatam SS. Sacram., aperto scilicet ostiolo Tabernaculi, *dari potest benedictio cum Sacram. in pyxide recondito*, *ibid.* — Sacerdos celebrans coram SS. Sacram. patenter exposito *versus idem Venerabile inclinationem facere debet*, quotiescumque in lectione Evangelii *pronuntiat nomen Jesu*, *ibid.* — vide *Processiones*, *Commemoratio*, *Missa coram Sacramento*, *Expositio*.
Scriptura, de initio Scripturae assignando, tota hebdomada *impedita festis proprias lectiones 1. noct. habentibus*, 716.
Secreta et Postcommunio, commutanda *pro S. Agapito M.*, ubi die 18 Aug. festum agitur alicuius Sanctae V. et M. cum Missa « *Loquebar* » aut « *Dilexisti* », sumantur e Missa « *Laetabitur* » 520.
Sedes pro populo, invisenda a Visitatore circa *has sedes*, 226 — Sedilia propria in Eccl. ponere nemo potest *absque facultate Rectoris Ecclesiae* atque *tacito Episcopi consensu*, 227 — cum lis oritur inter privatos *super competentia loci sedilium*, qui sunt in possessione sunt manutenendi absque novitate, 227 — ius habendi sedilia in Ecclesia concessum alicui familiae, *familia extincta transit ad haeredes extraneos*, 228 — in Eccl. iurispatronatus laicorum *non potest Episcopus concedere ius retinendi sedilia* invito patrono, 229.
Semiduplex, vide *Titularis*, *Commemoratio*.

Sepulcra, invisenda a Visitatore circa Ecclesiae *sepulcra*, 559.
Sequentia in Missis defunctorum *quando recitanda*, 523.
Signum Crucis, vide *Missam coram Sacramento.*
Simplex, de missa occurrentis simplicis *in duplici* et *infra aliquam octavam*, 121 — vide *Commemoratio.*
Solemnitas, solemnitates festorum de praecepto, quae transferuntur in Dominicam, *celebrari nequeunt in festis excludentibus* quaelibet alia festa etiam dupl. 1.ª classis, 196 — adnotatio, 202 — pluribus occurrentibus solemnitatibus transferendis, *fiat de solemnitate digniori* et minus digna *transferatur in proximiorem Dominicam liberam*, 196 — in parochiali Eccl. cuius Titulare festum ipsa die a populo ex devotione fuit celebratum, *Solemnitas die Dominica peragi debet*, *ibid.* — vide Missa in *Oratoriis privatis*, *Occurrentia*, *Ordines Sacri.*
Sonus, vide *Cantus.*
Spiritum nobis Dne toto tempore paschali *post datam Communionem* dicatur, 35.
Stephanus (S.) in die oct. *S. Stephani* concurrente cum die oct. *S. Ioannis*, Vesperae fiunt tantum *a Capitulo de S. Ioanne*, 572 — in recolenda die translationis S. Steph. *officium Inventionis an celebrandum*, 721 vide *Inventio.*
Subdiaconus crucem ferat *in pergendo ad Coemeterium* post missam, 285.
Suffragia Sanctorum, in iis agenda est com. Sacrae Familiae titularis Ecclesiae benedictae tantum, omissis commemorationibus de S. Maria et de S. Ioseph, 706.
Synodus, de *ordine sedendi* in sessionibus synodalibus, 509.

T

Tabernaculum in Triduo Mai. Hebdomadae *clausum vel apertum relinqui potest*, 623 — ante ostiolum Tabernaculi *non licet ponere flores* vel *candelabrum*, 624.
Te Deum, vide *Innocentes.*
Tertius versus, in festis *SS. Petri Damiani* 23.ª Febr. et *Alphonsi M.ae de Lig.* 2ª Aug. *non est mutandus tertius*

versus, 199 — in dioecesi Basileensi si festum *B. Nicolai de Flue* incidat in feriam secundam post aliquam Dominicam Quadragesimae, *mutandus est tertius versus in hymno*, *ibid.* — de mutatione tertii versus in festo *S. Petri Damiani*, 337.

Textus liturgicus « *Domine Salvum fac Regem* » immutari nequit in « *Dñe salvam fac Rempublicam* » 276.

Thomas (S.) Cantuariensis, eius festum ad ritum *duplicem minorem pro Ecclesia universa evectum est*, 195 — de Vesperis diebus 29 et 30 Decem. *quoad festum S. Thomae*, 617.

Thronus, de *throno* SS. Sacramenti et *Umbella* in Eius asportatione, 575.

Thuriferarius, de eius loco in quibusdam functionibus, 624.

Thurificatio, vide *Titularis.*

Thus, de thuris impositione in feria VI Mai. Hebd. *post adorationem Crucis*, 612 — de *extensione privilegii* circa *usum* thuris in missis parochialibus cantatis sine ministris *ad Monialium Ecclesias*, 636 — vide *Benedictio Thuris.*

Titularis, eius festum a die 31ª Dec. ad 5ª. Ian. occurrens *habet octavam*, 66 — animadversio in praefatum decretum, 68 — Episcopus valide nequit pro Titulari alicuius Eccl. novae *designare festum neque in Martyrologio, neque in Supplemento dioecesis contentum*, *ibid.* — non licet Ordinario Titularium Eccles. parochialium Solemnitatibus *certa per annum Dominicas assignare*, 67 — festa *Titularis*, Transfig. et *Dedic. Basilicae SS. Salvatoris* pro Clero saeculari Urbis *saltem per se sunt primaria*, 572 — de festo pro novo Titulari et pro Patrono loci assignando casus, 625 — quid proprie sit *dies festus liturgice acceptus*, 628 — pro Sanctis Patronis dies festus *esse debet dies propria*, nempe *natalitia* vel *quasi natalitia*, 629 — Octava, quae ob aliquod impedimentum incipi non potuit, *cessante impedimento prosequi potest*, 630 — quaenam lex tenenda *in occurr. festorum semiduplicium* infra Octavas communes, 631 — concurrente die aliqua octava et aliquo duplici minore, *quomodo ordinandae Vesperae*,

633 — iudicium de Calendarii Redactore ut in casu, 634 — de Titulari solemniter recolendo in *Oratoriis publicis*, 640 — remanente Sanctuario veteris Eccl., *velide commutari potest Titulus* Eccl. occasione novae benedictionis, *dummodo nihilominus antiquus Titulus quoque maneat*, 719 — utrum ob conservationem Altaris mai., *Nativitas B. M. V. sit ut Contitularis colenda* cum *S. Stephano* ut in dubio, *ibid.* — Titularis eiusdem obliterati festum redintegrandum die sua, 721 — vide *Commemoratio*, *Missa solemnis*, *Oratoria privata*. *Solemnitas.*

Titus (S.), in Eccl. propria festum S. Titi est celebrandum die 6ª Febr., 66 — animadversio in praefatum decretum, 70.

Transfiguratio, vide *Titularis.*

Translatio, de quorumdam officiorum translatione *pro Capuccinis*, 531 — vide *Missa*, *Occurrentia*, *Solemnitas.*

Tumulus, in exequiis tam praesente quam absente cadavere *exponi nequit defuncti imago* et ubi viget huiusmodi usus *eliminandus est*, 357.

U

Ubaldus (S.), vide *Joannes Nepomucenus.*

Umbella, vide *Thronus.*

V

Vasa aquae benedictae, invisenda a Visitatore circa *haec vasa*, 229.

Velum humerale, requiritur in omni solemniori missa pro Subdiacono, 108 — vide *Pyxis.*

Versus, vide *Tertius versus.*

Vesperae, de Vesperis *SS. Cyrilli et Methodii* concurrentibus cum *Oct. SS. Ap. Petri et Pauli*, 519 — in concurr. festi primarii dupl. min. cum primis Vesp. Oct. Omnium Sanctorum, *Vesperae dimidiandae sunt*, *ibid.* — Vesperae de votiva festivitate *non prohibentur in Eccl. non habentibus*

chorale officium, 622 — Vesperae defunctorum *Matutino sufficere* inordinationem sapit, 428 — vide *Alma Redemptoris Mater.*

Vexilla, vide *Genuflexio.*

Via Crucis, invisenda a Visitatore circa *Imagines Viae Crucis*, 504.

Viaticum, excepto casu necessitatis, *ministrari nequit intra Missam*, 621 — vide *Poenae.*

Vigilia Imm. Conceptionis, non est *genuflectendum in Missa huius Vigiliae* sicut in Missis Vigiliarum cum ieiunio, 618.

Vincentius (S) a Paulo, in Oratoriis *Puellarum a Caritate nuncupatarum* Celebrantes, Missam de *S. Vincentio* et de *B. Perboyre* die, quo eorum festum recolitur *legere possunt*, 110 — invocatio *S. Vincentii a Paulo*, uti iacet, *antiliturgica est*, 700.

Vota, methodus in professione et renovatione votorum intra Missam servanda, statuta in Decr. S. R. C. sub die 27 Aug. 1894, *obligat religiosas Congregationes utriusque sexus*, ubi vota renovantur intra Missam *coram Celebrante Sacram Hostiam manu tenente*, 450.

IMPRIMATUR
Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A.
Magister

—

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriar. Antioch.
Vicesgerens

Proprietas literaria

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1896.